41395/B

# METHODUS MEDENDI

## HOMOBONI PISONIS CREMONENSIS

*In Academia Patavina Medicinæ Practicæ Profeſſoris.*

ACCESSIT

NOVA IN SANGUINIS CIRCUITIONEM INQUISITIO.



PATAVII, MDCCXXVI.
Typis Joannis Baptiſtæ Conzatti.
*SUPERIORUM PERMISSU.*

303657

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

# NICOLAO CORNELIO
## PATRICIO VENETO
## DIVI MARCI PROCURATORI

HOMOBONUS PISO
S. P. D.

M*E ſuſpenſum , ancipitemque , Ampliſſime* SENATOR, *utrum meas haſce lucubrationes publici juris facerem , an latere ſinerem , illud non leviter ad evulgandas incitavit , quod cum vehementer optarem Tibi , Tuæque Genti grati animi teſtimonium aliquod exhibere , nihil in hac mea tenuitate occurrebat aliud , præter has paginas , quibus fauſtiſſimum tuum Nomen inſcriberem , atque memoriam beneficii mihi liberaliſſime collati , quantum per me licet , poſteritati propagarem . Vix Venetias appuleram , cum Pater tuus æternum memorandus*

*me advenam, & ſine litteris commendatitiis humaniſſime habuit, paulo poſt in clariſſimum Profeſſorum ordinem aſcripſit, atque mihi Patavii hæc otia fecit gratiſſima. Tu vero non ſolum tanti Genitoris exemplum ſecutus, ſed etiam tua ſingulari humanitate ductus me omni benevolentiæ genere complexus es, meaque familiariter uſus conſuetudine, quoad Venetiis commoratus ſum. Num igitur tantam in me propenſionem, & beneficentiam tacite præterire fas erat, & abſque ulla obſtricti animi ſignificatione? Doleo mihi nihil ſuppetere ad meum deſiderium Tibi emetiendum, ſed hoc qualecunque eſt humillimi mei cultus, & obſervantiæ pignus Tibi ſiſtere adæque mihi neceſſarium fuit, & honorificum, compertumque eſt benigne inſpectum iri, tametſi apprime noverim longe infra magnitudinem tuam eſſe, Tibique multo elimatiora, & abſolutiora deberi tot dotibus gentiliciis, itemque propriis, acquiſitiſque eximie adornato. Vix quartum luſtrum exceſſeras, cum Patria purpura inſignitus tam luculentum vitæ integritatis, conſiliique ſpecimen dediſti, ut ætatem longe multumque ſuperaveris, novam, & propemodum inuſitatam ad immortalitatem ſemitam ingreſſus, qua tantum proceſſiſti, ut brevi dignitatem promeritus fueris, quæ primo generis tui, fortunæque munus viſa erat. Quam arduum, quam inſolitum ceream adoleſcentiam undique petitam ſtare, non impetu annorum ferri, ſed conſilio regi, neque prona ſequi, ſed multas inter ſalebras ad virtutis faſtigia contendere! Verum utcunque Patriæ illecebræ*

*hæc*

*hæc ipſa multum augeant impedimenta , hiſce omnibus exuperatis totus morum incolumitati , animoque expoliendo conſtantiſſime vacaſti , nunquam ab inito ſtadio , quod paucis contingit , digreſſus : quo vitæ inſtituto civium tuorum , & totius Reipublicæ bono utiliſſime velificaris . Mihi vetuſtiſſimam Avorum tuorum ſeriem perluſtranti ſane plures occurrunt , quorum alii difficillimis legationibus feliciter peractis , alii auri , regnorumque munere , alii expulſis , longeque fugatis hoſtibus , alii providentia , & æquitate ſumma , dum primas Auguſti Senatus , vel principatum gerebant, Reipublicæ defendendæ , amplificandæque operam ſtrenuiſſime navarunt . Ipſe vero tanti generis lectiſſima ſoboles multifariam quidem , ſed potiſſimum peculiari virtutis genere , hoc eſt illibatæ vitæ exemplo bene de Patria mereris . Compertum , exploratumque eſt etiam Platonis , aliorumque Sapientum effato , probos civium mores ad publicæ rei ſecuritatem , atque incrementum magnopere conducere , hoſque optimatum exemplo magis , quam legibus conſervari , depravatoſque reſtitui . Atque Tullius longe verius putat Nobilium vita , victuque mutato , mores civitatum mutari , quam quod placebat Platoni , muſicorum cantibus mutatis , mutari civitatum ſtatus . Ideo quo ſtirpis nobilitate , patriæque ornamentis editiore in loco , & ante oculos omnium collocaris , eo plures ad te ſequendum allicis , dirigiſque ad eandem metam . O præclaram Patriæ felicitatis promovendæ rationem ! ad quam non temporum , non amicorum , non auræ popularis favor , neque quic-*

Dialogo 7. de Legibus.

Lib. 3. de Legibus.

*quid*

*quid fortuna indulſerit, admittitur. Quantum communi bono tribuis, quod plurimum eſt, id totum Te ſolo tribuis, videlicet his dotibus, quibus in majus attollendis, nihil externa, & fortuita conferunt. Mirari porro ſubit, quam brevi tempore tot virtutum ſemina a natalibus hauſta proprio labore, induſtriaque, excepto præſidio generoſæ, piæque educationis, ad uberrimam frugem perduxeris. Nempe optimis genitoribus natus es Franciſco, & Lucretia, quorum alter vita exceſſit, non hominum memoria, alteram ſuperos precor diu ſervent incolumem. Quot, & quanta utriuſque decora, & ornamenta! Quandiu doloris articularis ſævities permiſit Patri tuo foro intereſſe, ea integritate, prudentia, & conſtantia Rempublicam adminiſtravit, ut præmature, florentique ætate gravioribus magiſtratibus, duntaxat ſenioribus deſtinatis, ſumma cum laude functus ſit. Gloriam vero in publico partam, domi augebat recta, ſapientique adminiſtratione, ſed præſertim optime ſobole inſtituenda, diviſo labore, curaque cum piiſſima, & ſolertiſſima coniuge; unde proles omnis aut ſago, aut togæ apprime præparata univerſæ Reipublicæ fulcimento, decorique adolevit. Deflent adhuc cives omnes obitum Marci fratris tui Clariſſimi, qui vix vigeſimum annum expleverat, cum Patriæ, cæteriſque blanditiis retrohabitis, navali militiæ deditus, nulli parcens labori, nullique periculo, apud Corciram contra Turcas fortiſſime pugnando nondum exactâ adoleſcentiâ ictu tormenti bellici omnium deſiderio, & ſpei abreptus eſt. At in præſens non mi-*

nor

*nor aſſurgit gloria celeberrimi fratris tui Andreæ, qui ante ſex annos circiter, ætatiſque maturitatem, Romanam legationem juſſu publico ſuſceptam auſpicatiſſime geſſit, magnificentiam ſummam cum pari conſilio conjungens; & anno poſt hiſce difficillimis temporibus ad Cæſarem Orator miſſus, id graviſſimum munus tam ſplendide prudenterque ſuſtinet, ut Cæſaris amorem, aliorumque admirationem ſibi rarum in modum conciliet. Hoc immortale fratrum tuorum decus in Te non ſolum jure ſanguinis derivatur, ſed virtutum exemplo, quod ipſis, ut natu major eras, præbuiſti. En quam ampla morum tuorum præclaræ inſtitutionis meſſis, quam ſemper majorem domi, foriſque referes. Multi bonum publicum tuentur, provebuntque, dum magiſtratus gerunt, ſæpius auxilio legum, pœnarumque, quam propriæ vitæ imitatione excitata, qua Tu potiſſimum ſive magiſtratus obeas, ſive vaces, ſine formidine pœnarum cultum, & cuſtodiam recti perſuades. In ipſis vero magiſtratibus regendis nemo eſt, quin tuum æquitatis ſolicitum amorem prædicet, reverentiam legum, diligentiamque muneris tui, in qua Tullius ait, virtutes omnes contineri. Verum mearum virium non eſt numeroſam gloriam tuam, tuæque gentis dicendo proſequi. Solum quędam, quę propius vidi, intimeque cognovi, ſilentio præterire non potui, mihi gratulabundus, qui meas haſce vigilias tanto patrocinio ditaverim. Galeni medendi methodi in præſentia non levi humanæ ſanitatis jactura vel ignoratæ, vel neglectæ notitiam renovare, cultumque ſtudui; multaque ab adoleſcentia*

Lib. 2. de Oratore.

*con-*

*conſcripta in ſanguineum circuitum iterum verſavi, & pro viribus ſtabilivi, non ut pugnaciter in propoſito perſiſterem, ſed meis dubitationibus, uſus philoſophica libertate, ſatisfacerem; quando mortalium induſtria plurimum profeciſſe a doctiſſimis Philoſophis creditur, ſi aſſecuta eſt, ut noſcat ſe pauca ſcire poſſe, de pluribus valeat dubitare. Equidem non minus utile judico nova invenire, quam inventa naviter expendere, Veterumque utiliſſima monumenta pene a novitatibus extruſa in priſtinum vindicare. Hæc igitur Tibi nuncupata ad memorem beneficiorum animum teſtandum, niſi ſermonis elegantia, & ubertate eruditionis, ſaltem delectu materiæ grata fore confido: eaque Te humanitate excepturum, qua ſoles auctorem; ac pro certo habeas mihi nihil magis cordi eſſe, quam ut me præſtem, qualem exoptas, atque in publicam utilitatem adeo impenſe a Te expetitam pro virili incumbam. Quoniam autem omnes meos labores, curaſque in mortalium ſalutem vel præſentem tutandam, vel lapſam reducendam confero, illud a Superis maximopere precor, ut quicquid in hunc finem conſcripſi, quicquid etiam dies, nocteſque in poſterum meditabor, tuæ florenti valetudini diutiſsime conſervandæ inſerviat, reparandæ nunquam deſideretur.*

# SCOPUS AUCTORIS.

QUanto adoleſcens incitatior fui, promptiorque ad ſtudia mea evulganda, tanto magis inde me deterreri ſenſi ætate provectus, nil animatus ab effuſa ſcribendi libidine, qua in dies tot novæ opiniones prodeunt, nec omnes ſatis fultæ, apteque contextæ, quibus bibliothecæ replentur, res litteraria nullum capit incrementum, imo patitur jacturam. Etenim ſi novitatibus venandis impenſius dediti omnia recens emiſſa percurrere velint, his multum temporis inſumunt clarioribus auctoribus impendendi, ideaſque ex hiſce prius conceptas turbant, multas amittunt, ſeque hoc interim ſpatio melioribus concipiendis privant. Reprobat Seneca inſtabilem multorum auctorum lectionem, quæ mentem animumque diſtrahit, neque ſinit certis ingeniis, ut opus eſſe judicat, innutriri; reprobandaque pariter eſt, quod delectorum copia ſperari cum nequeat, paucos evolvere oportet, ſi placet, meliores. Delectus igitur librorum habendus eſt, hique lectione terendi, qui ſane pauci erunt, ſed e quibus idem citius, & melius perdiſcitur, quam ex pluribus ſine delectu; eodemque nomine perſuaſum habeo bono publico profuturum, ſi modus aliquis ſcribendi licentiæ imponi poſſet. Cum enim duo ſint præcipui Scriptorum ſcopi, vel abſolvere imperfecta, vel aliquid novum, idemque humanæ ſocietati commodum in apertum proferre, quam pauci ſtylum collineent, exitus ſat clare oſtendit.

*Epiſt. 2.*

B Quo-

Quocirca judicio meo convictus, meique conſcius numquam hæc typis tradidiſſem, niſi me inſtitutum Academiæ Patavinæ, præter alia incitamenta, quæ fortaſſis ſuperari poterant, pene coegiſſet; quæ quodammodo Sereniſſimæ Reipublicæ munificentia, & otio inde parto abuti videtur, niſi laborum ſuorum publicum ſpecimen præbeat, conceptamque de ſe opinionem confirmare annitatur. Illud etiam invitamentum acceſſit, quod multa emiſi, de quibus pauci admodum ſcripſere, & pauca tranſcribenda ſupererant, inutiliter Lectorem moratura. Quæ vero a multis tractata ſunt, ita verſare conatus ſum, ut propria induſtria tincta forent, meaque lineamenta præſeferrent, iiſdemque verſandis brevitati ſtudui, quæ tædium repetitionis minueret. Multa ex vetuſtis dura, & ſpinoſa detraxi, aut mollivi, multaque novo loco, & lumine collocavi; quos tamen conatus tanti non æſtimabam, ut luce & oculis omnium dignos putarem, niſi proprio muneri quadantenus ſatisfacturus. Quapropter plura omiſi, quæ in promptu edenda habebam, ne volumen magis excreſceret, quam ut requireretur ad periclitandam rationem ſtudiorum meorum, publicoque deſiderio aliqua ratione obſequendum. Qualiſcunque vero futura ſit editorum fortuna, quæ me in tanta ingeniorum diverſitate ſollicitum præter modum non habet, illud certe impetraviſſe ſpero, quod Sereniſſimo Principi, quem Deus Optimus Maximus bene fortunet, oſtenderim, me meis partibus omnino non defuiſſe, etiam explere deſideraſſe.

# JUDICIA DE CLAUDIO GALENO LATA.

*Hic cunctis Philoſophis, & Philologis utilis, loquitur ubique puro, eleganti, ſimplici, & nunquam affectato ſermone, non ſine magna vocum, & ſententiarum ſupellectile: adeo ut nulla ſatietate lectorem offendat, ſed ubique progrediendi cupidum rhetorico artificio demulceat, homo ad eloquentiam factus. In hoc præcepta quædam philoſophica rara, & eximia, magiſque illuſtria, quam apud ullum ſcriptorem invenias. Nihil obtrudit lectori, quod non firmis rationibus demonſtret, ac ejus contrarium refutet, qui moralia habet perpulchra affectibus moderandis. Ambitionem, & avaritiam præcipue inſectatur, & de qualibet re docte eleganterque ſcripſit. Nullis non ad ingenii cultum ejus lectio utilis. Heurn. in Diſſertat. de ſtud. Medic.*

*Claudius Galenus, alterum ab ipſo Hippocrate Medicorum decus, & quaſi lumen aliquod artis medicæ, qui univerſam medicinam veterem hippocratica brevitate obſcuram, & demonſtrationum firmamentis orbam, mira ingenii ſolertia, ardua ſcribendi libertate, ingenuo ac venuſto in capita certa ordine diſpoſuit, atque digeſſit, & adeo pure, eleganter, copioſe, docteque omnia propoſuit, rationibus ſtabilivit, eadem expolivit, locupletavit, atque perfecit, ut eum artem hanc primo inſtituiſſe, ac genuiſſe ſit dicendum.* Joan. *Andr. Quenſt. de viris doctrina illuſtr.*

*Alexander Trallianus Galenum non niſi cum epitheto, & cognomine diviniſſimum vocat, teſte Zacuto Luſitano, & Fran-*

*& Franciſcus Valleriola L. 1. loc. Comm. c. 1. ipſum Heroa potius ac Dęmonem, quam hominem appellandum cenſet.*

*Hoc nemo plura, ac majori undique doctrina ſcripſit, ut de eo ſatius ſit tacere, quam plura addere. Voſſ. de Philoſoph. cap. 12. ſec. 19.*

*Medicorum ex primo primus. Dempſter.*

*Pontifex maximus medicorum. Scalig. ex. 61.*

*Mare eruditionis, Oceanus diſciplinarum omnium, ingenuarum artium promus condus, & quaſi bibliotheca quædam eſt Galenus, e quo Medici cum omnia hauſerint, nihilo tamen minus Criticorum induſtriæ relinquunt. Heinſ. Orat. 111 pro biblioth. mun. grat. act. pag. 31.*

*Philoſophus, & medicus ſingularis, cujus ſcientiſſima, & plurima extant ingenii monumenta, quæ genuinam ſapiunt eruditionem. Cæl. Rhodigin. lib. 10. cap. 1.*

*Qui Hippocrati Galenum parem eſſe putant, neutrum eorum ſe intelligere ea confeſſione fatentur. Multo plus Hippocrates a Galeno diſtat, quam Galenus a puerulo quovis. Cardanus de ſubtilit. lib. 26.*

*Galenus inter medicos eloquentiſſimus, inter eloquentes medicus acutiſſimus, inter utroſque diligentiſſimus, inter omnes denique maximus. Geſnerus Præfat. ad Galeni op.*

*Averroes in ſectionibus Collectaneorum Galenum omnibus medicis anteferre non dubitavit.*

*Hic eſt ille Claudius Galenus Pergamo ex Aſia oriundus, maximus vir medendique artis quaſi quoddam numen. Quanquam enim ſolus ille non omnia perfecerit, neque etiam unus ſit imitandus, ita tamen cæteros præceſſit, ut nullus ſit hactenus inventus, qui tanto ſtudio,*

in-

*induſtriaque dogmaticam hanc artem excoleret. Sebaſt. Scheffer. Introduct. in artem med. p. 36, 37.*

*Hæc deſumpſi ex Thoma Popeblunt in cenſura celebriorum auctorum, cui ex multis prætermiſſis de Galeno judiciis traditis a Simplicio, Leonharto Tuchſio, Oratio Augenio, aliiſque, illud tantum Jachini Emporienſis addere placet, qui de Galeno canit, quod Lucretius de Epicuro.*

Omnes reſtinxit ſtellas exortus uti ethereus Sol.
*De particularibus morbis cap. 1.*

NOI

# NOI RIFORMATORI
## Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approbazione del P. F. Ambrogio Liſotti Inquiſitore di Padova nel Libro intitolato: *Methodus medendi Homoboni Piſonis Cremonenſis in Academia Patavina Medicinæ Practicæ Profeſſoris. Acceſſit nova in Sanguinis circuitionis inquiſitio* non vi eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per Atteſtato del Secretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza a Gio: Battiſta Conzatti Stampatore in Padova, che poſſi eſſer Stampato, oſſervando gli Ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Data 9. Ottobre 1725.

( GIO: FRANCESCO MOROSINI K. Rif.
( ANDREA SORANZO Proc. Rif.
(

*Agoſtino Gadaldini Secret.*

HO-

# HOMOBONI PISONIS CREMONENSIS

In Academia Patavina Profeſſoris

# MEDENDI METHODUS.

## *CAPUT I.*

### *De Methodi medendi natura.*

GAlenus locupletiſſimus auctor, quem a doctiſſimis viris mirum in modum commendatum vidimus, optime de re medica meritus profecto foret, ſi vel ſolos libros de ratione medendi reliquiſſet, quibus viam ab Hippocrate indicatam, deinde ab Acrone Agrigentino, ejuſque aſſeclis neglectam, abs Theſſalo, aliiſque ſophiſtis dirutam reparavit, & perpolivit annis ſexcentis ex plurium calculo poſt Hippocratem elapſis, qua pergentes rationem ducem habent ad finem artis conſequendum. Quorſum ſpectant tot, tamque minuta rerum indagata diſcrimina intra, extraque corpus humanum, hoc eſt tota propemodum natura, quam medicus accurate inveſtigat, niſi ad tuendam ſanitatem, vel morbos profligandos? At norma quædam, & artificium requirebatur, quo tanta rerum copia, inſtructuque provide uteretur, uti voti compos fieret;

quod

quod ab aliis delineatum Galenus, quantum attinet ad eſſentiam, abſolvit; idemque non alio animo pertractandum in præſens ſuſcepi, niſi ut tam utilem, & neceſſariam medicinæ partem, ſed a multis derelictam, ſincerisque cultoribus pene deſtitutam in meliorem uſum revocarem, cultuque adaugerem cotis vice fungendo; quod conabor eam clare, preſſeque proponendo, atque quarundam velitationum, & tricarum impedimenta auferendo, quæ diverſa ſcriptorum ingenia intulerunt pro Galeni legitima interpretatione longius decertantia. Neque vero tenuem mei laboris fructum reportaturum ſcio, ſi de re tam gravi dilucide ſcripſero, docente Tullio, quod de re bona dilucide dicitur, præclare dici. Methodus medendi caput eſt totius artis, ſive centrum, quæque ſola humanæ ſalutis procurationem, & medentem adverſus fortuitos eventus tutari poteſt, ægrotantibus paucos annos, ſed opifici nominis immortalitatem allatura. Verum, ut nihil eſt, quod medicos magis vulgo commendet, quam rationalis fama; ita plerique ſe huic ſectæ addictos eſſe profeſſi, degenerem quandam, & popularem methodum ſervant, veram eximiamque a Galeno traditam negligunt, aut ignorant; quam uti naturæ ipſius auctoramento fultam, ſi ſerio excolerent, non adeo vileſcerent ſeplaſiariis, & cerdonibus vix honorificentius habiti. Quemadmodum igitur Galenus hanc ſuis temporibus, ut ait, deſpectam, antiqua veſtigia, & præſertim Hippocratis ſecutus toto conatu reſtituit; ita nos ad utriuſque documenta attenti pro viribus eidem allaborabimus, non ſingulas partes perſequendo, ſed generalem conſtitutionem.

*Lib. 3. de Finibus.*

*Lib. 3. Meth. cap. 1.*

Me-

Methodus, ut ait Cicero, nihil aliud ſignificat quam artem, viamque artificioſam; qua voce latius ſumpta diverſa deſignamus, modo ordinem, quo ſcientiæ arteſque doceri, & diſci ſolent, modo inſtrumentum pariens ex notis cognitionem ignoti; atque utraque ſignificatione uſus eſt Galenus, qui artis parvæ initiò tres proponit ordines artis inſtituendæ, reſolutorium, compoſitorium, definitorium, quos aliis in locis methodos appellat. Præterea methodum vocat inſtrumentum uſurpatum a medico rationali ad impetrandum, quod animo præſumpſit, de quo agit in dictis libris; hæcque ſtricta methodi ſignificatio eſt, ſicuti laxa, quando eo nomine ordo denotatur. Hic definitur a Tullio, compoſitio rerum aptis & accommodatis locis; a ſcholis conveniens partium, ſeu ſcibilium diſpoſitio ſecundum prius, & poſterius uſque ad unum primum, quæ non leviter differt a methodo contracte accepta, & ſui generis nomen retinente, quæ ad mentem antiquorum philoſophorum, & præſertim Galeni audit inſtrumentum intellectus faciens ex noto cognitionem ignoti. Hæc duo, quæ a pluribus recentioribus confundi video, niſi ſecernantur, nequit percipi Galenicum, & rationale artificium medendi. Ordinis igitur munus eſt appoſita cognoſcendorum collocatione præparare intellectum ad faciliorem eorum captum; Methodi oſtendere quid ad alterius cognitionem conſequatur, ut ille ſit inſtrumentum diſtribuendi, hæc inveniendi. Cum vero opus eſt ut aliquid inventurus multa contempletur, quia contemplanda magis faciunt ad inventionem ordinate propoſita, quam confuſa, ordo quoque non parum *Lib. 1. de Officiis.*

inventioni conducit, fitque ut hæc duo in omnibus facultatibus requirantur: idcirco Galenus methodo adjunxit ordinem, aſſerens quippiam ratione invenire ex adverſo opponi ei, quod eſt fortuito, temereque reperire, idque cum via quadam, & ordine fieri, ita ut in diſquiſitione aliquid primum ſit, aliquid ſecundum, & tertium, & quartum; atque ita de omnibus reliquis deinceps, quoad demum ad ipſum, quod ab initio eſt propoſitum, ſit perventum. Verum in hac diſquiſitione ordo dirigit intellectum ad potiendum quæſito, methodus reddit potitum, ditatque cognitione ignoti per repræſentationem noti.

*Lib. 1. Meth. cap. 4.*

Hiſce cognitis de natura methodi univerſim conſideratæ, facile conſtituentur quæ attinent ad methodum medendi, quæ ſolum differt ratione materiæ, in qua verſatur. Solent hanc ſcholæ definire artem, qua per indicationem juvantia inveniuntur, ut hominis deperdita ſanitas reparetur; quæ definitio facit indicationem inventionis inſtrumentum, non methodum. Sed, meo judicio clarior erit, congruentiorque ſtabilitis definitio, ſi dixerimus methodum medendi eſſe habitum, & inſtrumentum intellectus, quod ex cognito nocente juvans declarat, ut hominis deperdita ſanitas reparetur; quem cognitionum complexum lædentis, & auxiliantis Galenus indicationem vocat, inde dictam, quod indicet quaſi digito quicquid agendum eſt; eamque de optima ſecta ad Thraſibulum definit perceptionem juvantis una cum perceptione nocentis advenientem ſine ratiocinio, & obſervatione. Nomine nocentis intellige omnes affectus præter naturam, morbum, cauſam, & ſymptomata. Villacorta tamen ex

*Cap. 11.*

Ar-

Argenterio credit, non hæc ſola intelligenda eſſe, ſed etiam ſimilia morbo, quæ hunc fovere, & augere poſſunt, ut declinentur, aut ſummoveantur. Verum qui ex comprehenſa natura morbi illi contraria comprehendit, ſimul etiam ſimilia noſcit. Ut primum cognovero morbo calida repugnare, ſtatim ſcio frigida ſimilia eſſe, & fugienda. Sequitur ergo cognitio ſimilium morbo cognitionem contrariorum, quodve parit utramque, eſt ejus, quo ægrotamus, notitia. Juvantis nomine denotatur omne auxilium, & remedium oppoſitum affectibus. Ad hos cognoſcendos opus eſt diligenti ratiocinio, & longa ſæpe meditatione; quibus probe cognitis oſtenditur remedium, ut ait Galenus, ſine ratiocinio, atque experientia. Cur enim hac indigebimus ad remedium acquirendum, quando perſpecta ægrotationis indoles eſt? Si compertum habemus eam, puta, in conſtrictione meatuum conſiſtere, ſine ulla experientia concludimus eos eſſe reſerandos, & aperientia convenire, & ſolum ad illam confugimus, quando ignorata natura affectionis nullam ſuggerit indicationem. Experientia parit notitiam remedii per effectum, natura morbi cognita per cauſam, cujus poſſeſſor alio non indiget fulcimento. De ratiocinio tamen controverſum eſt, utrum interſit indicationi, aliique ſaltem virtuale, ut vocant, ratiocinium aſſociant, alii omne prorſus removent, cui placito patrocinatur Villacorta. Lis eſt etiam acerrima inter Alexandrum Maſſariam, & Horatium Augenium qui contentiſſime pugnat, ut oſtendat indicationem non eſſe ſyllogiſmum, ut alter defendit. Hæc diſſidia Galenus ex parte nutrit, qui variis in locis indica-

*De Meth. medendi cap. 4.*

*De Meth. med. cap. 4.*

*Lib. 3. Epiſt. medic. 9.*

tionem deſcribens modo ab ea ſolam experientiam ſeparat, modo hanc, & ratiocinium: quæ tamen paucis componemus non tam Galeni verbis, quam re ipſa conſiderata. In eo ſtatuta eſt natura methodi, ut ſit inſtrumentum notificans, ex noto promens ignotum, quod ſine illatione non peragitur; eſtque hoc præcipuum diſcrimen inter ordinem, methodumque, quod illo diſponimus, hac inferimus. Cum igitur indicatio ſit id, quod oritur ex intellectu utente methodo, liquet in ea contineri illationem, & conſequentiam, quæ reſpondet habitæ per ſyllogiſmum, ad quem ipſa indicatio reducitur. Habeo indicationem curandi morbi, dum cognoſcens hunc eſſe poſitum in ſiccitate, video ſine alia cogitatione humidis expugnandum eſſe: quæ concluſio pendet ab hiſce præmiſſis. Quod contrarium eſt ſiccitati, hanc curat: humida ſunt contraria ſiccitati: ergo curant. Verum quia per ſe notum eſt, jamque animo teneo contraria contrariis curari, & humida opponi ſiccis, ſimul ac deprehendo quempiam ſiccitate ægrotare, cognoſco ab humidis adjutum iri, tametſi mecum ipſe non efformem ſyllogiſmum expoſitum; aut alia excogitem. Cum igitur Galenus ab indicatione ratiocinium abjungit, non eam habet interpretationem, quaſi diceret indicationi nullam ineſſe illationem, & potentiam ſyllogiſticam, ſine qua nihil fidem facere poteſt, ſed tantum affirmat in ea tam clare apparere uſurpanda remedia, ut intellectus ad aſſenſum nulla alia indigeat cogitatione; idque confirmat aſſerens evenire in perceptis ex indicatione, quod in apertiſſimis, & ſine controverſia conceſſis. Res ſatis illuſtris eſt, niſi intempe-

ſti-

ſtivis argutiis obſcuretur; ut plane mirer egregios viros in hoc litigio deſudaſſe. Illud potius inquirendum erat, utrum definitio galenica indicationis excludens aliam meditationem valeat in omnes indicationes, quod a nemine, quod ſciam, in dubium revocatum vidi, & penſitatum. Mihi ſane videtur in omni indicatione non ita clare percipi juvans, ut ſine alia cogitatione intellectus acquieſcat, ſicut in manifeſtis, extraque omnem controverſiam poſitis. Triplex a ſcholis conſtituitur indicatio, communis, ſeu generica, ſubalterna, & ſpecifica. Communem ſuppeditat generica natura indicantis, quam Galenus prorſum inartificioſam vocat, ipſique plebi communem, cujuſmodi eſt indicatio morbi conſiderati, ut quippiam eſt nobis infenſum, qua ratione ſui ablationem duntaxat indicat. Altera, quam ſubalternam vocant, ſumitur ab indicante ſubalterno, in quo verſamur, dum cognoſcimus morbum conſiſtere, cogita, in intemperie, & hac deinde caloris. Cum vero hujus gradum determinamus, habemus indicans ſpecificum conſtituens ſpecificam indicationem; quarum omnium perquirendarum potiſſimum fundamentum tradit Galenus docens non eſſe tranſeundum de genere in genus, ſed eſſe dividenda generaliſſima in ſubalterna ejuſdem generis, & hæc in ſpecifica. Unde alibi monet nullo modo morbum dividendum eſſe in cauſas, quod morbus, & cauſa genere differunt. Prima indicatio deſignatur in omnium animantium natura, qua inſtigantur ad ſubito expellendum, quod moleſtum experiuntur, & aſperum ſenſum in corporibus efficit. Quamquam autem hæc indicatio omni caret arte, to-

*Lib. 3. Meth. cap. 1.*

*Lib. 2. Meth. cap. 7.*

taque eſt naturæ, nos tamen excitat ad alias quaſcunque perquirendas. Subalterna quoque indicatio, quam poſſidemus, dum ſancimus eſſe calefaciendum, vel refrigerandum, quod conſtet morbum eſſe a calore, vel frigiditate, ex ſola cognitione morbi ſubſidium declarat: quippe quæ innititur principio perſpicuo, atque indubitato, contraria contrariis curari. Atque hæ duæ indicationes, quid agendum ſit, non quantum, oſtendunt; idque oſtendere munus eſt indicationis ſpecificæ; quæ tamen non pendet a principio evidenti, & per ſe noto, ſicuti ſubalterna; & proinde ex ſola cognitione ſpecificæ, propriæque naturæ nocentis nequit remedii ſpecies, ſive quantitas determinari. Eſto. Exploratum habeam aliquem laborare calido tribus numeris affectu. Hac ſola cognitione mihi perſpectum non eſt frigida tribus numeris uſurpanda eſſe, ſicuti certo ſcio frigida calidis opponenda. Nec enim evidens eſt, atque in medio poſitum, quo ordine debeant opponi contrariæ qualitates, ut morboſæ expugnentur: imo de hoc ambigitur, & diſputatur a Valleſio, aliiſque. Itaque nequeo deliberare ordinem frigidi opponendi calido tribus numeris affectui, ſive quantum refrigerandum ſit ex ſola notitia lædentis, ſed alia requiritur, qua deliberem frigidum peculiaris intenſionis convenire, quod alii volunt eſſe ſuperius morbo, alii compar. Hinc palam eſt definitionem indicationis a Galeno traditam de optima ſecta ad Thraſibulum pluribus quidem indicationibus conſentaneam eſſe, non tamen omnibus, eamque ſolam omnibus congruere, in qua tantum experientia ſeponitur, quam ſolam pariter Galenus, non ratiocinium

*Lib. 8. Contro. cap. 4.*

*Ad Thraſibu c. 10.*

nium aliquando ſepoſuit, expreſſeque ait, juvantia quædam per indicationem ita patefieri, quemadmodum evidentium aliqua nulla obſervatione adhibita ſenſus percipiunt. Non omnia itaque juvantia eadem perſpicuitate ab indicationibus exhibentur etiam ex ſententia Galeni, qui variis in locis ſcribens de indicatione, non in omnibus idem expreſſit, ut ſolet res eadem diverſo modo menti obverſari: niſi malles dicere veram indicationem, & legitimam duntaxat eſſe, in qua juvans evidenter apparet ſine alio auxilio.

Paucis deſcripta eſt methodus medendi, ſed tanto plura requiruntur ad eam exercendam, hoc eſt omnium cognitio, quæ pertinent ad internoſcendas morborum differentias, & proprietates ſpecificas propriaſque indicationes ſuppeditantes, quibus Galenica, & rationalis ſecta maxime eminet, diſtatque ab ſectatoribus Theſſali, qui pariter indicationibus utebantur, ſed tantum univerſalibus, rati communem quandam eſſe omnium hominum medicationem, & medicinam non proprietatum, ſed duntaxat communitatum notitiam. Propterea neque laborantem locum, neque cauſam, neque tempus, neque regionem perquirebant, negligebantque ipſius ægrotantis naturæ, virium, habitus, ætatis, conſuetudinis conſiderationem, quæ omnia diligentiſſime perveſtiganda ſunt a medico dogmatico, ut tum ægrotantium, tum morborum ineffabiles proprietates, neque exactiſſima ſcientia comprehenſibiles, ut loquar verbis Galeni, conjectura conſequi poſſit, & cujuſque propria remedia. Methodum igitur medendi ſolum exercere poteſt, cui ditiſſima ſupellex eſt ad rerum diverſitates ut ut exiguas detegen- *Lib. 3. Meth. cap. 7.*

gen-

gendas, ille inquam, qui omnes medicinæ partes funditus didicerit, non quædam tantum documenta ſcholarum, quibus traditur quid ſit methodus, quid indicatio, quot indicantia primaria, & ſecundaria, quale indicatum, & alia ejuſmodi. Etiam hiſce ignoratis, ut ita dicam, ſi quis ex ratione, & conſilio ſibi propria cujuſque affectionis remedia invenienda proponeret, incideret in hanc eandem methodum, atque circa hæc omnia verteretur, quæ finximus ignorata. Nec enim induſtria Mortalium poteſt uti ratione ad curationes nanciſcendas, niſi contemplando ipſam rerum naturam, in qua contemplatione intellectus efformat, quæ ſcholæ vocant methodum, indicationem, indicantia, indicata, quæ nomenclationes denotant opus intellectus. Propterea, ut refert Celſus, iiſdem ſub auctoribus nata eſt naturæ commentatio, & morborum curatio habitæ cognitioni conſequens; & antiquitus medendi ſcientia ſapientiæ pars habebatur, ad quam attinet rerum conſequentias cognoſcere. Virtus eſt, inquit Tullius, perſpicere quid in quaque re verum, ſincerumque ſit, quid conſentaneum cuique, quid conſequens, ex quo quæque gignantur, quæ cujuſque rei ſit cauſa. Tantum igitur medicina rationalis præſtat empiricæ, quantum virtus caſui, & fortunæ, quorum favori Empirici ſua pleraque referunt accepta remedia: & quanto quiſque ſapientior erit, tanto magis medendi methodo excellet, hoc eſt plurium rerum conſequentias videbit indicantium inſtrumenta reducendæ pulſæ ſalutis. Si nunc placet ſuperiora in ſummam concludere, & ſimplicius efferre, dicas methodum medendi eſſe uſum excul-

*In Præfatione.*

*Lib. 2. de Officiis.*

excultæ rationis ad medendum. Siquidem ratio, ut habemus apud Tullium, eſt quæ apertis obſcura, notis ignota patefacit, idemque methodus, ut expoſitum eſt, præſtat: quippe quæ ex ipſa adornata ratione proficiſcitur. *Lib. 3. de Natura Deorum.*

Agedum, quoniam hactenus methodi naturam ad mentem Galeni expoſuimus, eundem conſulamus cavi ulceris ſanandi methodum inſtituentem. Primò prælato curationis ſcopo, qui conſiſtit in amiſſa carne reſtituenda, altius indaginem generandæ carnis exorſus ejuſdem materiam aſſignat, nempe probum ſanguinem, naturam ſubjectorum corporum, quibus addi caro deficiens debet pro cauſa effectrice, eamque collocat in temperatione primarum qualitatum. Deinde quia per univerſum corpus duo ſemper excrementorum genera producuntur, tenujus alterum, quod eſt ipſa inviſibilis perſpiratio, alterum craſſius, quod in ſummo corpore acervatur, ſtatuit etiam in carnis generatione hæc duo excrementa in cavis ulceribus ſemper & neceſſario colligi, reddito viſibili ob naturalis caloris languorem, quod inſenſibilis evacuationis materies erat. Cum autem a tenui excremento, quod ichorem, ſeu ſaniem vocat, ulcus humidum fiat, a craſſo, quod ſordem appellat, ſordidum; infert duplex exigi medicamentum exſiccans alterum, alterum expurgans, & utrumque ſimul adminiſtrandum determinat, quod ſimul utrumque in ulcere congeritur. Invento remedii genere ſimili modo differentiam exquirit, hoc eſt quantum deſiccandum ſit, colligitque ex majore, vel minore ulceris humiditate, & temperaturæ reparandæ carnis in aliis fortiora exſiccantia requiri, debiliora in aliis: *Lib. 3. Meth. cap. 3.*

demum pluribus particularibus ſiccantibus perpenſis, cuique naturæ aptiora præſcribit. Habes in propoſita curatione luculentum exemplum ordinis, methodique contracte ſumptæ, quæ duo diximus in facultatibus copulari. Dum Galenus prælucente notitia finis cauſas ejuſdem obtinendi inquirit, deinde quæ attinent ad tollenda impedimenta, hoc eſt ulceris excrementa, ordinem reſolutorium ſervat, qui a notione finis procedit ad invenienda, cognoſcendaque principia eum allatura. Cum autem in eo proceſſu Galenus quibuſdam poſitis, & patefactis alia colligit, methodum exercet: ſicque invenit ulceris cavi medelam non temere & fortuito, ſed ordine & ratione nata ex cognitione totius propemodum phyſiologiæ, videlicet elementorum, temperamentorum, humorum, animalis Æconomiæ.

Hæc reputanda propono medicis illis, qui ſe ſe rationales, dogmaticoſque iccirco decantant, quod exempli gratia accerſiti ad febricitantem acute cum ſuſpicione malignæ qualitatis oblata caſſia mane, atque ad veſperum, ſive poſtridie ſummo mane appoſitis tergo cucurbitulis ſcarificatis, ut mos eſt in aliquibus Italiæ celeberrimis civitatibus, una vel altera hora interjecta, venam grandem pertundunt, iterantque vulnerationem intra primos quatuor, vel quinque dies, non prætermiſſis bolis ad corroborandum ex confectione hyacintina, cornu cervi, & margaritis, ſirupis mane, & emulſionibus ad noctem, ſi ſitis urget: poſt primos quinque dies gliſcente febre ſanguinem e ſalvatela ducunt, aut vaſis ſedis, aut tali, repetuntque cruentas cucurbitulas: tandem ſi capite dolet æger, vel adeſt aliquod licet obſcurum indicium delirii, quatuor veſſicanti-

bus

bus brachia, & coxas exulcerant. Taceo clyſteres, quos jubent quotidie, vel alternis diebus imponi, & mitia purgantia ex brevibus intervallis iterata; lapidemque bezoarticum, ad quem in magno ægrotantis diſcrimine confugiunt. Hiſce igitur peractis credunt ſe cum ægrotante præclare egiſſe, germanam methodum obſervaſſe, totam medicinam exhauſiſſe, nihil addi præterea poſſe ad tutandam famam medici rationalis: cum quibus nolo diſputare utrum ea ſit vera methodus curandæ prædictæ febris, imo veram eſſe indulgeo. Cum autem alios homines ejuſdem ſpeciei febre vexatos, ſed diſſimiles temperamento, totius corporis habitu, ætate, conſuetudine, vitæ muneribus, diverſis tempeſtatibus eodem modo curant, ſanguinis effuſionibus eodem numero, atque ex iiſdem locis repetitis, purgantibus iiſdem, aliiſque medicamentis, quo jure ſe rationales eſſe profitentur, methodique cuſtodes? Anne febres ejuſdem ſpeciei in diverſis hominibus ita inter ſeſe ſunt aſſimiles, ut nullam petant medelæ diverſitatem? Homines univerſi ſub eadem ſpecie continentur. At quanta, quam evidens inter ſingulos diverſitas! Dicimus item febres tertianas continuas, dicimus pleuritides, dicimus alias affectiones ejuſdem eſſe ſpeciei, quæ tamen notabilem differentiam contrahunt ex differentibus ægrotantibus diverſam quoque curationem poſtulantem. Circumſcribuntur morbi a ſcholis, atque dividuntur in certas ſpecies, ſed extra ſingulares laborantium differentias; tamen in ſingularibus tantummodo curantur; & idcirco nequit præfiniri generalis, atque immutabilis regula cujuſque morborum ſpeciei tractandæ pro diverſis ægrotantibus, &

circumſtantiis. Nihil inutilius, repeto cum Valleſio; nihil periculoſius, quam unam ſemper, ſtatamque formulam medendi obſervare, quam parum circumſpecti, & plurimorum ignari methodum vocant veræ omnino diſſimilem. Celeberrima eſt ſententia Galeni, in febribus putridis ſaluberrimam eſſe venæ ſectionem. Ideo ne, ut ſolent multi, in omnibus febrientibus venam ſecat nihil ultra expendens? Quinimmo proponens curationem ſynochi putris in pueris, qui nondum annum decimumquartum attigerunt, mandat omitti venæ inciſionem; poſt decimumquartum annum æſtimari qualiſnam ſit corporis habitus, num gracilis, ſpiſſus, & durus, & copioſi ſanguinis, an contra; atque in priore habitu ſanguinem effundi, minime in altero. Præterea in juvene annos nato triginta, ſed laxo, molli, pingui, albo, & gracilibus venis nihil ſanguinis detrahit; ſi æſtas ſit, regio æſtuoſa, cælique ſtatus calidus, & ſiccus; ut æger poſſit ſuſtinere alia remedia, quibus obſtructio, & putredo tolluntur, quas non tolli per ſanguinis effuſionem docet. Forſitan hæc non ſcriberem, ſi me ſex ab hinc annis febre putrida continua ex genere ſtigmaticarum laborantem tradidiſſem curandum medicis, quibus eſt pro certa methodo vulgaris conſuetudo. Continua, nec modica capitis gravitate, cum fere aſſidua in ſomnum propenſione; turbatiſque inter dormiendum inſomniis urgebar. Febris non erat admodum intenſa, ſed continua, & fere ſemper æqualis. Itaque licet palam eſſet morbum periculo non carere, nolui medicum ullum ad pulvinar admittere, præter vicinum amicum, qui me poſt diem quintum aliquoties inviſit, ne forſitan audirem, & cogerer

*Lib.* 4. *Meth.*

*Lib.* 11. *Meth. cap.* 15.

*Lib.* 11. *Meth. cap.* 14.

reij-

reijcere ſolita conſilia de imponendis cucurbitulis modo ſcarificatis, modo ſiccis, de incidenda vena modo brachii, modo manus, modo tali, qui ante viginti tres annos circiter ſimilem febrem paſſus conjeceram humores ad ventrem vergere, ut in prima videram, mihique quinquagenario majori, & aliis potius humoribus, quam vegeto ſanguine affluenti venæ apertionem noxiam futuram eſſe. Itaque primis diebus ſumpto electuario lenitivo, iterumque die ſexta, ni fallor, ſine alio medicamento præter modicum confectionis hyacintinæ, & ſedantia ſitim, perveni ad nonam, & ante initium decimæ tribus bilioſis copioſis dejectionibus ſponte factis capitis gravitas magnam partem ablata eſt, imminuta febris, & reliqua ſymptomata. Neque vero me reprehenſum iri a Galeno, ſi adfuiſſet, exiſtimem, ſicuti redarguerunt quidam medici noſtrates, quod venæ inciſionem uſitatiſſimum in febribus præſertim continuis remedium omiſerim, meis ſteterim conſiliis, aliorum non quæſiverim: apud quos me abunde purgare poteſt, quod accepimus dicere ſolitum Tiberium Imperatorem, ita unumquemque a natura inſtitutum eſſe, ut poſt triginta annorum vitam pene inſaniat, ſi propriæ valetudinis gratia medicum vel conſulat, vel advocet. Quid autem dixiſset de medico ſene pro ſua valetudine alterius opem implorante? Non ideo ſanguinis detractionem improbo, ſed cum Galeno in putridis commendo, modo nihil adſit eorum, quæ valeant inhibere, modo ex ratione fiat, non conſuetudine. Nondum excitaris? An tibi tui globuli igniti admovendi ſunt, qui febris putridæ continuæ curationem in ægrotantibus multifariam diſſimilibus, di-

ver-

verſoque rerum concurſu ſemper ab venæ punctione auſpicaris, ac poſtea Te rationalem, methodique diligentiſſimum obſervatorem oſtentas? Quid amplius illudes Theſſali ſectatoribus, qui ſex menſibus ſeſe univerſam medicinam tradere gloriabantur? Ipſe pharmacopola, ſi tuas ſchedulas, & præſcripta memoriter teneat, tam brevi tempore ad quemcumque morbum curandum peritiſſimus accedet. Quod artem longam, difficilem, ſed præſtantiorem reddit, eſt diſcretio particularium, & proprietatum, quæ humanæ menti ſubijciuntur, & maxime morborum curationes immutant, quæque cognitæ Æſculapium in Deorum numerum retulerunt, aſserente Galeno ſeſe talem eſse putare, qualem mente concipit Æſculapium fuiſse, ſi privatim cujuſque naturam ad unguem ſciret; quæ tamen nullum negotium Tibi faceſſit, qui in morbis ſimilis ſpeciei, utcunque reliqua ſint diverſa, eadem remedia uſurpas, imo ſæpe in morbis etiam ſpecie diverſis. Vides igitur Te non ſolum non eſse galenicum, ſeu dogmaticum, ſed parum differre a Theſsaliis medicis, quos Galenus aſinos appellat, acerque inſectatur. Nunc, ſi placet, Te cum Empirico conferas, ac ſi ſerio advertas, minorem comperies, tibique quadrare, quod ait Jachinus apud quoſdam rationalem ſectam profeſſos multo deteriorem eſſe conditionem medicinæ, quam olim apud Empiricos. Hi, quos etiam memoratores vocant, totam artem ad hoc contrahebant, ut oblatis in dies morbis id adhibendum decernerent, quod in ſimilibus ſæpe obſervatum utile foret; & licet hanc ſimilitudinem inter morbos non ab expenſa eorum natura, ſed ex ſimilium ſymptomatum concurſu ducerent,

*Lib. 3. Meth. cap. 7.*

*Cap. 1.*

ta-

tamen ſingularia remedia penitus non negligebant, quorum nemo, ut teſtatur Galenus, adeo præceps fuit, ut omni ulceri cavo unam eandemque ſe habere medicinam ad carnem farciendam profiteretur; imo omnes longa obſervatione edocti aliud ſarcoticum adhibebant pueris, mulieribus, & mollibus carnibus; aliud ſenibus, agricolis, & duras carnes habentibus. Diſcebant igitur obſervatione diſcernere, quod ratiocinio neglexerant. At Tu, medice rationalis, ut de Te prædicas, qua majore induſtria curationes moliris? Majore dixi? Utinam æquali utereris; qui una, eademque medendi forma, Tibi propoſita, tanquam methodo tui ſimilium ſuffragiis comprobata, conſtanterque ſervanda, frequentis experientiæ monitum tuis votis non ſuffragantis minime percipis, nec inde ad conſueta deſerenda excitaris, obſervandamque genuinam, remotamque a vulgo remediorum occaſionem. Quoties ſanguinis miſſio, vel purgatio male vertit? Quoties alia conſueta remedia? quod cum videris, omnes ne nervos intendis, ut cauſam ſiniſtri eventus aſſequaris, in poſterum evites? Nihil minus. Sed quia cuncta de more feciſti, teque tutatus es adverſus vulgi criminationes, quicquid evenerit, nullum Tibi ſcrupulum ingerit, nullam ſuſpicionem, nullam tuæ methodi dubitationem. O methodum, ut tecum verbo abutar, luctuoſam! qua tua inſcitia fovetur, humanæ valetudinis infortunia geminantur. Noſce igitur te minus Empirico præmunitum eſſe ad medendum, neque te obſervato medicaminum effectu erudiri ad temperandam deinceps curationem, quod Empirici non negligebant. Semper enim tuam methodum exequeris, ſive proſpere cedat, ſive ſecus,

*Lib. 3. Meth. cap. 3.*

tam-

tamque iſti confidis, ut in quolibet eventu nihil præterea exquiras, nihil poſthac innovandum putes. Non inficias eo ſæpe remedia ex vera ratione adminiſtrata vi morbi fruſtrari; nec ideo relinquenda eſſe. Illud tantum urgeo, Te humanæ ſalutis negotium ſtata quadam formula obire, quam non ratio, non arridens experientia probabilem reddit, ſola vulgi credulitas, & multitudinis ignorantia ratam habet, quæ tamen pœnam una cum ſtipendio Tibi identidem pendit. An tibicines (utor paucis immutatis argumento Tullii) iique, qui fidibus utuntur, ſuo, non multitudinis arbitrio cantus numeroſque moderantur, vir ſapiens, cujuſmodi debet eſſe medicus, non quid utilius, ſed quid velit vulgus, & conſuetudo efficiet? Non ſolum autem vulgo, & conſuetudini minime ſerviendum eſt in medicina facienda, ſed neque parendum Hippocratis, Galeni, & aliorum optimatum præceptis, quaſi ſancitis legibus, ſemperque ſervandis. Medicina non tantum communitates, ut volebat Theſſalus, attendit, ſed multiplices proprietates; ac proinde univerſa methodus nequit certis præceptis includi, ut illis ſervatis ex rei natura perpetuo quis operetur; cujuſmodi eſt norma cudendi enſis, vel clypei, vel conſtruendi templi, & ſimilium, quæ certis artis regulis adhibitis nunquam irrite aggredimur. Nullum præceptum in re medica, ut notat Celſus, perpetuum eſſe poteſt, & in quocunque Ægrotante ſemper exequendum, ſed ſola ratio omnibus præceptis antiquior, eorumque inventrix, dux eſſe poteſt ad quoslibet morbos in quacunque rerum varietate fauſte curandos. Juſſit Hippocrates in principiis morborum non eſſe purgandum, niſi materies turgeat, & jactetur.

*Lib. 3. de natura Deor.*

*In Præfat.*

Ideo-

Ideone in magna redundantia humorum non turgentium per initia temperandum erit a purgante? Quinimmo multo magis methodo præcellam, ſi, ut ratio ſuadet, expurgationem tentaverim, quam ſi mandato Hippocratis obſequuturus, omiſerim; atque id ipſum Hippocrati repugnare crediderim, qui nihil pro re nata, & hortante ratione non immutandum præcepit; dum medicina, ut ait, nunc, & ſtatim non idem facit, & ad eundem contraria facit, & hæc etiam contraria ſibi ipſis; monetque Galenus curationes morborum ad unguem exacte ſcribi non poſse, ſed quanto quis plura diſcreverit, & limitaverit, eo propius ad ultimum accedere, quod dici nequit, & ſcribi. Quid igitur univerſim in medicina præſcribi poteſt, quod cuicunque rerum differentiæ in ægrotante obſervabili appoſitum ſit? Imo ab horum doctrina, quos anteſignanos ſequimur & magiſtros, frequenter in graviſſima errata contruderemur, niſi methodus, ac præcedens ratio limitationes, & multiplices exceptiones oſtenderet. Non ſane dogmaticæ medicinæ præſtantia eo refertur, ut Hippocratis, & Galeni mandata generatim edicta ad unguem obſervemus, ſed graviore conjectura ad medicationem utamur, vera ſolummodo, aut ſimiliora veri conſectati, ſive eorum doctrinæ conſentiant, ſive reluctentur. Neque vero illius profeſſoribus, ſicut Ægiptiis, pęna capitis indicta eſt, ſi majorum præceptis minime pareant, aut medicamentum uſurpent, quod in ſacris libris publica auctoritate confirmatis, minime contineatur. Hæc animo ſuo verſet, qui methodum colere præ ſe gerit, ac tandem abſterſa populari caligine non communes, ſed pro-

*De Loc. in homine num. 50.*

*Lib. 3. Meth. cap. 3.*

E prias

prias cujuſque morbi curationes nactus medicinam e triviis, atque lutulentis officinis educet, graduque ſublimiore collocabit, non tantum ex vulgi rumore, ſed re apſe rationalis, longeque utilior humanæ ſaluti. Magna nominis pompa, rationalem vocari, ut ab Empiricis, & Circulatoribus quis diſtinguatur, ſed intelligat ſuum eſſe ſemper in ratione verſari. Ut enim tota philoſophia, teſte Tullio, ex rationum collatione conſtat; ſic medicina rationalis, quæ pars eſt philoſophiæ valetudini proſpiciens, quamque Galenus logicam appellat, ſuum munus explet rationem, & agnitorum conſequentiam conſectando; cum omnis curationum felicitas pendeat ab intima cognitione curandi morbi indice, & præceptrice remedii.

*Lib. 4. Tuſcu. quæſt.*

*Lib. 2. Meth. cap. 4.*

Cognita natura methodi medendi, liquet qua ratione medicus reliquas obeat functiones, hoc eſt, præſervationem, & conſervationem. Tres enim ſunt medentis functiones, curatio, præſervatio, conſervatio, ſecundum celebrem Medicinæ definitionem, qua ſtatuitur a Galeno ſcientia ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum. Salubri corpori conſervatio debetur, neutri præſervatio, inſalubri curatio, quibus totidem agendi methodi reſpondent, quarum altera medetur morbum præſentem depellendo, altera præſervat futurum arcendo, tertia præſentem ſanitatem conſervat. Cæterum eadem eſt omnium natura, eodemque modo ad ſcopum omnes contendunt. Ut enim methodus medendi ex notitia offendentis invenit auxilium; ita præſervandi, conſervandique ex eorum notitia, quæ præcautionem petunt, aut cuſtodiam.

CA-

## CAPUT II.

### *De Methodi medendi diviſione.*

CUm omnis diſtinctio ex rei diverſitate oriatur, inquirenda methodi diverſitas eſt, ut inde conſtet ſitne in plures partes, & in quales tribuenda; quam inveſtigationem ordior ab examine communis methodi diviſionis a ſcholis traditæ in generalem, & particularem. Generalis, ut ajunt, tradit præcepta, quibus tractanda ſunt ſingula morborum genera ſimilarium, organicorum, & communium: Particularis ea, quibus ſingulæ morborum ſpecies a capite aduſque pedes curandæ ſunt, quæ diviſio tota extrinſeca eſt ſumpta a diverſa materie methodo ſubjecta, nihil intrinſecus diverſum denotat. Neque vero ulla excogitari poteſt in methodo diverſitas, quæ, ut ait Galenus, via quædam univerſalis eſt omnium particularium communis; nec alia methodo invenitur curatio febrium, alia vulnerum, alia inflammationum, alia generum, alia ſpecierum morborum, ſed una eademque immutabili; quemadmodum una eademque arte ſyllogiſtica, iiſdemque legibus contenta diſſerimus de univerſalibus, & particularibus, de divinis, & humanis, deque omnium, & ſingularum rerum natura. Itaque methodus conſiderata a rebus ipſis, quas verſat, abjuncta nullam habet diverſitatem, neque recipit diſtinctionem generalis, & particularis. Conſiderata porro ut applicata rebus, harum diverſitate quodammodo imbuitur, & hoc reſpectu eam partimur, uti indicationem

*Lib. 4. Meth. cap. 4.*

opus intellectus methodum adhibentis, in communem ſeu genericam, ſubalternam, & ſpecificam, quas differentias affingit nocens ſub diverſa ratione intellectui repræſentatum, hoc eſt, communi, ſubalterna, & ſpecifica. Hinc habes cur Galenus modo ſcripſerit una eademque methodo omnes morbos curari, modo cuique morborum ſpeciei ſuam eſſe methodi ſpeciem, totque methodos, quot ideas morborum. Nimirum unica eſt methodi forma, materia, cui applicatur, multiplex, & diverſa, cujus conſideratione methodum in tot partes ſecamus, quot materiam ipſam, totque dicimus eſſe methodos medendi, quot ſpecies affectionum. Siquidem deprehenſa proprietas ægrotationis ab alia differentis demonſtrat ſingulare remedium, & harum proprietatum cognitio methodum particularem conſtituit, quæ non alio pacto diſci, docerive poteſt, quam medullitus exploranda, exponendaque indole cujuſque morbi, e qua innoteſcit privata contrarietas, & in hac ſpeciale remedium. Atque Galenus ſingulares methodos edocturus totum ſe confert ad perſcrutanda diligenti ratiocinio affectuum diſcrimina, & inde manantes indicationes. Verum has particulares methodos utpote non ab ipſa forma, ſed agitata materie derivatas non ſimpliciter particulares appellare placet, ſed cum Galeno quaſi particulares. Itaque ſicuti ſyllogiſmus a logicis dividitur ratione materiæ in logicum, phyſicum, ethicum, metaphyſicum, atque in alios, ut eſt multiplex, & diverſa materia ſubijciens argumentationem; ſic methodus medendi in tot partes, ſive quaſi particulares methodos tribui poteſt, quot ſunt diverſi morbi, in quibus uſurpatur: eoque

*Lib.4. Meth. cap.1.*

*Lib.4. Meth. cap.1.*

mo-

monuit Galenus oportere non tantum methodi generalitatem didiciſſe, ſed etiam in ſingulis ejus partibus exercitatum eſſe: utiliſſimum plane monitum. Parum eſt ad medendum præparatus, qui ſolam medendi generalem rationem tenet, neque mentem exercitavit in expendendis affectuum differentiis, & perſpiciendis inde ſequentibus indicationibus, in totum ſimilis ei, qui callens artem argumentandi omnibus diſciplinis communem, earum materiem ignoraret, in qua propterea nequiret artem ſuam adhibere, nec eadem in aliis ſcientiis proficere. Item conſideratione materiæ aliam methodum demonſtrativam vocare potes, aliam probabilem, ut res in quibus verſaris, diverſas cognitiones ſuppeditant, ſcilicet alias demonſtratione fultas, alias opinione. Omnis enim opinio, ut ait Tullius, ratio eſt.

Hoc loco animadvertendum eſt methodum medendi non conſiſtere in collectione præceptorum, uti ſentire videntur, qui eam partiuntur in generalem, & particularem ratione præceptorum generalium, & particularium, quibus genera, ſpecieſque morborum tractantur. Methodus eſt habitus, inſtrumentumque intellectus ex noto excitans cognitionem ignoti, quo inveniuntur præcepta, non præceptorum acervus. Præcepta vero inveniuntur methodo, quando rebus applicatur; eaque ſunt inventa methodi, non methodus ipſa; & iccirco claritatis gratia, ſicuti logica ſolet dividi in docentem, & utentem; ſimili modo methodum diſtinguimus, & præcepta medica nuncupamus methodum utentem, ſive rebus immerſam, & in uſum redactam; quemadmodum Ariſtoteles pluribus in

locis

locis ſcientias ipſas, ac diſciplinas methodos appellat, quod quælibet ſcientia in uſu methodi conſiſtit.

Methodus medendi ratione finis diſcriminatur ab aliis duabus præcavendi, & conſervandi, ſed cum iis ſemper, aut ſæpiſſime conjungitur. Medetur ſimul, & præſervat Medicus, dum morbi præſentis cauſam amolitur; acciditque ſæpiſſime, ut adſint cauſæ amoliendæ, & methodi medendi, præſervandique copulentur. Semper autem methodus medendi aſſociatur conſervatrici; eodemque tempore, quo morbum profligare conamur, animum intendimus ad tuendum corpus, quod ſanum reddere volumus, adminiſtrando remedia, quæ quidem ægrotationi adverſentur, non tollant vires ſuſtinendo morbo neceſſarias.

## CAPUT III.

### *De fine Methodi medendi, & curatione.*

FInis methodi medendi eſt amiſſæ ſanitatis reſtitutio, ut liquet ex ipſa methodi medendi expoſita definitione; quem tamen finem obtineri non ſemper patitur mortalis hominum conditio. Nec ideo inutilis reputanda methodus eſt, aut vana, qua nempe ſemper docemur apta auxilia ad deperditam ſalutem revocandam, licet nequeat identidem revocari. Propterea cum Tullio neceſſum eſt ſecernere officium medici a fine, uti ſecernitur officium Rhetoris a fine; cujus munus eſt ut dicat appoſite ad perſuadendum, finis dictione perſuaſio; ſimilique ratione dicimus noſtrum officium eſſe curare appoſite ad ſanandum, finem curatione ſanare.

*De inventione.*

re.

re. Nil aliud igitur ſubeſt medici poteſtati, niſi congruens remediorum adminiſtratio ad ægros ſanandos, quam curationem appellamus non modico diſcrimine a ſanatione diſtinctam, quæ fit a natura, definiturque a Galeno præſens in corpore vitioſi affectus in naturalem habitum mutatio. Hanc tamen adjuvat medicus convenienti præſtito medicamine, cujus vires evocat natura, ſibique apponit ad opus perficiendum; unde celebre ſenis effatum, naturas eſſe morborum medicatrices, miniſtrum medicum. Neque ſane alio pacto pleriſque morbis conſuli poteſt, quam naturæ opificium appoſitis pharmacis promovendo. In aliquibus tamen propulſandis princeps medicus eſt, veluti quando luxatos artus reponit, disjuncta labra vulneris adducit, excreſcentem ſupervacuam carnem præcidit, vel alia hujuſmodi manu conficit. In aliorum tamen curatione ut plurimum primas obtinet natura. Ideo Medicus etſi peritiſſimus, ac diligentiſſime ſuam operam ægrotantibus navet, non ſemper exoptatum finem ex imbecillitate naturæ conſequitur, qui tamen proprio munere apprime functus eſt; uti Rhetor, qui dixerit apte ad perſuadendum, licet minime perſuaſerit. Ut autem ille ſuo munere recte fungatur, in tria mentem defigat oportet, in convenientem qualitatem, quantitatem remedii, utendique rationem. Quicquid enim hominibus utilitatis gratia admovetur, & remedium vocatur, cum auctore definitionum ex illis tribus componi ſtatuimus, quæ curationis ſcopi appellantur. Qualitas remedii, auctore Galeno, eſt ipſum genus remedii, quod certo ægrotationum generi adverſatur, uti cum deliberamus refrigerandum, vel calefaciendum eſſe,

*Lib. 9. Meth. cap. 15.*

*Lib. 1. ad Glauconem cap. 1.*

con-

conſtringendum, vel laxandum; quo invento quid agendum ſit, tenemus. Quantitas remedii duo complectitur, gradum, ſive menſuram, ut ita dicam, qualitatis, præterea pondus materiæ remedii, quod doſis nuncupatur. Sit genus inventi remedii frigiditas; quantitas erit frigiditas intenſa, vel remiſſa, qualis ab Ægritudine propulſanda denotabitur; quæ quantitas apte vocatur etiam genus ſpecificum, ſeu differentia remedii, quæ reſpondet differentiæ morbi. Vis hujus in calore poſita genus eſt morbi, genuſque ſolum remedii declarat; eademque duorum, vel trium graduum differentia calidi morbi eſt, & remedii differentiam definit, quove ſit agendum gradu. Nonnulli cum Riverio confundentes quantitatem remedii cum quantitate materiæ, nomine quantitatis remedii doſim intelligunt, creduntque hoc pacto ſe ſe rectius philoſophari. Verum ſicuti ſolet diſcriminari remedium ab ejuſdem materia; ita proculdubio diſtinguenda eſt quantitas remedii a quantitate materiæ, quæ in ſolius ponderis menſura continetur; idque diſcrimen indicavit Avicenna aſſerens ad regulam eligendæ quantitatis pertinere menſuram ponderis, & qualitatis, hoc eſt gradus, quem quantitatem remedii facimus, non materiæ. Cum igitur medicus indagat cujus intenſionis qualitas excitanda ſit, in remedii quantitate, & menſura verſatur: deliberans pondus materiæ, cui qualitas inhæret, tractat quantitatem materiæ remedii. Utendi ratio tribus concluditur, modo, loco, & tempore. Dum expendimus utrum idem pondus remedii debeat unica vice totum, an pluribus diviſum offerri, & qua forma ſolida, an liquoris, agimus de modo. Locus eſt pars, cui admovendum eſt

*Lib.* 1. *Fen.* 4. *Doc.* 5. *cap.* 1.

auxi-

auxilium, aut per quam abigendus morbus. Tempus ſignificat occaſionem agendi, quæ nihil eſt aliud, quam diſcrimen temporis, quo licet utilius remedium porrigere, quod duplex eſt, aliud magis extenſum complectens tempus univerſale ægrotationis, contractius alterum, ipſaque hora uſurpationis remedii. Nec enim ſatis eſt medico noſcere in ſtatu univerſali affectionis, puta, ciendum eſſe ſudorem, niſi pariter horam ſciat eligere. Porro ex temporis obſervatione ordo pariter agendorum elucet, cum multiplicia requiruntur auxilia; iſque in curationibus omnia ordinate diſponit, qui apto tempore ſingula exporrigit.

Hiſce tribus curationis ſcopis a Galeno, aliiſque conſtitutis Argenterius novum adjecit, monens ad curationem ſcite præſtituendam non eſſe protinus conſiderandum quid agendum ſit, ſive remedii genus veſtigandum, ſed prius utrum agendum, idque primum cujuſcunque actionis ſcopum ab aliis prætermiſſum decernit. Natura, inquit, & medicus agere poſſunt, ac cum ſæpe ſolius opus naturæ in ægrotis deſideretur, imperiti medici, dum videri volunt ſibi aliquid eſſe agendum, graviter eos lædunt opere naturæ interpellato: quod ultro concedimus Argenterio, & primum attente penſitandum eſſe an ſit agendum; quæ tamen conſideratio ſcopus curationis non eſt. Aliud eſt actionem deliberare, aliud ejuſdem ſcopos deſignare. Operis deliberatio ipſum opus præcedit, cujus propterea ſcopus eſſe nequit. Rectius igitur conſideratio utrum ſit agendum, ſcopus officii medici diceretur, quam curationis, quæ congruens remediorum adminiſtratio eſt, denotatque medicum operantem, & opus deliberatum.

*Lib. 1. de arte cur. ad Glau. lib. 1. cap. 9.*

F Quem-

Quemadmodum tres ſunt primarii curationis ſcopi; ſic conditiones, celeritas, ſecuritas, & jucunditas. Si ægrotantem interrogemus qualem a medente operam exoptet, nil aliud reſpondebit, niſi ut cito, tuto, & jucunde curetur. Quid enim melius requirat æger, quid afferat medicus? Cita vero continget curatio non relicta medendi occaſione, & opportunitate, quæ ſola proſperam, optatamque celeritatem parere poteſt. Nec enim medicaminum frequentia, & repetitio ſanitatem accelerat, ſed opportunitas, ſine qua ipſa medicamina ſæpe ſunt impedimenta citæ ſanationis, interdum cauſa mortis. Proinde Hippocrates mandat ut medicus ſtudioſe, ac frequenter ægrotantes viſitet, ut probe cognito morbo genuinam arripiat agendi occaſionem, ſine qua neque prompta, neque ſecura inſtitui poteſt curatio. Non levius enim, & ſæpe gravius peccari poteſt, oblatis intempeſtive remediis, quam pro data occaſione prætermiſſis, hiſque de cauſis non tam retardari ſanatio, quam dubia reddi. Quocirca dum feſtinam curationem conabimur, idoneum tempus auxiliorum aucupantes etiam tutiorem efficiemus repreſſis iis, quæ neglecta, vel mitius tractata impetu ſuo progrediuntur, perimuntque. Unde non ſemper facit ad curationes tutandas illud commendatum a multis, & noviſſime a Bohnio *feſtina lente*, perinde ac ſi uſurpanda tanquam tutiora ſemper forent remedia minus violenta, & viribus infeſta. Non minus violentia medicaminis, quam morbi vires proſternere poteſt: quo coercito earum jactura a validiſſimo remedio illata abunde compenſatur; eoque extremis morbis extrema exacte remedia juſſu Hippocratis opponenda ſunt. At ſæ-

*De Decenti ornatu.*

*De officio medici in genere cap. 9.*

pe

pe lenta præſidia ut ſecuriora eligimus ignoratione quantum morbus exigat, quantum vires ferre valeant, metuque inde nato querimoniæ domeſticorum, & vulgi, niſi eventus reſponderet: hincque ortum putem in præſens generoſiora doctiorum Veterum remedia obſolevisse; atque medicinæ pene omnem existimationem exaruiſſe. *Serpit humi tutus nimium, timiduſque procellæ* cecinit Horatius de Poetis; ſimiliterque medicus nimium ſecurus, neque tam ægrotantis, quam propriæ jacturæ formidoloſus nihil magni molitur, nihil quod artis imperiti ſuſpiciant, admirenturque. Eum tamen audacem nolo, & inconſideratum, ſed duntaxat doctrina, uſuque præparatum ad Hippocratem, & Galenum imitandos, quos accepimus vehementibus morbis fortiſſimis remediis obſtitiſſe, & curationum ſecuritatem ab occaſione quæſiviſſe, non abſtinentia, vel extenuatione grandium auxiliorum. Itaque præceptum *feſtina lente* idem apud me audit, quod matura, hoc eſt age tempeſtive. Celeritati, & ſecuritati curationis addenda eſt, quantum permittitur, jucunditas, quæ reddit ægrotantem conſtantem, promptumque ad remedia, lenit morbi moleſtiam, recreatque animum, & vires jacentis. Dicitur enim jucundum, auctore Tullio, ex eo quod animum juvat, & corpus. Tanti jucunditatem curationis fecit Hippocrates, ut undique comparari velit, & omnia gratioſe adminiſtrari. *Laborantibus gratiæ, ut munde facere aut potus, aut cibos, quæ videt, molliter quæcunque tangit, ſed non ut valde lædant, aut non bene emendabiliter, ut frigida, ubi hac opus eſt. Introitus, ſermones, figura, veſtis, ægrotanti, tonſura, ungues, odores,* in

*Lib. 2. de finib.*

*Lib. 6. Morbo popu. ſec. 4.*

quibus conſiſtit œconomia circa ægrotantem, quam paulo ante commendaverat, hoc eſt accurata adminiſtratio eorum omnium, quæ aliqua ratione conducunt ad levamen laborantis, quorum omnium medicus eſt moderator juſſu, vel executione. Omnia vero ad jucunditatem, & gratiam compoſita ſint oportet, tum quæ ad medicamenta, tum cibum, potumque, tumque alia externa pertinent. Quinimmo tanti intereſt ad ſalutem ſarciendam omnibus adminiſtrandis jucunditatem aſpergere, ut quædam etiam eius cauſa cum aliqua noxa, ſed reparabili judicet Hippocrates concedi; ut plane mirer aliquando ſine delectu a quibuſdam propinari pharmaca viſu fœda, & aſpera guſtatu, qui niſi ſatis edocti ſunt a Coo, ſaltem a pharmacopolis erudiri potuiſſent, qui tetrum pharmaci aſpectum argenteis, vel auratis calicibus mulcent. *Paulo deterior potus*, inquit Senex, *& cibus ſuavior tamen melioribus, ſed in ſuavioribus magis expetendus*; (Apho. 38. ſec. 2.) exiſtimoque ſimiliter medicamenta, quæ niſi blande attrectant, ſaltem ingrato ſapore minime feriunt palatum, aliis longe utiliora eſſe, ſi præſertim diu iteranda ſint, utpote quæ melius a ventriculo comprehenduntur, & ſubiguntur. Genus etiam quoddam eſt jucunditatis in curatione, ſi ſuperfluis careat, neque iis remediis frequentetur, quæ certam moleſtiam creant, nullum evidens præſtant levamen. Quanto jucundiorem curationem plures medici ſæpius efficerent, ſi clyſteres minus frequenter iterarent, vel caſſiæ flores, aut alia irritamenta, conceſſo naturæ debito ſpatio, quo ſolet ipſa ſponte redundantia evacuare: ſi pro data occaſione prætermitterent ſerapia, decoctiones, quas alteran-

terantes vocant, bolos ex pretioſis lapillis, aut ex oculis cancrorum, matris perlarum, & ſimilium, quorum virtutem, uti placuit Sanctorio, penitus non reijcio. Nonnunquam prodeſſe poſſe fateor: ſæpius tamen ſupervacanea eſſe, & puram putam moleſtiam profiteor. Hanc igitur reputes magnam jucunditatis partem in curatione ſuperfluorum abſtinentiam more Majorum, quorum ætas bono fato ægrotantium tot ſuperfluitatibus vacua fuit: atque ſollicitus magis eſto de opportunitate remediorum, quam de uſu vulgari. *Lib. 13. cap. 4. de Meth. vitand. err.*

## CAPUT IV.

### *De Curationis differentiis.*

TRia ſunt præter naturam, quæ noſtris corporibus negocium faceſſunt, & perniciem intentant, cauſa morbi, morbus, & ſymptoma, quibus propulſandis dum medicus allaborat, curare dicitur, ampla tamen curationis ſignificatione, aſſeverante Galeno veram & propriam curationem tantum eſſe, quæ vertitur in morbo depellendo, uti pariter a nobis definita ſuperius fuit. *Lib. 11. Meth. cap. 2.* Curationis finis ſanitas eſt, cui ſolus morbus proprie, & in eodem genere opponitur, ut a ſolo morbo auferri poſſit, atque per ſolius morbi ablationem reſtitui. Quoniam ex morbis evadimus, ſanique reddimur, cum præſens in corpore morbus, hoc eſt præternaturalis conſtitutio in naturalem habitum mutatur; quæ mutatio ſoli morbo accidere poteſt, non cauſæ, non ſymptomati, quæ non ſunt conſtitutiones, habituſque præter na-

turam

turam primo, & per ſe ſanitatem deſtruentes. Cauſa morbi præſentis amotio vocatur & ipſa curatio, quamvis ſententia Galeni ſit miſtum genus ex vera curatione, & proviſione, ſoloque nominis abuſu curatio nuncupetur. Morbum ſequuntur ſymptomata, velut umbra corpus, quæ per morbi ablationem funditus evertimus, interdum autem morbo relicto tantummodo mitigamus. Ablatio ſymptomatis per morbi expugnationem ejuſdem curatio non eſt, ſed morbi, a quo dependet, in quem jaculantur remedia, non in ſymptoma. Hujus vero mitigatio nondum excuſſo morbo non differt ab actione, qua cauſa morbi præſentis adimitur. Etenim, ut tritum eſt, ſymptoma, qua ſymptoma, neque curandi rationem indicat, neque primum immutat, ſed ſolum ex accidenti, quatenus cauſæ vicem gerit; quippe quod ſolum lenire maturamus morbo ſuperſtite, quando hunc auget, vel vires atterit, in utroque caſu tanquam cauſa infeſtum, ut ſæpe accidit ab actionum offenſa, eorumque, quæ retinentur, vel excernuntur præter naturam. Ergo ſicuti cauſæ amotionem laxiore ſignificatu curationem vocamus; ſimiliter ſymptomatis lenimentum cauſæ rationem adepti nuncupamus, ne nomina, & medicinæ partes perperam cum Argenterio multiplicemus, qui ex ſymptomatum mitigatione mediam fecit medicinæ partem inter eam, quæ curat, ac præſervat, mitigantis nomenclatione diſtinctam. Nulli tamen ſuccenſebo, neque pluribus repugnabo, quomodocunque vocet actionem, qua ſævientis ſymptomatis vehementiam ante morbi expulſionem retundimus.

*Lib. 11. Meth. cap. 2.*

*De Medic. offic. lib. 1.*

Hactenus duplex inventa eſt curatio, altera propria,

pria, abſolutaque ſolius morbi ablationi conveniens, ſive ablationis conatui; altera latius accepta, quæ cauſæ præſentis ægrotationis amotioni, & ſymptomatis mitigationi communis eſt. Ex iiſdem fontibus fluxit alia diviſio curationis in legitimam, & coactam. Illam vocant quæ morbum expugnatura prius tollit cauſam, a qua producitur, vel conſervatur productus, præter Galenum manifeſta ratione docente in omnibus morbis, in quibus effectrix cauſa manet, ab hac inchoandam eſſe medicationem, ſine cujus amolitione incaſſum in effectum certatur. Nec aliter procedit Tullius in curatione affecti animi, qui hujus cauſa inventa medendi facultatem inventam putat. Multis porro concurrentibus cauſis inter ſe nexis, & copulatis ad eandem affectionem gignendam legitime medetur, qui hunc ordinem ſervat, ut eam prius præcidat, quæ ceteras excitat, conſervatque, deinde ſenſim ad alias progreditur, donec ad morbum excidendum perveniat, niſi unam, vel plures, vel omnes cauſas una cum effectu excidere queat, quorum ablationem præſtat, cum licet eodem tempore, iiſdemque remediis moliri, quam diverſis temporibus, & remediis. Curatio, quæ dicitur coacta, & extraordinaria, ſuſcipitur, cum quidpiam interjicitur, quod ordinariæ curationis ordinem invertit, neque ſinit primo cauſam, vel morbum fugari, ſed cogit loco remediorum ad ſummovendam cauſam, vel morbum effectorem ſymptomatum, adhibere mitigantia cauſæ, vel morbo. Priſci dixere in extraordinaria curatione poſthaberi morbum ejuſque cauſam, adhiberi remedia ſymptomatis mulcendis. Re tamen penitus inſpecta in ea curatione non quidem pri-

*Lib. 4. Meth. cap. 4.*

*Lib. 3. Tuſcu.*

primario

mario conatu, morbi cauſæque quærimus ablationem, ſed ſymptomatum lenimentum, quo titulo extraordinaria curatio nominatur; ipſa tamen remedia ad morbum, vel cauſam eum aſperantem pertinent, unde pendent ſymptomata, velut umbra a corpore. Quemadmodum autem nequit umbra mutari, niſi aliqua ratione mutato corpore; ſic nequeunt ſymptomata ullam mutationem ſubire, niſi mutata cauſa, a qua pendent, tanquam umbra a corpore. Poteſt ne aboleri ſymptoma cauſa ſuperſtite? Nihil minus. Qui poterit igitur remittere ipſa ſymptomatis eſſentia, remanente prorſus eadem intenſionis cauſa? cum eſſentia ſymptomatis actu fluat ab ipſa cauſa: unde dicitur ſymptoma non habere permanentem eſſentiam. Exemplo aperiam, quo pacto mihi videntur miteſcere ſymptomata. Dum cruciantur inteſtina ab humore bilioſo, & ſomnifera propinamus ante illius evacuationem, icçirco cruciatum leniunt, quod ſpirituum motum, influxumque a cerebro in ſubjectas partes minuunt; & inde minus tenduntur fibræ, leviuſque punguntur ab aculeis bilis, ipſaque bilis minus agitata, & rarefacta mitius ferit. Ergo ſoporifera mitigant dolorem imminuta punctione fibrarum, commotione, & tenuitate pungentis bilis, cauſa doloris. Reliqua percurre ſymptomatum lenimenta, & niſi fallor, ſimili fere modo facta reperies. Pariter curatio coacta eſt, quando in morbis complicatis, urgentiori opponimur; idque cogimur præſtare remediis alios difficiliores curatu reddentibus, ne interea urgentioris effrænatione æger de medio tollatur. Non deſunt moroſi quidam, inter quos Argenterius, quibus diſplicet has curationes vocari coactas. Omnes legi-

legitimas eſſe contendunt, & ſecundum regulas artis peractas, nec inter ſeſe differre legitimam, & coactam, quos ſubtiliores reputo, quam ut medico conveniat. Non inficior ambas curationes pro ratione, & artis eſſe præſcripto: nihilo minus tamen apte vocatur coacta, in qua non poſſumus primo conari ablationem cauſæ utiliorem futuram ægroto; ſicuti dicimus coactam, & neceſſariam deliberationem in politicis, quando e duobus malis minus eligimus: quæ tamen rationabilis eſt. Fernelius agens de curatione extraordinaria hæc habet: *Qui methodum in omnibus pertinaciter nimium exquirit, pariter cum morbo plerumque hominem de medio tollit*; perinde ac ſi methodum deſereret, qui vel ſymptoma mitigaturus totam operam pellendo morbo non impendit; vel morbum vehementiorem repreſſurus alium difficiliorem efficit; cum tamen is ipſe optimam methodum ſervet, cujus hæc unica eſt immutabilis lex, ut cognitæ naturæ rerum dictata exequamur; quibus certe paremus, dum in morbis id primo compeſcere nitimur, unde majus impendet periculum, ſive id ſit cauſa, ſive morbus, ſive ſymptoma, quique ſecus faceret, non methodum nimis pertinaciter exquireret, ſed omnino negligeret. Illud tamen monendum eſt, ne nimis cito cogitemus de molliendis ſymptomatis, differamuſque remedia ad cauſam removendam, ut ſolent non pauci, qui, animadverſione Valleſii, præſentibus ſymptomatis plerumque territi, illiſque occurrentes morbos pleroſque producunt, & vix leviſſimos perſanant. Sæpe ignoratur vera cauſa ſymptomatum, qua domita ceſſarent, eoque a communibus mitigantibus confugium quæritur. Interdum ea manife-

*Lib. 1. Meth. cap. 6.*

*Lib. 2. Epid.*

ſta eſt, ſed validum contrarium expoſcens ſolum levioribus appetitur, cogiturque leviter peritus procraſtinatione morbi mulcimentum ſymptomatum quærere.

## CAPUT V.

*De ſummis rebus, circa quas verſatur methodus medendi.*

METhodo medendi corpus humanum ut morbo affectum ſubjicitur, quod duo complectitur, ipſum corpus humanum, ipſique inhærentem morbum, ut duo ſint in quibus verſatur methodus, natura humana, & ſuperadditus affectus, de quo quicquid conſideratur a medente ad naturam ipſam refertur, in qua moleſta ſuperaddita corrigenda, tollendaque ſunt, alia vero conſervanda, uti vires, & quæcunque naturales limites non exceſſere. Ideo medendi methodus, uti advertimus, inſeparabilis eſt a methodo conſervandi, hæcque duo in curationibus ſemper præ oculis habemus, naturam, morbumque, cujus propulſandi adminicula cuſtodiendæ naturæ conſideratione temperamus. Quia vero ex cognitione conſervandæ naturæ, morbique deſtruendi deprehendimus, quibus hæc poſſint auxiliis fieri, merito indicantia vocata fuere, quæ quaſi digito demonſtrant quicquid inveſtigat opifex ad opus ſuum feliciter obeundum. Cum alia porro indicet natura, alia nocens, illam dixere indicans vitale, quod indicet, quæ conducunt ad tuendam vitam, alterum indicans curatorium, unde declarantur nocentis aſpellendi inſtrumenta, in quorum adminiſtratione curatio repo-

reponitur. Hæc eadem aliqui malunt ſcopos primos curationis appellare, quam indicantia, eaque tria, quæ nos ſcopos curationis vocavimus, ſecundos ſcopos vocant. Nos indicantia a ſcopis ita ſecernimus, & nomine ſcopi intelligimus, quæ ſibi proponit medicus ad rectam curationem impetrandam, hoc eſt qualitatem, quantitatem remedii, utendique rationem. Indicantia vero nobis ſunt, quorum cognitione ſcopi adinveniuntur, ut ipſum nomen denotat indicantis.

Tres univerſim aſſignantur indicantis conditiones. Altera eſt ut indicans indicato notius ſit intellectui, quemadmodum præmiſſæ apud logicos notiores ſunt concluſione ab illis emanante. Propter quod unumquodque tale, & illud magis. Ut autem concluſio a præmiſſarum cognitione exoritur; ſic indicati notitia ab indicante præcognito. Secunda conditio indicantis eſt, ut unum indicans unum dumtaxat indicet, quæ manat ex contrarietate inter indicans, indicatumque. Cum enim contraria ſint quæ ſub eodem genere plurimum inter ſe differunt, atque in eodem genere duo tantum ſint extrema maxime inter ſe differentia efficitur, ut uni indicanti tantum unum opponi poſſit, & ab eodem indicari tanquam contrarium. Præterea ſingula indicant ratione ſuæ naturæ, quæ unica cum ſit, unum tantummodo denotare poteſt; ſicque morbus calidus pro curatione nil aliud demonſtrat tanquam ſuum contrarium niſi frigidum, non ſiccum, non humidum, non amarum, vel alia qualitate imbutum, quorum cognitio nequit ratione contrarietatis e calidi notitia proficiſci. Quod ſi affectus e pluribus qualitatibus conſletur, caliditate, & ſiccitate, remedium in totidem oppoſitis

ſitum eſſe oſtendet; nec ideo dicemus ab uno plura indicari, ſed à compoſito compoſitum, in quo reperitur tota contrarietas cum indicante compoſito. Idem valet de indicante vitali, conſervandoque, quod ratione ſimilitudinis patefacit inſtrumentum conſervationis, ſicuti curatorium ratione oppoſitionis inſtrumentum ablationis, & utrumque id unum, quod propriæ naturæ reſpondet, vel conſervationis, vel ablationis cauſa. Tertia indicantis conditio eſt ejuſdem in corpore præſentia, de qua dubitat, fuſeque decertat Villacorta intempeſtive argutus. Indicans, quod ſui cuſtodiam petit, vel demolitionem, inſit corpori neceſſum eſt in quo debet cuſtodiri, vel inde depelli, ut ambigi nequeat utrum præſentia indicantis requiratur. At Galenus docet parti calidæ ex proprio temperamento, ſi frigido morbo implicetur, calidiora remedia deberi, quam parti naturæ frigidæ eadem intemperie detentæ. Quæcumque, inquit, calidiores natura partes ex frigore laborant, hæ liberalius, & diutius calefieri poſtulant. Cum autem certum ſit partis calidæ frigido affectu laborantis corruptum eſſe temperamentum, quo pacto id poterit calidius medicamentum exigere, dum abeſt? Hinc ortæ ſunt multæ velitationes, & litigia, quæ ſic declinanda. Pars prædita temperamento calido, cum frigido morbo afficitur, non indicat calidiora remedia, quam morbus requirit, totaque indicatio remedii calidi ab ipſo morbo præſente accipitur. Eſto: pars aliqua frigidi temperamenti corripiatur morbo duobus numeris calido. Petit iſte remedium duobus numeris, vel aliquanto frigidius, quo ſolo admoto pars naturalem temperiem recuperabit. An igitur in

*De Meth. med. cap. 5.*

*Lib. 7. Meth. cap. 13.*

hac

hac curatione temperamentum partis, quod deeſt, aliquid indicat? Nihil ſane. Nec enim indicare poteſt frigidius remedium, quam morbus pro ſui expulſione poſtulat, quod totum cum a morbo ſignificetur, nulla indicatio remedii frigidi a partis temperamento deſumitur. Temperamentum itaque partis deſtructum, & alia quæcunque abſentia hac ſola ratione declarare poſſunt, & indicare remedium, quod patefaciunt gradum morbi, quem dignoſcere difficillimum eſt; & multa meditanda ſunt ad eum definiendum, inter quæ partis eſt temperamentum majorem, vel minorem receſſum a ſtatu naturali ſignificans. Temperies, puta, calida partis ſubinde morbo frigido obſeſſæ præbet conjecturam longiorem eſſe digreſſum a ſtatu naturali, quam ſi pars frigida natura foret; & hac ratione calidius remedium petit, non tamen proprie, ſed tanquam indicium longinquioris a naturali temperie receſſus, ut docuit apertiſſime Galenus. Quippe, ait, in morbis affinibus temperamento ægrotantis parvus eſt lapſus in id, quod præter naturam eſt, breviorque reditus in id, quod eſt ſecundum naturam. Quare & in contrariis morbis major erit lapſus, difficiliorque reditus: quem lapſum, & reditum oſtendens temperatura partium deperdita interventu morbi remedium dicitur deſignare. Similiter judicandum eſt de indicante vitali, hoc eſt de viribus, quæ abſentes nequeunt alimentum, ſuique cuſtodiam indicare, quocumque tandem conatu repugnet Villacorta. Quanquam enim in morbis habita ratione virium præteritarum ſemper plenior victus præſcribitur athletico corpori, quam gracili, non ideo uberioris alimenti indicatio ſumitur a viri-

*De Meth. med. cap. 5.*

viribus abſentibus, ſed hæ tantum indicio ſunt ad cognoſcendas præſentes, quibus plus cibi debetur; quæ cognitio ex cognitione dilapſi, præſentiſque virium ſtatus exoritur, ſine qua præfiniri victus idoneus nequit. Nil igitur niſi præſens ſui cuſtodiam, vel demolitionem indicare poteſt, licet ad rectam curationem inſtituendam alia ſint conſideranda, quæ indicantia ſecunda nuncupantur. Itaque cum ſcholis partimus indicantia in prima, & ſecunda. Illa dices, quæ per ſe, & propter ſe adhibendum remedium demonſtrant, expoſitiſque conditionibus donantur, duoque tantum ſunt, nocens, & natura, quorum alterum amoliri conamur, alterum conſervare, & utrumque principaliter oſtendit, quibus adminiculis opus peragi debeat. Nec enim aliud eſſe poteſt quod tollitur, vel conſervatur, aliud quod conſervationem, vel ablationem poſtulat. Quod ſi aliquando Galenus illis primis indicantibus tertium adjecit, ambientem nos aerem; ad huius neceſſitatem reſpexit, ſine quo neque morbus adimi poteſt, neque ſanitas poſſideri: ac proinde paulo poſt ea tria ad duo tantum reduxit, ſanitatem, & morbum: qui propterea minime meritus eſt vellicatum Argenterii, quaſi tractationem indicantium pervertiſſet, omniaque confudiſſet. Secunda indicantia ſunt, quæ non ratione ſui, ſed interventu primi indicantis medicationem deſignant ipſi primo indicanti adhibendam. Quicquid igitur primo indicante præpoſito aliqua ratione conducit ad moderandam curationem, ſecundum indicans appello, quod multiplex eſt, nec omne eodem modo conducit, ſed aliud demonſtrando facilem remedii tolerantiam, aliud majorem, vel mi-

minorem quantitatem, aliud cito dandum remedium, aliud differendum, alioque aliud modo. Porro non minus regimen curationis diſcimus ex iis, quæ remedium indicant, quam quæ impediunt, vel contra indicant, neque minore diligentia inveſtiganda ſunt ſi qua occurrunt impedimenta, vel contraindicantia, quam ipſa indicantia. Id autem intereſt inter impedimenta, & contraindicantia, quod illa interdicunt uſum poſtulati remedii, nec indicant contrarium, cujuſmodi eſt virium infirmitas, quæ impedit fortem vacuationem petitam a cauſa morbifica eidem ferendæ impar, neque contrarium expoſcit: contraindicantia vero vetant executionem poſtulati auxilii contrarium indicando, veluti ſi eodem in corpore duo contrarii morbi forent, aliorum vaſorum obſtructio, aliorum apertio, quarum altera contrarium alteri poſceret. Ad hæc, ſi placet, potes diſtinguere contraindicantia in primaria, & ſecundaria, ut primaria ſint, quæ per ſe, & ratione ſui contrarium exigunt; ſecundaria, quæ interventu primi indicantis, & ſolent a ſcholis vocari correpugnantia, quæ nihil aliud ſunt quam ſecunda indicantia concurrentia cum primis ad indicandum contrarium in oppoſitis morbis idem corpus affligentibus. Omnia vero indicantia ſecundaria, impedimenta, & contraindicantia deſumuntur ex rebus naturalibus, non naturalibus, & præter naturam, quæ ſingulatim infra exponemus.

Indicantis cognitioni conjungitur altera indicati, quæ duo ad ſe ſe mutuo referuntur veluti cauſa, effectuſque; atque ſicuti cauſa conſtituitur ab effectu; ſic indicans ab indicato, totaque utilitas ab indicantis cogni-

gnitione reportanda penes indicatum eſt, quo medicus munere ſuo fungitur; eoque indicatum univerſim acceptum nihil eſt aliud, niſi auxilium ab indicante patefactum ad finem artis ejus opera conſequendum, quod etiam a Scholis ſolet nuncupari utile, remedium, ſcopus. Omne indicatum appoſite dicitur auxilium, non remedium, ſi nomine remedii cum Galeno intelligitur ſolum quicquid corpus juvat, dum ad naturalem ſtatum reducitur. Latius tamen aliquando ſumitur pro quocunque medico inſtrumento, qua ſignificatione omne indicatum remedium eſt. Omnis indicati conſideratio ad tria refertur, ad qualitatem, quantitatem, utendique rationem, quæ ſcopos rectæ curationis præſtituimus. Is enim recte curat qui congruenter indicatum adminiſtrat, videlicet quale opus eſt, debita quantitate, & ſervata utendi ratione, quæ complectitur idoneum tempus, modum, & locum. Indicatum ſemper unicum eſt, cum indicans unum tantum, ut oſtendimus, indicet; materies indicati multiplex, quæ neceſſario ab indicato ſecernitur, & aliunde diſcitur, non ab indicante. Ut cognovero morbum eſſe calidum, pro certo habeo frigidum remedium requiri, non tamen lactucam, ſolanum, cucurbitam, & ſimilia, quæ cognitio petenda eſt ex tractatu de medicamentorum facultatibus; atque, ut ſcienter advertit Galenus, methodum præcedit, quæ ſolum proponit univerſalia, hoc eſt refrigerandum, vel humectandum, idque genus alia, non remedii materiem, quæ in particularibus poſita eſt; eoque diſtinguenda ab indicato, quod unicum eſt univerſale, & a ſolo indicante declaratur, quod tamen particularia non declarat. Quicquid igitur adhibetur

*Lib. 3. Meth. cap. 5.*

betur ad ſatis indicationi faciendum, neque per indicans proxime patefit, materiem indicati, & remedii voco. Nodum autem in ſcirpo quærens Villacorta non approbat hanc diſtinctionem inter remedium, & remedii materiem, qui affirmat hæc duo formaliter non differre. Quoniam non dicitur lactuca, aut cichorium materies remedii frigidi ratione ſubjecti, ſed frigiditatis, quæ generice una eſt & ſpecifice, licet habeat diverſa, quibus inhæret, ſubjecta. Quemadmodum igitur albedo ſemper eſt una, ſive inſit papyro, ſive parieti, aut ſericæ vittæ; ſic concludit frigiditatem diverſarum rerum ſemper unam eſſe, idemque de reliquis qualitatibus, qua quidem ſubtilitate nihil evicit. Ultro fateor non tolli unitatem albedinis, frigiditatis, caliditatis, & alterius cujuſcumque qualitatis, tametſi rebus ineſt valde diverſis: qua de cauſa licet remedii materies ſit multiplex, non multiplicatur remedii ſpecies, quæ indicatum nuncupatur. Eſt nihilominus remedii ſpecies diſcriminanda a variis rebus, quibus ineſt, ſicut albedo a diverſis albis particularibus. Ex notitia calidi morbi cum deprehendo frigidis utendum eſſe, hac communi notione omnia frigida complector, non quidem inde cognoſco uſurpandam eſſe lactucam, vel cucurbitam, vel aliud particulare, niſi aliunde didicero hæc ipſa quæſita frigiditate donari; quo nomine ſpecies remedii, ſive indicatum ab ejuſdem materie appoſite diſtinguitur.

*De Meth. cap. 10.*

## CAPUT VI.

### *De Naturæ indicatione primaria.*

LAte patet naturæ conſideratio, eique tota impenditur phyſiologia ampliſſima medicinæ pars, reliquarum principium, & fundamentum. Methodus autem medendi phyſiologia poſterior ſolum de natura tractat, qua indicans eſt, & primo quidem auxilii virium conſervandarum, ſine quarum cuſtodia nihil utiliter adminiſtrari poteſt adverſus morbum, neque ſanitas ſperari: eoque nomine naturæ hoc loco præcipue intelligimus robur corporis, ſeu facultatum omnium, quo prompti efficimur ad functiones valide, & ſecundum naturam obeundas, quod a tribus oritur, ſpiritu, humoribus, & ſolidorum ſubſtantia. Spiritus, & humores naturalem virtutem corpori præſtant convenienti qualitate, & quantitate, influxuque in partes ſolidas. Hæ vero ad idem concurrunt, ſi naturalem temperiem habent, atque convenientem ſubſtantiam, hoc eſt, præditam debitis ſecundis qualitatibus, denſitate, raritate &c. quas Fernelius revocat ad materiæ modum, nervoſeque probat ex mente Galeni eſſe virtutis elementa. Conſtat enim partium laxitate, aliiſque hujus generis vitiis earum robur diſſolvi. Spiritus tamen primum eſt, & præcipuum earum fulcimentum, quas in animi deliquio collapſas ſola ſpirituum excitatione erigi, reficique videmus. Ergo vires unice, ſemperque ſui cuſtodiam indicant, quæ ſicuti ſumitur a medicis, complectitur etiam reparationem, ſi

*Lib. 2. de Abd. rerum cauſis cap. 9.*


facta

facta eſt earum aliqua jactura. Sola quidem præſentia cuſtodimus, & deperdita reparamus, quæ duo diſtincta reapſe ſunt. Quia tamen hæc ipſa ex eadem ratione derivantur, idemque, quod integrum petit conſervari, palam eſt læſum reſtaurandum eſſe, Galenus, aliique medici nomine cuſtodiæ virium intelligunt etiam reſtaurationem. Itaque vires per ſanitatem conſervandæ ſunt, in morbis conſervandæ, reficiendæque, quantum illi permittunt, qui & illas infirmant, nec in totum roborari ſinunt. Vires naturaliter ſe habentes conſervantur tantum apponendo, quantum in dies neceſſario abſumitur; debilitatæ reficiuntur vel additione uberioris alimenti, ſi a parciore minutæ fuerunt, vel correctione aliarum cauſarum debilitantium, cujuſmodi ſunt vitia qualitatum, vel conformationis: quæ correctio nihil eſt aliud niſi morborum expugnatio, quæ a morbis ipſis indicatur, non a natura, de cujus indicatione nunc tractamus. Huc igitur tantum attinet inquirere, quo pacto vires tueri poſſimus contra continuam diſſipationem ſubſtantiæ, quæ fit in noſtris corporibus; cui non alia ratione occurrere poſſumus, quam congruente victus ratione, quæ facit æqualiter ad tuendas vires ſanorum, atque ægrotantium. Hæc vero continetur recto uſu ſex rerum non naturalium aeris, cibi, potuſque, motus, & quietis tum ſingularum partium, tum univerſi corporis, ſomni, & vigiliæ, excretionis, & retentionis, animique affectionum, quarum aliæ magis, aliæ minus ſub medici poteſtate, & regimine cadunt; aliæ reparant, quod diſſipatur, aliæ reparationem adjuvant. Aer qui per os, inſenſileſque meatus nobis inſinuatur, una cum ſanguinis

halitu continuam ſpirituum conſumptionem ſarcit, eſtque, ut loquitur Tullius, cibus animalis, quo maxime veſcuntur animantes, ſed nequit ita regi, & adminiſtrari a medente veluti cibus, potuſque, qui neque quantitatem aeris præſcribere poteſt, neque utendi modum eligere, ſed ſolam qualitatem aliquatenus immutare. Cibus cum potu reſtituit quod in dies a partibus ſolidis abraditur, & humoribus detrahitur, cujus moderamen totum artis eſt. De hujus convenienti adminiſtratione, ſicuti aliarum rerum non naturalium fuſe agit Hygiene; eoque breviter tantum proponemus congruum uſum cibi, potuſque, qui majorem operam medentis requirit in morbis, eumque ex eodem fonte depromptum ad ſtatum ægrotantium referemus. Igitur recte cibum adminiſtraturus hæc obſervet oportet, convenientem quantitatem, qualitatem, modum, & tempus. Juſtam quantitatem cibi ipſa virium quantitas, ſive, ut loquitur Galenus, facultatum menſura definit, quibus tantum debetur, quantum poſſunt conficere, nilque minus, animadvertente Sanctorio vitam contractum iri, ſi natura parata digerere centum libras edulii, nonaginta novem exporrigerentur. Omnis quantitas cibi viribus comparata vel eſt tenuior expetita, & conſervationi debita, vel par expetitæ, vel ſuperior. Prima vires extenuat, opprimit ultima, ſola media conſervat. Eas ob reſtrictius alimentum attritas, quia morbus vetuit copioſius exporrigi, digerique, eo remittente reparare oportet ſenſim adjiciendo, ut juſtam menſuram nanciſcamur, non copia oneremus, in quo vertitur tota induſtria cibandi. Ergo ſola virium quantitas primo, & per ſe indicat cibi quantitatem, & hanc

*Lib. 2. de natur. Deo.*

*De Cibo, & Potu.*

hanc ſibi parem. Reliqua, quæ ſolent conſiderari ad eandem inveniendam, indicant ex accidenti, quatenus aliqua ratione declarant quantum roboris adſit pro certa cibi quantitate moderanda, quave corpus indiget. Hæc porro indicia multiplicia ſunt, temperamentum, habitus corporis, ætas, ſexus, quædam accidentia cum ſexu conjuncta veluti prægnatio, præterea aer ambiens, conſuetudo. In tanto hominum numero cujuſcunque conditionis, ut inter ſe differunt ratione inſtrumentorum coctionis, aut totius corporis, aut ætatis, paucos reperias, qui eadem ciborum quantitate utuntur, fere ſingulos diverſa. Eundem vero hominem quædam externa, & præſertim aer modo incitant ad majorem eduliorum quantitatem capiendam, modo minorem, ac proinde Hippocrates pro tempeſtatum diverſitate diverſam quoque eſcæ menſuram præſcribit, cum in aliis vegetior ſit illius vincendæ virtus, ut hyeme, & vere; in aliis debilior. Horum ratio habenda eſt inventuro juſtam cibi copiam in ſanis, ut bona valetudo perſeveret, neque negligenda in ægrotis; in quibus tamen nil promptius, nil clarius modum alendi deſignare poteſt, ac præteriti obſervatio, & conſuetudo cognitu facillima; cum reliqua præcipue medico ad ægrotantem accerſito prius inobſervatum tempore ſanitatis, non ita in medio poſita ſint, ſed meditationem requirant, quæ certam quæſiti cognitionem non affert, uti conſuetudo. Sive obſcure, ſive clare cognoſcamus temperamentum, habitumque corporis, inde tamen non edocemur legitimam cibi menſuram ſine conſuetæ notitia. Sunt quidam, quos ex temperamento, habituque corporis credas plurimo

ali-

alimento opus habere, feliciter uti; ex cognita conſuetudine noſcas multo minus aſſumere ſolitos, quam externum corpus exigere videbatur. Alii autem plus intus roboris habent ad cibum digerendum, quam præſeferant, quorum alendorum rationem diſcere oportet ex quantitate cibariorum, qua per ſanitatem uti conſuevere. Si quis enim vitam ſanam degens perdiu multum comedit, certum eſt plenius quoque in morbis alendum eſſe, quam modico vivere ſolitum. Porro non ætatis, non diverſorum temporum, non graviditatis ſignificationi omnino fidendum eſt. Plurimi adoleſcentes copioſo cibo utuntur, aliqui reſtrictiore, quam viri. Alii uberius cibantur hyeme, quam æſtate. Alii ex oppoſito. Inter mulieres vero multæ minus cibi ferunt prægnantes, quam vacuæ; aliquibus uberiore opus eſt prægnantibus, quam vacuis. Cum igitur ex hiſce notis nihil omnium ægrotantium inſtituendæ diætæ commune colligi poſſit, reliquum eſt ut conſulamus conſuetudinem particularia deprehenſuri. Occurrit nunc animo error quorundam medicorum, qui ſuos ægrotos, præſertim ſi febriant, indiſcriminatim parcius cibant, neque ſibi ſatis circumſpecti medici eſſe videntur, niſi parum cibi concedant, cogantque eſurire; quibus ſi adamuſſim parerent domeſtici, ſæpe ſibi commiſſos graviter læderent, nonnunquam perderent: ſincereque affirmo me nonnullis ægrotantibus mirifice profuiſſe ſola cibi adjectione, ut ante paucos annos filio amici mei quindecim annorum laboranti ex febri continua cum aliqua pulſus intermiſſione. Hunc fortuito inviſi, cumque vidiſſem neque febrem vehementem eſſe, neque reliqua ſymptomata timenda,

co-

cognitoque modico cibo, quo utebatur, juſſi largius nutriri: atque ſine alio remedio intra duos dies circiter pulſus intermittere deſivit, deinde febris. Non adeo facilis inventu eſt juſta alendi menſura in omnibus ægrotantibus, in omnibus tamen levius erratum eſt in paulo uberiore, quam reſtrictiore.

Juſta cibi quantitate inventa, pari diligentia veſtiganda qualitas eſt. Duplex qualitatum genus in cibis conſiderandum occurrit, aliud quod ad meram cibi rationem attinet, aliud quod ad cibum, ut ſimul medicamentum eſt; cum pauciſſima edulia exiſtant ſola vi nutriendi prædita, nulla facultate medicinali. Hanc morbus petit, qua profligatur, illam vires, qua deperditi reſtitutione conſervantur. Ut autem varii cibi ſunt, ita variat nutriendi poteſtas, ut in aliis ſit major, in aliis minor, in aliis promptior, tardior in aliis, alia tenue præbeant alimentum, craſſum alia, quædam optimum, alia mediocre, alia malum. In ægrotis ſolius nutricationis gratia, & indicatione a viribus accepta eligenda cibaria ſunt cito commutabilia, atque in optimum nutritum, ut illis ſuperandis infirma facultas minus allaboret, quodve per coctionem paravit, pene totum in fulcimentum imbecillitatis convertatur, parum in excrementum. Cum vero eadem edulia relata ad diverſos ægrotantes idem non efficiant, ſequitur ad delectum qualitatis idoneæ præter ipſam cibi naturam etiam laborantium veſtigandam eſſe, quam præſcribendæ diætæ cauſa non aliunde melius cognoſcemus, quam ex uſu præterito. Ova ſorbilia recentia creduntur plurimi, & boni nutrimenti, quæ tamen aliqui averſantur, nec utilia experiun-

periuntur. Ex oppoſito quidam cibi, qui mali ſucci exiſtimantur, certis temperaturis ex occulta congruentia ita ſunt amici, ut ſaltem in morbis longis ex intervallo concedi poſſint. Sæpe quoque cadit, ut idem cibus alteri facilis coctu ſit, alteri difficilis, quod ſolus effectus demonſtrat, de quo a ſolo ægrotante certiores reddi poſſumus. Qui ſoliti ſunt veſci durioribus cibis, ſi morbus ſinit, molliſſimis uti non debent, qui maxime conveniunt iis, qui concoctu facilibus aſſuevere. Similiter iis, qui modico cibo, ſed largæ nutritionis per bonam valetudinem longo tempore alti ſunt, dum ægrotant, porrigenda edulia plurimum nutrientia, & virtute quantitatem ſuperantia; aliæque opportunæ qualitates alimenti, ut alimentum eſt, quærendæ potiſſimum ex victu ſanorum. Nec enim omnia vi morbi ita ſubito in noſtris corporibus permutantur, ac perveruntur, ut nulla ſervanda ſit proportio inter præteritum, præſenſque cibandi regimen, ſive qualitatem, ſive quantitatem ſpectemus, quin oppido prodeſt, eam quantum morbus permittit, ſervare, præſertim in morbis diuturnis, in quibus ſicuti minus læditur poteſtas ad conſueta; ſic iis in totum prætermiſſis gravius poteſt robur offendi.

Quanquam quantitas, qualitaſque ciborum ſunt ſumma ægrotantium diætæ, utilis eſt & neceſſarius conveniens modus, qui ordine, forma, & partitione continetur. Ordinis occaſionem parit multiplicitas ciborum, interdum laborantibus commoda non ſolum propter opportunitatem nutritionis, ſed aliis de cauſis. Is autem ordo convenit ægrotis in varietate ciborum, qui ſanis præſcribi ſolet ad tuendam ſalutem,

ſcili-

ſcilicet ut tenues, liquidi, faciliſque deſcenſus præmittantur. Æque reprobat Avicenna eſum tenujum ante craſſos, & horum ante tenues, perſuaſus hanc diverſitatem noxiam eſſe. *Lib. 1. Fen. 3. Doc. 2. cap. 7.* Verum oblata occaſione tenuis, craſſique, fluidi, ſolidique edulii in menſa ſumendi, fluida, tenuja, quæque facile ſubducuntur, præmittere opus eſt, uti Galenus ex Hippocrate potum mulſæ ante ptiſanæ ſorbitionem imperante generatim ſanxit. *Lib. 3. de rat. vic. acut.* At Bohnius flocci facit ciborum ordinem propter pylorum minime ſitum in fundo ventriculi, ut aſſumunt præceptores ordinis, propter futuram omnium comeſtorum miſtionem, ſive confuſe, ſive ordinate accipiantur, nulla retenta in ventriculo loci diverſitate: *De moderanda Diæta cap. 20.* quibus tamen rationibus non ſuadeor negligere ordinem ab Antiquis præſcriptum, & communiter obſervatum. Ante Bohnium Sanctorius animadvertit pylorum non eſſe in fundo ventriculi, ſicut in canibus, *De Potu, & Cibo apho. 50.* nihilominus præcepit fluida utpote melioris ſucci eſſe præmittenda. Addo ex ejuſdem Sanctorii doctrina fluida, data molis æqualitate, eſſe ponderoſiora ſolidis, *De Cibo, & potu apho. 64.* & hac ratione prius eſſe ingerenda, ut ſuo pondere, & diffuſa mole ventriculum æqualiter dilatent, præparentque ad ſolidos cibos capiendos. Hoc ipſo titulo mollia, quæque blando ſenſu fibras laxare valent, acciperem ante dura, auſtera, & conſtringentia; meamque deliberationem comprobat experientia, qua liquet jam ſatiata fame, ſi offeratur cibus gratiſſimi ſaporis, ejuſdem appulſu ventriculi capacitatem extendi. Similiter experimur quoſdam cibos acris ſaporis ab vacuo ventriculo reſpui, quibuſdam aliis præmiſſis gratos evadere, & deſiderari. Quid quæris? Si credimus

diligentiſſimo obſervatori Hippocrati, mulſa poſt ptiſanæ ſorbitionem epota replet, inflat, hypochondriis inutilis eſt, ante ptiſanam hiſce caret incommodis, non utilitate. Nemo vero in ſe recipiet, id a ſolo ordine præpoſtero ſumendæ ptiſanæ, mulſæque accidere poſſe, minime aliarum ſorbitionum, & ciborum. Forma cibi, quæ dividitur in ſolidam, liquidamque, ea potiſſimum ratione in victu ægrotantium quæritur, quod ſub diverſa forma cibus diverſam habet aptitudinem ad coctionem, atque diſtributionem. Solutio ciborum non exigua pars eſt coctionis, ideoque liquida minus negotii infirmo ventriculo faceſſunt, facilius vincuntur, & celerius diſtribuuntur; monuitque Hippocrates facilius eſſe refici potu, quam cibo, hoc eſt cibo ſoluto, quam ſolido, diſſolvendoque. Quocirca febrientes liquidis cibamus, quorum infirma facultas in ſolutione minus laborans, quod ſupereſt, poteſt perficere. Liquida igitur imbecillæ facultati debentur, ſolida robuſtiori, & quando commodum eſt diu cibum in ventriculo retineri, neque opus eſt accelerata refectione. Partitio cibi ex viribus, & conſuetudine deſumenda eſt. Certa quantitas cibi, quæ quotidie ſufficiat viribus ſuſtentandis, ab aliis unica vice accipitur, ab aliis pluribus, a pleriſque duabus: quam conſuetudinem ut plurimum uniuſcujuſque natura parit, interdum fortuita rerum concurſio, eamque in morbis, quantum licet, ſervare oportet, ad declinanda mala, quæ docet Hippocrates impendere naturalem veſcendi morem pervertentibus, quem tamen identidem affectio cogit pervertere. Qui ſemel tantum in dies ſingulos cibatum ſumere conſueverunt, gravibus morbis implicati

*Lib. 2. de rat. vic. acut.*

cati nequeunt obſequi conſuetudini, recuſantibus viribus totam cibi quantitatem unica vice præſtitam, quam diviſam in duas, vel plures portiones admittunt, ſubiguntque. Propterea Cous tradens victum ægrotantium, conſuetis bis in die cibum capere injungit conſuetudinem retineri, biſque cibum præberi: conſuetis ſemel comedere ſemel dari prima die, paulatim autem, ſi fieri poſſit, bis dari. Enim vero in ægrotis vires eſſe ſolent imbecillæ, quæ facilius ferunt modicam, atque repetitam pro indigentia cibi quantitatem, quam ſemel univerſam. Sæpe accidit, ut imbecillitatis cauſa bis, terve alendus ſit æger, interdum ſæpius; utque Cous in aliter aſſuetis ſenſim mutet aſſuetudinem, ſecunda die parum cibi hora extra conſuetudinem exporrigit, deinde paulo plus gradatim ſequentibus diebus. *Lib.* 1. *de rat. vic. acut.*

Expoſitis de congrua ciborum adminiſtratione idoneum tempus addendum eſt, quod idem eſt in ægrotantibus, atque ſanis, hoc eſt, illud, quo concocto cibo a ventriculo novus appetitur, & facultas parata eſt ad concoctionem. Verumtamen quia in morbis ſolet turbari animalis œconomia, mutarique tempus coctionum, & ſecretionum, non eſt expectandus cibi appetitus, ut in ſanis; ſed cibandus æger hora, qua per ſanitatem ſolebat, quæque deſignata fuit ab indigentia facultatum, dummodo morbus permittat. Sumitur alimentum ad ſarciendum quod in horas deſtruitur, tuendumque corporis robur, cujus indigentiam ſenſus ipſe declarat, quod ſtato tempore contingit niſi obſtet vis ægrotationis, quæ identidem cibi deſiderium impedit, & quo minus hora ſolita accipiatur.

Verum ſolo naturæ modo ſpectato temporis conſuetudo tenenda.

Neceſſitati cibi aſſociatur altera potus multiplici ratione utilis, propter faciliorem chili confectionem, tranſitum per exiles meatus, reparationem humoris, qui jugiter conſumitur. Quemadmodum autem a fame incitamur ad capiendum cibum; ſic a ſiti ad bibendum, quæ duplex eſt naturalis, & morboſa. Naturalem appello, quæ tum ſanis, tum ægris contingit occaſione aſſumpti cibi; morboſam, quam cauſa parit morboſa, per hujus indicata extinguendam, non naturæ. Orta ſitis in ægrotis propter ingeſtum edulium abſque morbi incitamento determinat potionis menſuram, quæ reſpondet quantitati comèſtorum, & conſuetudini per ſanitatem. Qualitas potus eſt expetenda, quæ ſitim ſedat, coctionem, alimentique diffuſionem promovet, non ſtomachum turbat, provocatque nauſeam. Multa ſunt potulentorum genera, aqua, vinum, cerviſia, mulſa, aliique liquores, quos huc non pertinet expendere. Aqua facit ad ſolam neceſſitatem humoris, meruſque potus eſſe ſolet. Alii liquores alios uſus habent, ut diverſis facultatibus præditi ſunt, delectandi, calefaciendi, roborandi, penetrandi, idque genus alia efficiendi. Ægrotantibus convenit potio ſimilis conſuetæ, quatenus ſinit ægrotatio; qua frequentiſſime eam immutamus, cum plurimi in noſtris regionibus vino, non pauci quoque mero aſſueverint a pleriſque morbis recuſato, efficimuſque potulenta variarum rerum additione medicinalia, quæ morbus indicat, non natura. Pariter ex eadem indicatione potioni identidem vim remedii comparamus duntaxat addita quali-

tate

tate externi caloris, quæ ſola, ut oſtenſum eſt a doctiſſimis viris, & nuper eruditiſſime, cumulateque ab Antonio Valliſnerio noſtræ Academiæ primario Profeſſore, viro clariſſimo, plura commoda ægrotantibus importat, quam quæſita ex Indiis remedia, multaque artis induſtria, & labore parata. Ratio tamen potus a natura demonſtrata, quamque ſanorum conſuetudo comprobat, excludit ſenſibilem calorem. Unde præſtantiſſimi Philoſophi ſenſum, a quo inſtigamur ad potum, definiverunt appetitum frigidi, humidique, ſcilicet frigidi, ut vocant, actu, ſive frigiditate tactu percepta, ſicut etiam intelligitur humidum actu, fluidumque. Quare indubitatum apparet potionem actu calentem, præter naturæ inſtitutum eſſe, & mere medicinalem. Si enim ex ſiti frigido indigemus, hoc calefaciendum non eſt; apteque monet Galenus, quæ præbentur ad refrigerandum, actu frigida eſſe oportere, non calida, ne optata refrigeratio minuatur, & retardetur. Antequam enim effectus frigidorum obtineatur, debet vinci calor adventitius a ventriculo. Quod ſi vinum, aliaque potentia calida pro potu quotidiano concupiſcimus, id fieri putem magis voluptatis cauſa, vel alterius utilitatis, aut conſuetudinis, quam indigentiæ. Temperamus tamen ſenſibili frigiditate caliditatem, quam dicimus ineſſe poteſtate.

Eadem ratione, qua natura demonſtrat moderamen cibi, potuſque, aliorum etiam non naturalium, victumque conſtituentium oſtendit, quæ tametſi noſtra in poteſtate minime ſunt, veluti cibus, potuſque, alterari tamen poſſunt, minui, vel augeri; quas mutationes docet conſervanda natura, ſimiliter ut decla-

ra-

ratum eſt per eam inveniri modum cibi, potioniſque. Neque ſane quicquam eorum, quæ pertinent ad rectam victus rationem in ægrotis difficile ad inveniendum eſt iis, qui callent medicinæ partem conſervatricem. Cæterum, ait Hippocrates, ut rectam victus rationem inſtituamus, ſalubria præſcripta per bonam valetudinem obſervanda ſunt, non tamen ea tantummodo, quæ generatim ad ſanitatem cuſtodiendam conducunt, ſed præterea quæ ægrotanti, quem tractamus, uſui cum utilitate fuerunt.

*Lib.2. de rat. vict. acut.*

## CAPUT VII.

*De conſuetudine, ejuſque indicatione primaria.*

CUm majores noſtri ſcite, prudenterque res omnes medicæ conſiderationi expoſitas in tres digeſſerint, naturales, non naturales, & præter naturam, conſuetudo, quam communis conſenſus facit acquiſititiam naturam, ad res naturales proculdubio referenda eſt, cujus propterea naturam, atque indicationem hoc loco explicandam ſuſcepimus. Conſuetudinem aliquando appellamus uſum diuturnum ſimilium rerum, aliquando quod inde in noſtris corporibus creatur, idque vocatur adventitia natura, ingenitam æmulans, & novum hominem quaſi efformans. Quid, quæſo, humanæ naturæ infenſius venenis? quæ tamen fregit, ac domuit conſuetudo, & amica reddidit; uti contigit vetulæ athenienſi, quæ referente Galeno, ex longo uſu potuit innoxie napellum, ſive cicutam, ut placet Sanctorio, veluti cibum comedere. Quin etiam ſi credimus

*De Medic. Simpl. Facult. cap.11.*

Avi-

Avicennæ, & Rufo, puella quædam longo tempore veneno nutrita ad interficiendos reges, qui cum ea convenirent, tandem eam nacta eſt temperaturam, ut animal ſaliva enecaret. Non ſolum autem diverſis cibis aſſueſcimus, ſed variis aeris differentiis, diverſis motionibus corporis, mentis, animique, vigiliis, ſomno, veſtibus, aliiſque rebus, quibus indiget lucis uſura. Naſcitur aſſumpta natura ex rebus non naturalibus, quæ non unam tantum noſtri corporis partium afficiunt, ſed omnes, neque ſola inſtrumenta actionum naturalium, ſed etiam vitalium, & animalium. Unde miræ in omnibus ſenſibus alterationes per aſſuetudinem factæ olim obſervatæ ſunt, atque in dies obſervantur. Narrat Solenander de quodam ruſtico in Xenodochio acutiſſime febricitante, cui morituro Dominus Guisbertus permiſit, ut una nocte in ſtramine dormiret, cum intra novendecim annos in lecto non cubuiſſet; præterea uteretur conſuetis cibis duræ coctionis; cumque omnes crederent ita mortem acceleratum iri, poſtridie viderunt illum ad ignem ſtantem. Sed multo rarius eſt quod Sanctorius ſe vidiſſe affirmat. Novi hominem, inquit, qui tractu viginti annorum vitam in obſcuriſſimo carcere trajecerat, qui ut primum tenebris carceris, & putridis illis halitibus fuerit liberatus, in ægritudinem incidit lethalem, qua liberatus vixit anni ſpatio male affectus; data tamen occaſione, ut iterum in carceres conijceretur, incœpit ſanari, & ſanus conſervari: in quo pene omnes ſenſus mutatos fuiſſe quis neget? Ipſi oculi adeo lucis avidi, poſtquam tenebris aſſuevere, in hiſce invenerunt quo recrearentur. Aſſerit Seneca naturam hoc præclarum homini dediſſe, ut etiam mi-

*Sec. 5. conſilio 15.*

*Lib. 4. cap. 4. de Meth. vit. tan. erro.*

ſe-

ſeriæ aſſuetudine imminuantur. At experimento captivi, cujus valetudinem miſeriæ juverunt, liquet has interdum per uſum non ſolum imminui, ſed jucundas evadere, ſi jucundum eſt, ut vidimus ex Tullio, quod juvat animum, & corpus. Convaleſcente autem corpore, etiam animum adjutum crediderim. Non deſunt alia illuſtria exempla declarantia vim, & efficacitatem conſuetudinis ad diverſa, & Senis effatum, longo tempore conſueta, & ſi deteriora ſunt, inſuetis minus eſſe moleſta ſolere. Ex quibus conſuetudinem definio facilitatem quandam, & facultatem eodem modo ſemper agendi, aut patiendi uſu ſimilium actionum, aut paſſionum comparatam. Cum autem eſſentia facultatum poſita ſit in convenienti temperie partium, & conformatione cum afluxu humorum, & ſpirituum, quando uſu genita eſt in partibus nova, & ſpecialis facultas, neceſſum eſt novam temperiem obortam eſſe, conformationis aliquid immutatum, ſpiritus, & humores novitati aptatos, & hanc novam continentium, contentorum, & impetum facientium conſtitutionem eſſe, quod ex diuturna ſimilium rerum uſura progignitur. Conformationem autem poſſe quadantenus immutari intra ſanitatis confinia, hoc eſt meatum, ſitum, & figuram partium, Sanctorius ſat declaravit. Valleſius aliter ſentit de conſuetudine opinatus hanc eſſe quiddam diſtinctum abs temperamento inde nato, hac difficultate compulſus. Imaginemur duos homines diverſo temperamento præditos, alterum tribus gradibus calido, alterum unico, & deinde per contrarias aſſuetudines idem temperamentum duobus gradibus calidum acquiſiviſſe, calidiorem uſu frigidorum ciborum uno gradu

*Sec. 2. Apho.* 52.

*De Methodo vitandorum error. lib.* 4. *cap.* 2.

*Lib.* 8. *Contro. cap.* 5.

calo-

caloris adempto, minus calidum uſu calidorum uno gradu caloris ſuperaddito. Certe qui frigidis eduliis aſſuevit, nactus eſt facultatem ad eadem facilius coquenda; itemque qui calidis ad calida, & tamen uterque eandem habet temperaturam factitiam. Id Valleſium illaqueat, ſeſeque inde expediturus ſeparat conſuetudinem ab acquiſita natura, tanquam diſpoſitionem ab habitu, aſſeritque frigidis cibis uſum eſſe diſpoſitione ſimilem frigidis, habitu calidum; hincque fieri, ut calidos cibos promptius coquat, quam calidis uſus: ſed non explicuit quid ſit hæc ſimilitudo cum frigidis, & quo pacto poſſit conjungi cum habitu calido: eoque nullam congruam difficultatis ſolutionem produxit. Si aſſuetus frigidis cibis paratior eſt ad hos vincendos, quam calidos, licet habeat idem temperamentum, ac qui calidis aſſuetus hos facilius vincit, inde ſequitur per conſuetudinem non ſolam primarum qualitatum temperationem commutari, & præter hanc alias eſſe cauſas concoctionis, quas ignorans Valleſius in ea incidit dumeta; quæ ſimiliter non evitavit Sanctorius, eodem argumento uſus ad probandum conſuetudinem non poſſe converti in naturam, ſive quod idem eſt, ſed clarius elatum, conſuetudinem ab aſcita natura differre. Fit concoctio ciborum in ventriculo non opera ſolius temperamenti ventriculi, caloriſque, ut Priſci credidere, ſed etiam motu viſcerum, ac præſertim ſucco quodam diſſolvente, qui partim producitur ex reliquiis ciborum, partim ex humoribus aliunde in ventriculum derivatis, atque ſecundis potius qualitatibus quam primis cibos diſſolvit, uti apparet ex chimicis liquoribus metalla, aliaſque res duras divi- *Lib. 4. vitand. er. cap. 7.*

dentibus, quorum virtus primario non attribuitur frigori, vel calori, at ſecundis qualitatibus, diverſoque materiæ modo. Ille igitur ſuccus in cauſa primaria eſt, cur duo deſcripti homines per eſum contrariorum ciborum idem temperamentum adepti melius digerant illos, quibus veſci ſoliti fuere. Præterea cum ventriculus a ſingulis cibis modo peculiari afficiatur, eos facilius coquit, abs quibus ſemper ſimiliter afficitur, hincque etiam oritur, ut quamvis temperamentum ſit idem, ſoliti cibi facilioris ſint digeſtionis; ſicut etiam ſoliti labores facilius feruntur, quam inſoliti.

Conſuetudinis natura ab anguſtiis Valleſii vindicata ejuſdem indicationem primariam inquirimus, facta diſtinctione in bonam, & malam. Conſuetudo bona eſt quæ congruit præſcriptis medicorum, quæ declinat extrema in re quacunque, & facit ad vitam protrahendam; quæ propterea nunquam eſt deſerenda. *Lib. 1. cap.* Non ideo contra Celſi præceptum ſuadeo, ut ſanus homo ſe medicis legibus obliget, ſemper in agro, vel urbe commoretur, eodem ſtato tempore ſemper exerceatur, vel quieſcat, ſemperque a menſa diſcedat impiger ad labores, neque cibis ſatiatus. Prodeſt ſano, robuſtoque homini varium vitæ genus deſcriptum a Celſo, tutaturque ſalutem adverſus mutationes nobis impendentes a civilibus neceſſitatibus, rerumque humanarum inconſtantia: ſcienterque exiſtimat Sanctorius, *Lib. 4. de Meth. vitand. err. c. 12.* neceſſario fieri, ut plurimis rebus aſſueti, minus lædantur ab extrinſecis occurrentibus; & per uſum plurium ciborum facilis, difficiliſque coctionis vim coctricem roborari. Tamen non omnibus temperaturis hæc varietas accommoda eſt, multique po-

ſcen-

ſcente ſanitatis cuſtodia, certæ qualitati, & quantitati ciborum, aliarumque rerum non naturalium uſui regulis medicis conſentaneo aſſuevere; cui palam eſt inſiſtendum eſſe in quacunque valetudine ſimilia uſurpando. Conſuetudo mala eſt, quæ recedit a præſcriptis medicorum, conjungitur nihilominus cum ſanitate, ſine qua cauſa morbifica foret, non conſuetudo. Quæ mala communiter cenſentur, niſi uſu molliantur, atque tandem innoxie ſumantur, relinquuntur, & nequeunt parere conſuetudinem, novamque naturam, quam ſolum ortam intelligimus uſu rerum, quæ plures lædere ſolent, cum ſub eiſdem commoda valetudine fruimur. Nec aliam habet ſignificationem prava conſuetudo etiam ex ſententia Galeni, qui juſſit eam immutandam non eſſe, niſi per ſummam ſanitatem, cui proinde manifeſtum eſt non repugnare. Verum hinc orta eſt inter graves auctores non levis diſcrepantia, quorum alii cum Galeno decernunt vitioſam conſuetudinem nunquam eſſe in morbis permutandam, alii cum Villacorta pugnant permutandam, quando illorum cauſa cenſetur; qui tamen non declararunt in quo genere cauſæ ſit, & quemadmodum morbos parere queat; unde pendet ſolutio difficultatis. Ergo mala conſuetudo, quæ novam naturam aſcivit, poteſt eſſe quædam præparatio ad certos morbos, ſicut etiam temperamentum ingenitum, ætas, aliæque res naturales, non tamen cauſa efficiens. Si temperamentum melancholicum intra ſanitatis latitudinem ſortitus incidat in quartanam, vel delirium melancholicum, harum affectionum cauſa cenſetur quæ humorem melancholicum uberiorem cumulavit, vitiavitque, non

*Lib. 8. Meth. cap. 9.*

*Diſput. de Conſuet. c. 6.*

temperamentum, quod tantummodo reddidit faciliorem earum generationem; idque duntaxat tribuendum eſt aſcitæ propter malam aſſuetudinem naturæ in productione morborum. Numquid igitur in hiſce mutanda erit, an ea ſervanda? Ea eſt habenda ratio quæ de temperamento ingenito, quod ad certas ægrotationes contrahendas corpus præparat, iſtas aliæ cauſæ efficiunt; in quas contendimus, utpote quæ temperamentum a ſtatu ſano abduxerunt, quibuſque expugnatis morbus occidit, nulloque alio adhibito remedio temperatura in priſtinum vindicatur. Itaque ad cuncta litigia evitanda ſecernendus eſt pravus uſus, qui nondum in naturam tranſivit, & ſenſim nativam conſtitutionem mutat, ab aſſuetudine vitioſa vim naturæ adepta. Ille, quatenus licet, deſerendus eſt, hæc in morbo retinenda, hucque tota induſtria convertenda, enitendumque ut morbus aboleatur, quo dempto nihil bonæ valetudini infeſtum remanet. Per ſanitatem vero, & vacationem curarum prodeſt malam conſuetudinem corrigere, ſi timemus, ne vel mutatione ætatis, vel aliqua cauſa fortuita evadat pernicioſa, vel ſperamus meliorem induci poſſe, ſicque vitam produci. Cum enim ſanitas quandam habeat latitudinem, copularique poſſit cum prava conſuetudine, melior nihilominus eſt, ſecuriorque cum recta, laudabilique. Ergo ſive bona, ſive mala ſit aſſuetudo quoad homines ægrotant, ſimilia poſtulat, ſuique conſervationem; ſciteque aſſerit Galenus ab ætate, & conſuetudine ſimillimam indicationem præberi. Sicut autem ætati non contraria, ſed ſimilia in morbis adminiſtramus; item ſimilium adminiſtratio convenit

*Lib. 8. Meth. cap. 9.*

ratio-

ratione conſuetudinis tum probæ, tum improbæ. Hæc conſervatur ſimilibus, deſtruitur contrariis, abs quibus fit quædam pugna cum triſti ſenſu corporis, & virium labore; quas cum morbus fregit, novis alterationibus exercere non expedit, iis etiam rebus, quæ alio tempore aptæ ſunt ad meliorem corporis ſtatum comparandum. Mala, hoc eſt, a præceptionibus medicorum aliena, vel parum conſentanea, quæ uſus diuturnitate novam fecere naturam; cum hac ſimilitudinem habent; qua poſita, & perſiſtente, ceſſant eſſe comparate mala, continuandaque ſunt, nec ad contraria tranſeundum, dum mutationi corpus paratum non eſt. Quare Sanctorius profeſſus eſt ſe vetulæ, quæ nutriebatur cicuta, ſi ſuis temporibus vixiſſet, incidiſſetque in febrem, exhibiturum fuiſſe cicutam pro virtute cuſtodienda, uſu ſimilem redditam, idoneamque nutricatui. Niſi tamen recte intelligatur quo pacto ſit aſſuetudo ſervanda in morbis, inde poteſt exiſtere multiplex erroris occaſio. Si enim conſuetudo, ver. gr. calidi, ſiccique cibi petit ſimilia obortæ febri, quomodo eam ſuſtinebimus? Cujus potius indicationi vacabimus conſuetudinis, an ægrotationis? Huic adhibentes contraria conſuetudini adverſamur, atque per ſimilia conſuetudini febrem fovemus. Galenus decernit contrariis æqualibus ſtatim morbo reluctandum non eſſe conſuetudine morbo ſimilia expoſcente, ſed paulatim. Valleſius ultra proceſſit, atque diætam inſtituens definit principio morbi pluris eſſe faciendam conſuetudinis indicationem, quam affectus, eique fere totum concedendum, ſenſimque ad victum progrediendum ab omnibus ſimul indicationibus denotandum. Enim vero nihil,

*Lib. 4. de Meth. evitand. err. c. XI.*

*In comment. morbo. popul. ſect. lib. 6. part. 2.*

*Lib. 8. Controv. cap. 5.*

nihil, meo judicio, caute conſtitui poteſt, niſi conſiderata morborum diverſitate; quæ prætermiſſa in decretis generalibus hæc obſcuriora reddit, & limitanda. Morbis igitur celerrimi curſus quis ſenſim admoveat contraria, cum defuturum ſit tempus ea iterandi, vel uſurpandi æqualia? Sane propter conſuetudinem nihil, aut parum limandum eſt de contrarii æqualitate, cui tamen multo plus detrahi poteſt in morbis longum ſpatium percurſuris. Pariter in hiſce, quod ad diætam attinet, exiſtimo multum ab initio conſuetudini tribui poſſe, non tamen omnem fere partem, ut Valleſio placet. In morbis vero vehementibus, brevique judicandis, cujuſmodi ſunt febres ab inflammationibus internis, aliæque acutæ, Hippocrates æquus æſtimator conſuetudinis, huic neque fere totum, neque multum concedit, qui laborantibus pleuritide, & peripneumonia crudis ptiſanæ modicam quantitatem propinat, nec alium cibum craſſiorem ex iis, quibus ſani homines veſcuntur. Idem in peracutis morbis hæc generatim edixit. *Ubi morbus peracutus eſt, ſtatim extremos habet labores ſummos, & ſumme tenui victu uti neceſſe eſt.* En quantum de ſolita ciborum quantitate detrahit. Ita tamen detrahendum eſt, ut detractio reſpondeat majori, vel minori conſuetæ ciborum quantitati: & hac ratione aſſerimus in præfiniendo victu obſervandam eſſe conſuetudinem, non poſtponendo indicationem morbi, ſi majus inde periculum impendeat, quam ex conſuetorum intermiſſione ciborum debita novæ jacentis conditioni. At enim Dominus Guisbertus nuper memoratus ruſtico morituro indulſit cibos ſuetos duræ coctionis, & ſtramineum lectum,

*Lib. 1. de rat. vic. acut.*

*Sec. 1. Aph. 7.*

ctum, quorum uſurpatio magis profecit, quam antea- cta curatio: ex quo videtur argui multo plus conſuetudini dandum eſſe, quam ſolemus, & confirmari opinio Valleſii, quæ nobis limitanda viſa eſt. Non vacat eventum ruſtici excutere. Si quis tamen præſentire queat quantum exigit pro data occaſione conſuetudo, & quantum ferre valet, quod ad me attinet, imitetur Dominum Guisbertum, ſequatur exemplum ruſtici. Satis autem conſtat difficillimum eſſe in variis circunſtantiis dignoſcere uſque eo quo vis conſuetudinis procedat: neque dubitaverim plurimos perditum iri iisdem rebus, quibus ruſticum ſervatum vidimus, ſi cum ægrotantibus ruſticis frequentius ſimili modo ageremus. Quid plura? Athletico meri potori, quique nunquam aquam ſummis labris deguſtavit, ſi aliqua inflammatione interna afficiatur, profecto vinum ſtatim interdicere ſolemus, neque fidimus conſuetudini, neque fidere ſinit indicantis contrarii vehementia.

Eſt quæſtio apud graves auctores, utrum conſuetudinis indicatio ſit præferenda indicationi naturæ, & temperamenti: quos percontor de qua natura loquantur, ea ne, quæ aderat, perque conſuetudinem mutata eſt, an de nova, uſuque parta? Illa ut abſens vere non indicat, hæc idem indicat, atque conſuetudo, quam etiam malam in ægrotantibus tuendam ſanximus, nullique patet controverſiæ locus, niſi apud eos, qui pugnant, ut conſuetudo diſtinguatur a natura primigenia, & adventitia, differentemque ſuggerat indicationem; quorum præcipuum argumentum jam retudimus. Quicquid ineſt noſtris corporibus, proprieque indicat, vel eſt natura a primordiis recepta, vel no-

va

va ab aſſuetudine importata: nihil tertium ſupereſt, unde oriatur diverſa indicatio. Neque vero ſatis percipio concluſionem Sanctorii loco indicato, qui ex Ariſtotele aſſerente facilius curari poſſe qui per aſſuetudinem, quam qui per naturam incontinentes ſunt, concludit effici neceſſario, ut conſuetudo diverſa ſit ab ingenita, & adventitia natura: quaſi ea verba non poſſent hanc congruam explicationem habere, quod facilius mutatur natura uſu nata, quam ingenita, cujus mutatio exigit longiorem uſum, quam adventitiæ, ex quo nihil contra ſtabilitam ſententiam arguitur. Veruntamen neque de omni conſuetudine vera eſt Ariſtotelis ſententia; dum obſervantur quædam conſuetudines difficiliores mutatu ipſa natura.

*Æthic. 7. cap. 10.*

## CAPUT VIII.

*De nocentis indicatione primaria.*

NOcens tria complectitur, morbi cauſam, morbum, & ſymptoma, cuncta naturæ infeſta, atque contrariis propulſanda, utque alia ex aliis pendent, & ablatis tolluntur, non omnia æqualem vim, & dignitatem obtinent indicandi. Tritum eſt in ſchola Galeni a ſymptomate mero nec curationis rationem indicari, nec primum permutari, quod una cum morbo abigitur, eodemque indicato; quod tamen intelligendum eſt non de quolibet ſymptomate, ſed eo tantum, quod ſuam habet eſſentiam in motu poſitam, ſive in fieri. Duo facit ſymptomatum genera Galenus, quorum alterum non habet permanentem eſſentiam, uti

*Lib. 2. Meth. cap. 3.*

uti actionum offenſæ, immodicæque vacuationes: alterum ex numero permanentium eſt, neque merum ſymptoma, quod proinde Galenus etiam affectum, affectionemque vocat, propriamque indicationem præbet: quippe quod permanere poteſt vel morbo primario deſtructo, ſicut evidens eſt in icteritia, in qua identidem color vitioſus perdurat affectu primario diſcuſſo, atque diſſipandus eſt demonſtratis a ſe auxiliis, non aliunde. Reliqua ſymptomata una cum morbo deſinentia nullam habent propriam indicationem, quoad ſinceram ſymptomatis naturam retinent, nec evadunt cauſæ vel morbum augentes, aut vires dejicientes; quo reſpectu indicant particularia remedia ſeorſum a morbo, ejuſque prima cauſa. Semper hujuſmodi ſymptomata ceſſant extincto morbo, utpote quæ non habent eſſentiam permanentem, neque perſiſtere queunt, niſi conſervata a morbo; cui extinguendo totam curationem impendere liceret, niſi aliquando ea ſic ſævirent, ut peculiare remedium poſtularent; uti contingit in inflammationibus cum vehementi dolore, quem ſomniferis mitigare conamur perſeverante tumore doloris effectore. Mitigantia porro non a tumore, ſed vehementia doloris requiruntur, quæ minime repreſſa tumorem ipſum augeret, vireſque proſterneret. Hiſce caſibus exceptis nunquam pura ſymptomata propriam habent in curationibus indicationem, quam tamen habere contra Veteres Bohnius pugnat, & primo contra Sanctorium, alioſque non paucos antiquos annititur probare omnia ſymptomata a morbo proxime non oriri, ſed a cauſis multa; quod fortaſſis Bohnio indulgerem, niſi in pleriſque pro- *In Circulo Anatomico phyſiologico.*

L du-

ductis exemplis manifeſte, ni fallor, lapſus eſſet. Ab acrimonia humorum inquit dolorem, dyſuriam, pruriginem excitari; & a ſpirituum præpoſtero motu vertiginem, ſpaſmum, idque genus alia. Vertigine tamen excepta, de qua Priſcorum extant litigia, reliqua enumerata ſymptomata a morbis proxime naſci in meridie poſitum eſt, etiam ex ipſius placito Bohnii, niſi concertationem de nomine faciat, appelletque cauſam, quod Antiqui morbum dixere. Ergo humorum acredo proxime non parit dolorem, ſed interventu morbi, ſcilicet divulſione, & ſolutione continui, quam omnes antiqui morbum conſtituerunt. Simili autem modo etiam ex ſententia Bohnii dolor creatur, qui docet cauſas externas, internaſque doloris eſſe, quæ in fibras ſenſiles vehementius agunt tendendo, ſecando, rodendo, urendo; cauſam formalem eſſe provocationem factam in fibris per nimiam tenſionem, roſionem, aliaſque violentas actiones ita deſignans quod Priſci continui ſolutionem vocabant. Quomodocunque igitur explicetur alteratio facta a cauſis dolorificis, manifeſtum eſt dolorem excitari non poſſe, niſi ab actione violenta in fibras, neque hanc fieri, niſi ab ictu rei eaſdem penetrantis, partium contactum mutantis, & ſolventis, vel ſolvere conantis, ut accidit in cute ab externis pungentibus, rodentibus, idque genus aliis. Itaque ut evinceret Bohnius contra Veteres dolorem proxime oriri ab humoribus acribus ſine morbo, neceſſum erat, ut contra eoſdem oſtenderet diviſionem continui morbum non eſſe, quod omiſit, ſuæque opinionis fulcimentum. Similiter ſpaſmus, quem Bohnius opinatur oriri proxime a motu ſpirituum perturbato, do-

*De doloris mitigat. cap. 19. de officio Medici.*

docente antiquitate apud Henriquez de Villacorta, fit a morbo malæ conformationis pororum, propter quem membra contrahuntur. Sed habeat pro conceſſo Bohnius hæc, aliaque plura ſymptomata a cauſis proxime, non morbis pendere. Num ideo propriam indicationem habebunt? Si dempta cauſa ſubito deſinunt, nullam habent, perinde ac ſi proxime a morbo penderent. Vetus enim opinio ſymptomatis propriam indicationem denegans eo fulcitur, quod morbo ſublato confeſtim auferuntur. Sin ea ſymptomata perſeverare credat Bohnius, quorum cauſa ſummota eſt, ſymptomata mere non ſunt, ſed affectus, de quibus ſermo non eſt, & a quibus Priſci propriam indicationem non removerunt, ſed ab iis duntaxat, qui una cum morbo oriuntur, intereuntque, quibus neque Bohnius eam attribuere utiliter poteſt, ſi ſimul cum cauſis, a quibus proficiſcuntur, neceſſario deſtruuntur. Itaque mutare nomina poteſt eorum, a quibus ſymptomata manant, rem ipſam, & conſequentiam non poteſt. *Diſput. 21. de loc. affec. c. 3*

Morbus ſemper, & primario curationem indicat, neque morborum differentiæ indicationis vim, & naturam mutant. Cauſæ pariter ſuam præſtant indicationem, non tamen omnes unam & eandem, & a morbi poſtulato diſtinctam. Aliæ ſunt cauſæ a medicis continentes vocatæ, quibus expulſis ne temporis quidem momento morbus perſeverat, quarum indicatio eadem eſt, atque morbi, cum eadem actione tollantur, ut clare apparet in obſtructione facta ab humoribus viſcoſis. Obſtructio morbus eſt in via, cauſa continens humor viſcoſus, quo detergentibus ablato ſimul aufertur obſtructio, nec aliud requiritur ad cura-

tionem abſolvendam. Aliæ porro exiſtunt cauſæ, quibus abactis permanet morbus, hæque diverſam a morbo indicationem præbent. Febris orta propter cutis obſtructionem impedientem perſpiratum, & congerentem in ſanguine ſolita excerni, poteſt perdurare vel reſerata cute; eoque petit diverſa remedia, aliamque indicationem ipſa promit, aliam clauſa cutis ſpiramenta. Indicatio morbi ab omnibus curatoria nuncupatur: dubitant plures, utrum cauſæ curatoria ſit, an præſervatoria, multaque interſerunt litigia. Bohnius opinatur hallucinatos eſſe Argenterium, Mercatum, Capivacceum, alioſque Galeni ſectatores, qui ſoli morbo indicationem curatoriam tribuunt, cauſæ præſervatoriam, errandique fuiſſe occaſionem, quod cauſam antecedentem a continente minime diſcreverint. Antecedenti, ait, ſola præſervatio convenit, ut quæ morbum parere poteſt, nondum parit; cauſæ autem continenti, quæ a morbo inſeparabilis eſt, curatio. Curamus enim præſentia, cavemus a futuris. Veruntamen ante Bohnium non pauci veteres has cauſas ſepoſuerunt, continentique curationem, antecedenti præſervationem deberi definite ſanxerunt. Quoniam autem Bohnius hæc ſe ſcribere profitetur tyronum gratia, quos inquit ſe deprehendiſſe confundi, angique, *propter incongruitatem terminorum commentatoribus, & compilatoribus ſyſtematum medicorum frequentem*, hos forſan non minus erudiviſſet Priſcos allegando, ipſumque Galenum nomine præſervationis deſignantem actionem adimentem cauſam impendentis, futuræque affectionis, & præſentis ablationem miſtum genus ex curatione, & præſervatione appellantem, conceſſa

*In Diſput. de ſymptomate urgente.*

*Lib. II. Meth. cap. 2.*

ceſſa omnibus facultate nominibus prout voluerit, utendi; ut mirum ſit, de hiſce nomenclationibus tot extitiſſe inter doctos viros diſſidia.

Altera lis parum diſſimilis ſuperiori agitatur, utrum morbus, morbique cauſa eodem indicent modo, æqualemque dignitatem indicandi obtineant. Morbum omnes primum indicans vocant, nolunt aliqui cauſam, quod Galenus prima indicantia numerans cauſam omiſit; quod iſta non ratione ſui, ſed geniti morbi, remedium poſcit. Mea ſententia, ne quæſtio ad inutilem conſiderationem devolvatur, ita dirimenda eſt. Cauſa propter effectum noxium vel præſentem, vel futurum removenda ſemper eſt, illius tamen primum indicans ſtatuatur oportet, quod ad ſui demolitionem requirit, nec ab effectu indicatur diverſa poſtulante, ut accidit in febribus putridis, in quibus cauſa & effectus iiſdem remediis non tolluntur. Dum flava bilis interfuſa ſanguini febrem ardentem accendit, huic refrigeratio debetur, illi vacuatio, cuius ipſa bilis primum indicans eſt; hujuſque placiti Galeni commendationem deſiderantibus affero, qui tria numerat prima indicantia febrium putridarum, naturam, febrem, ejuſque cauſam effectricem.

Cognita diverſa poteſtate nocentis ad curationem dirigendam, inquirendum ſupereſt, quid ab eo indicetur, quove artificio indicatum ſit inveniendum, uſurpandumque. Omne nocens poſtulat ſui everſionem per contraria, quæ indicata vocantur, & medica ſunt inſtrumenta ad opus perficiendum. Quemadmodum igitur ex natura indicante didicimus qualitatem, quantitatem victus, utendique rationem; pariter hæc tria

diſcen-

diſcenda ſunt de contrariis a nocente petitis. Qualitas, ſeu genus remedii patefit abs qualitate nocentis, ut a calido frigidum, a conſtricto laxans, a ſuperfluo & redundante exhauriens, & ab alio quocunque genere rei noxiæ ſuum contrarium. Hæc enim ratio, & natura contrariorum eſt, ut ex uno cognito innoteſcat & aliud. Quantitas, ſeu gradus remedii nequit deprehendi, niſi cognita nocentis quantitate, ſed præterea requiritur alia meditatio declarans, qua menſura debeant morbis opponi contraria, æquali, an inæquali; quod infra determinabitur in expoſitione principiorum curationis. Porro cognitio generis, & ſpeciei lædentis, unde adipiſcimur notitiam auxilii, traditur a pathologia, aliiſque medicinæ partibus medendi methodo prioribus, a quibus ſingularum ſpecierum explicationes petendæ ſunt: atque idcirco therapeutice, ſeu pars medicinæ curatrix omnium eſt noviſſima, & veluti aliarum conſecutio. Reliquæ materiam huic parti miniſtrant, hæc tractat, verſatque, atque ad uſum convertit.

Ratio adhibendi contrarii partim ex ipſo morbo, partim ex aliis deſumitur; atque ut de tempore primum loquar, id ab nocentis præſentia ſignificatur, quod ſolum ſui ablationem per contraria poſtulat, & quocunque tempore adeſt, ea forent in uſum revocanda, niſi alia opponerentur, quæ præter indicantis præſentiam conſiderabit inventurus tempus idoneum. Decernimus igitur cum Galeno tempus remedii duobus contineri, indicantis præſentia, atque abſentia impedimentorum, quæ vel ab ipſa ægrotantis natura, vel ægrotatione proveniunt. Remedia non pauca morbum

*De optima ſecta ad Thraſibu.*

bum everſura nequeunt id abſolvere, quin negotium viribus faceſſant, uti purgantia, ſanguinis emiſſio, copioſus ſudor, aliaque vacuantia, proinde non uſurpanda, niſi quo tempore vires pares ſunt futuro detrimento tolerando. Quare ſolemus exhibere purgantia in febribus intermittentibus horis intermiſſionis, quibus ea facilius fert ægrotans, viriumque minore diſpendio; in continuis, dum aliquantum remittunt, minuſque vires exercent. Impedimenta quoque ab ipſo lædente proficiſcuntur, uti cruditas materiæ, craſſities, acrimonia. In principiis febrium prohibemur cruda, immotaque agitare, & vacuare: quæ tamen evacuata finem mali afferrent, evacuandaque forent, ſi ſuppeterent pharmaca crudam materiam utiliter eductura, quibus deficientibus purgationem differimus, donec per coctionem acerbus humor fiat opportunus vacuationi; quemadmodum non inciditur tumor ad extrahendam ſubjectam materiem, niſi facta ſuppuratione, ſine qua noxie ſcalprum infigitur, fruſtra tumor aperitur. Si tamen obtineri poſſet, ut ſtatim ac ſanguis in carnium ſpatia effunditur, icta cute utiliter educeretur, quæ foret indigentia expectandæ ſuppurationis, ictumque in commodius tempus reſervandi? Impoſſibilis effectus cogit reſervare, neque præſenti indicanti expetita celeritate ſubvenire. Craſſius quoque, vel acrius excrementum ſemper ſui poſcit excretionem, quam tamen moliri nequimus craſſitie nimia, vel acrimonia reluctante, dum altera difficilem, altera periculoſam reddit evacuationem. Itaque prius craſſum attenuamus ut cedat irritamento vacuantis; acre obtundimus, ne novos ſtimulos ab irritamento acquirat,

com-

commotumque attactas partes feriat. Summotis igitur impedimentis ſemper adeſt tempus propulſandi lædentis, neque procraſtinanda expulſio. Exiſtimant non nulli opportunitatem adminiſtrandi remedii ab ipſis temporibus morborum indicari, docente Hippocrate in principiis morborum movendum eſſe, atque in ſtatu ſatius eſſe quieſcere. Ac vere maxime neceſſaria eſt cognitio temporum morborum tum univerſalium, tum particularium ad noſcendam occaſionem remedii; recteque dixit Fernelius ſine clavo & remis navigare naufragium tandem facturum, qui nulla temporum obſervatione medicinam facit. Quis valeat fluxionem ſcienter curare ejus temporibus neglectis, quibus tam diverſa conveniunt, initio ſola repellentia petente, ſtatu digerentia, incremento utraque permiſta? Quis neſciat proſperitatem curandarum febrium totam pendere ex diligenti diverſorum temporum obſervatione? Alias enim ducendus ſanguis eſt, alias purgandum, alias ceſſandum, modo augendus cibus, modo minuendus, nihil interdum dandum; & hæc omnia ab variis febrium mutationibus denotantur diverſa tempora conſtituentibus, quorum cognitio tam utilis eſt, & neceſſaria, quam ipſius morbi. Non tamen ſtatuo tempora morborum vera & propria indicantia curationis, & remediorum, quorum verum indicans, & unicum nocens eſt, idque ratione contrarietatis. Morbi autem tempora cum nullum habeant contrarium, proprie curationem nequeunt indicare, ſed duntaxat ſtatum naturæ, morbique ſignificare; unde manant vera indicantia. Dum animadvertimus febris acutæ, in qua deſideratur ſanguinis effuſio, univerſale principium eſſe;

*Sec.2. Aph.29.*

*Lib. 1. Meth. cap.10.*

quo

quo nondum fractæ ſunt vires, neque late corruptus ſanguis, decernimus exequendum indicatum remedium; pariterque incipiente univerſali declinatione, in qua ſcimus materiam nocuam eſſe concoctam, & ſubactam, hanc expurgamus, niſi propriis viribus id natura molitur. At neque ſanguinis emiſſio indicatur a principio febris, neque expurgatio a declinatione, ſed tantum hæc declarat fomitem febrilem eſſe præparatum ad evacuationem, illud abeſſe impedimenta venæ ſectionis, quæ requiritur; ſimilique modo cuncta morborum tempora faciunt ad curationem moderandam, nec unquam aſſumunt naturam veri, propriique indicantis, quæ ſolum inter contraria reperitur. Ulceris diuturnitas nullum habet contrarium, ſed præſeferens ſucci, a quo generatur, pravitatem, poſcit validum remedium non ſibi, at illi contrarium.

De ordine ſumendorum medicaminum pauca adnotanda occurrunt, qui ſolum requiritur, cum plura, & ſine intervallo capienda ſunt. Plerumque vero multiplicia non offeruntur, ſicuti cibi, quibus nutritionem quærimus, & oblectamentum palati. Si tamen plura, ob eundem finem accipienda ſint, nec diverſo tempore, ordo eſt ut fere ſolida liquidis præmittantur, præſtitis ad ea maceranda, inſuavia ſuavibus, quæque palatum feriunt, lenientibus, quibus acquieſcens ventriculus etiam ingrata retinet, complectiturque; quem ordinem natura remedii declarat, ventriculique, non ægrotationis. Ubi vero plura, diverſaque remedia ob diverſos fines aſſumenda ſunt, ordo ab ipſo tempore ſumendorum oritur. Nec enim multiplicia, diverſæque efficientiæ medicamina ſimul accipiuntur,

ſicuti plures in prandio cibi, ſed certo, debitoque tempore interjecto; eaque prius porriguntur, quorum effectus prius optatur, quo obtento alia porrigenda. Id autem non pauci peccant in curationibus, ut diverſa remedia ex brevibus nimis intervallis præſtent; eorum actiones perturbent, impediantque, naturam fruſtra fatigent, augeantque moleſtiam ægrotationis. Audivi non paucos ægrotos pene magis querentes de moleſtia in tot aſſumendis medicamentis, quam de morbo; qui neſcio utrum magis decipiantur fide, quam præbent medicis, an medicorum, quam præbent medicaminum frequentationi.

Remedium a nocente petitum aliquando univerſum, & unica vice offertur, pluribus aliquando vicibus diviſum, idque dividere cogimur, non ratione præſentiæ morbi ſemper integram ſui expulſionem requirentis, ſimulque factam totius contrarii adminiſtrationem, ſed aliis de cauſis, puta, propter vires impares, ſenſum acutiorem partis, vel imbecillitatem, ſi hæc præſertim toti inſerviat, velut os ventriculi; quod ſi quis natura infirmum habuerit, copioſas ſanguinis effuſiones ſemel factas minime patitur, atque opus eſt indigentiæ ſubvenire partita vacuatione. Conferenda igitur efficacia remedii cum viribus, & tolerantia ægrotantis, & inde diſcendum, qualis adminiſtrandi modus conveniat, qui a lædente non indicatur, quicquid pugnet Argenterius annitens probare ab illius modo indicati modum denotari, ſumpto exemplo ab vacuando humore, qui ſi ejuſmodi ſit, ut impetu facto ſubito ſuffocet, una vacuatione excernendus totus eſt, ſin paulatim affligat, partita.

Ani-

Animadvertat tamen Argenterius malum humorem in noſtris corporibus contentum ſemper completam ſui excretionem indicare, partem, quæ lædit, curationis gratia, quæ læſura eſt, præſervationis. Cur enim excerni non debebit, quod noxam infligit, vel inflicturum eſt? Sæpe tamen vacuationem partiri oportet vel copioſiorem non ferentibus viribus, vel repugnante craſſitie, & cruditate materiæ, vel alio objecto impedimento, aut propoſito commodo. Ita humor, qui totus eodem tempore non concoquitur, neque totus eodem eſt educendus, non quia crudus, quatenus nocuus ſui excretionem minime poſtulet, ſed deeſt, quo poſſit utiliter amandari. Imaginere, quod facile evenire poteſt, ab initio febris acutæ, portionem materiæ turgere, & jactari, aliam quieſcere. Ex decreto celeberrimo Hippocratis ſolum cogitandum eſt de purgatione turgentis, non quietæ. Qua quæſo de cauſa? Num quietus, immiſtuſque aliis noxius humor ſui ejectionem non petit? At protinus ejectus proculdubio ſalutem accelleraret. Indicat igitur ſui expulſionem, quam tamen minime conamur carentes purgante, cui ſit ille ceſſurus, & hanc eſſe cauſam omittendæ purgationis inde liquet, quod materiam turgentem, quam ſperamus facile ſubtrahi poſſe, etiam initiis morborum licet evacuare. Modum igitur evacuationis proxime non indicat excernendus humor, vel tantum indicat ex accidenti, ſed aliunde colligere oportet, neque ſemper ab eiſdem conſiderationibus. Simili ratione aliorum medicaminum modus invenitur. Reſtincturus calorem febris ardentis nec omni tempore, nec omnibus febrientibus propinat co- *Sec. 1. Aphor. 22.*

pioſum, ut libet, hauſtum frigidæ ſemel epotæ; ſed humorum extenuationem expectat. Sollicitus eſt de viſceribus expeditis aliiſque conditionibus, quæ præſcribuntur ad rectum ejuſdem uſum. Interim frigidam, vel alia refrigerantia parciore manu porrigit, iteratque: quem refrigerandi modum non ex modo caloris deſumit, ut calor eſt, ſed ex ſtatu totius corporis, & refrigerantium natura, quæ non ſolam vim habent refrigerandi a calore, qua calor eſt, poſtulatam, ſed ſecundas qualitates ſuſcitandi, & quædam diverſa ab exoptatis efficiendi.

## CAPUT IX.

### *De ſecundaria indicatione Naturæ.*

NAtura ſui conſervationem per ſimilia petens in morbis primum indicans eſt diætæ, hujuſque indicationis gratia nomine naturæ robur facultatum intelleximus. Inſuper præter vires ad naturam attinent temperamentum ægrotantis, habitus corporis, conſuetudo, ætas, ſexus, præterea ſingularum partium ſubſtantia, temperies, actionis dignitas, ſenſus, & alia, quæ omnia ut naturalia ſui cuſtodiam primario dictant, non curationem, cujus tantum indicantia ſecundaria eſſe poſſunt, & hanc modo ſecundariam indicationem proſequimur.

Vires oſtendunt, liceat ne contrarium univerſum uſurpare, & quo pacto. Robuſtæ tantum uſurpari permittunt, quantum a morbo poſtulatur; debiles vetant; hincque ſatis indigentiæ facturi diſcimus non unica vi-

ce

ce totam vim remedii, ſed pluribus adhibendam, vel etiam mutandum eſſe modum. Cauſa ægrotationis exigente ſanguinis detractionem in ægro imbecillo vel minor quantitas detrahitur, quam deſideratur, vel deſiderata, ſed diverſis temporibus: aut modus detractionis mutatur venæ grandis apertioni cucurbitulas ſcarificatas minus viribus infeſtas ſurrogando; itemque clyſteres repetitos purganti, hoc imbecillitate ægrotantis reſpuente.

Temperamentum in morbis ſimilaribus tanquam indicium gradus contractæ intemperiei oppido conducit ad inveniendam contrarietatis menſuram. Cognitio temperamentum ægroti fuiſse natura calidum, vel frigidum, demonſtrat obortam intemperiem vel eſſe eidem ſimilem, aut diſſimilem, & inde concluditur in ſimilem debiliore contrario pugnandum eſse, in diſſimilem fortiore. Id autem explicatu difficillimum rati auctores hiſpani ſe ſe moleſtis implicant controverſiis, ut exponant, quo pacto ex duobus morbis magnitudine paribus, quorum alter ægrotantis temperaturæ cognatus ſit, alter contrarius, hic fortiora poſcat remedia propter contrarietatem, ille imbecilliora propter cognationem; totque contentionum argumenta ſumunt ex Galeno præcipiente calidiores natura partes ex frigore laborantes diutius, & liberalius calefieri: ex oppoſito brevi, parceque refrigerari partes natura calidas calido morbo detentas. Itaque quaſi Galenus loqueretur, vel debuiſſet loqui de duabus eodem gradu intemperiebus, anxii ſollicitique veſtigant hiſpani apud Villacortam rationem, qua minus refrigeranda ſit pars natura calida, calido *De Meth. medend. c. 17.*

affe-

affectu vexata, quam calefacienda pars natura calida a frigido læſa, quamvis utraque intemperies ſit ejuſdem intenſionis. Verum qui ſibi hos nodos ſtruxerunt, diſſolvere, vel rumpere conentur. Si duo gradus caloris, vel frigoris certæ parti ſuperadditi ſunt, quæcunque fuerit ejuſdem naturalis temperatura, utraque intemperies minus duobus gradibus contrarii non requirit. Cum autem perarduum ſit gradum intemperierum internoſcere ad menſuram contrariorum definiendam, exiſtimans Galenus ſimilitudinem inter morbum, partiſque temperationem firmum argumentum eſſe levioris intemperiei, atque diſſimilitudinem gravioris, inde decrevit huic robuſtius contrarium opponendum eſſe, infirmius alteri.

Ex habitu corporis Hippocrates capit argumentum ſuperioris, vel inferioris evacuationis præſcribendæ. *Graciles, & ad vomendum faciles per ſuperiora purgare, cavendo hyemem. Difficiles vero ad vomendum, & mediocriter carnoſos per inferna cavendo æſtatem*. Galenus etiam ad deliberandam ſanguinis effuſionem attente corporis habitum perpendit, quo gracili exiſtente, ſpiſſo, duro, & copioſi ſanguinis venam incidit, minime in habitu contrario. Nec vero minorem utilitatem hæc affert conſideratio in uſu aliorum evacuantium. Raro, mollique corpori mitiora purgantia conveniunt; duro, denſoque fortiora, quod altero minus irritamenta ſentit, fibrarumque duritia magis reſiſtit actioni purgantis; idque in cauſa frequenti eſt, cur alii reſtrictiore pharmaci quantitate largius purgentur, quam alii uberiore.

*Sec. 4. Apho. 6.*

*Lib. 11. Meth. cap. 14.*

Conſuetudo in conſideratione remedii multifariam uti-

utilis eſt. Qui quotannis verno tempore ſibi ſanguinem educi curant, ſi hac tempeſtate morbo præventi ſint tam aperte venæ ſectionem non expoſcente, aſſuetudo argumentum erit deliberandi, quod ex ſolo morbo forſitan non auderemus, inde ſignificata facili ejuſdem tolerantia; dum ſcimus a conſuetis minus affici corpora, minuſque timendos eſſe inopinatos effectus remedii pluries experti. Solus enim humor ſuperfluus, vel alia ratione nocuus primario vacuationem flagitat, non conſuetudo, quæ poteſt declarare indigentiam vacuandi humoris, non efficere, ut etiam adnotavit Valleſius. Quicunque creſcente, & vigente ætate venæ punctioni aſſuevere, eruntne cruentandi in ſenectute? Ita certe, ſi uſus effundendi ſanguinis indigentiam pareret. Sed nemo non videt ab iis jam ſenibus factis removendum eſſe ſcalprum ablata ejuſdem occaſione per ſenectutem ſanguinis detractionem ſupplentem. Ad alias etiam evacuationes rite præſcribendas conſuetudo prodeſt. Non pauci contra monitum Galeni, Avicennæ, comprobatum a Sanctorio ſingulis menſibus purgantes pilulas non ſemel aſſumere ſoliti ſunt, quos ægrotos cum majore fiducia licet expurgare, & validioribus catharticis, quorum faciliorem tolerantiam peperit longus uſus debiliorum; eodemque reſpectu in morbis obſcuræ indicationis animarer ad purgantia præbenda. Ad conſuetudinem quoque pertinet ſuperior victus ratio, aer, & regio, in qua quis plurimum verſatus eſt, ipſumque vitæ genus. Ut cognovero Dionem ſolitum veſci craſſis cibis, & copioſis, argumentum teneo redundantiæ ſimilium excrementorum, & juxta morbi genus decerno quibus hæc ſint

*Lib. 8. Contro. cap. 5.*

*Lib. 4. de Meth. vitand. err. cap. 14.*

ſint præparanda remediis, quibus educenda. Dolor colicus ab ventoſa pituita genitus, poſcenſque liquorem actuoſum, reſolventemque, qualis eſt aqua cinamomi, elixirvitæ, idque genus alia, ſi potorem aquæ viſæ adoriatur, huic ſane multo majorem eorum liquorum quantitatem propinabis, quam alteri, qui per ſanitatem vel nunquam, vel raro parceque hujuſmodi potum deguſtaſſet. Vis remedii uſu longo ſimilium enervata impar eſt indigentiæ, ubi valida deſideratur alteratio, niſi additione quantitatis augeatur. Non diſſimilem exigit animadverſionem conſuetudo in febrientibus abſtemiis, quos non ſolum aquæ ſolito potu refrigerabimus, ſed uberiore, præterea victu frigidiore, aliiſque, ut erit caloris febrilis intenſio; quibus etiam, ſi febris ardens foret, copioſiſſima potio frigidæ non omnibus conveniens ſecure propinatur. Omitto perpendere cunctas differentias ciborum, & potuum, quibus aſſueſcere quiſque poteſt: cum ex ſuperioribus ſatis appareat, quomodo inde ſecundariæ indicationes curationum eruantur. De aere alio loco dicendum erit, in quo conſiderabitur tanquam res non naturalis. Nunc ut ad conſuetudinem refertur, ejus conſiderationem non ſeparamus ab iis, quæ pertinent ad regionem, quam diu quis incoluit. Hippocrates ſatis declarat utilitatem obſervandæ regionis in curationibus, qui monet, ut ſi quis ad urbem ſibi incognitam pervenerit, attente circumſpiciat ejus ſitum, quomodo ſcilicet ad ventos, & ſolis exortus jaceat, quibus aquis irrigetur, quænam ſint ipſius ſoli qualitates, ne ad medicationem accerſitus labatur in errores, quos earum rerum ignoratio parit. Quippe non ſolum inde

*In libro de aere, locis, & aquis.*

inde diſcimus quaſdam morborum proprietates, ſed quemadmodum corpora ſe habent ad diverſa medicamina. Unde in eadem morborum ſpecie pro diverſitate regionis vel vim ejuſdem medicaminis quantitate augemus, vel fortiorem qualitatem quærimus, diverſoque modo adminiſtramus. Confer, ſi placet, quæ Itali marte ſuo ſcripſere ad morbos profligandos, cum ſcriptis Germanorum, ac celeri intuitu deprehendes, quanta ſit plurium remediorum diverſitas tum ratione quantitatis, tum qualitatis inter noſtratia, externaque; e quibus ſemper pauca deſumpſi ad meos ægrotos curandos. In aliis regionibus homines levius ferunt purgantia per alvum, in aliis per ſuperiora: utraque vero in aliis fortiora requirunt, in aliis debiliora. Similiter pro diverſitate locorum non æquale ineſt robur corporibus ad ſanguinis effuſionem ſuſtinendam: ideoque in aliis locis rarus eſt ejuſdem uſus, in aliis valde frequens. In Xenodochio Goæ, uti narrat in ſuis itineribus Tavernierus, poſtquam inductus mos eſt pluries venam pungendi, multo minor copia Europeorum moritur, quam antea. Interdum ſanguis quadraginta vicibus educitur, tantaque copia vitalis humoris non effundit vitam, ſed retinet, egregieque facit ad reſtituendam ſalutem; idque idem auctor affirmat in ſe ipſo expertum eſſe Surati. Quid tam diſſitas plagas adimus? In Hiſpania, & Gallia multo crebrius pertunditur vena, quam in Germania, atque in Italia. Demum ex vitæ genere recta medicatione non leviter erudimur. Quis eodem modo curet litteris deditos, & agrorum culturæ, deſides, atque laborioſos,

cibi parcos , curiſque occupatos , ac quibus gulæ tantum , & ventris cura eſt , licet eadem ægrotationis ſpecie corripiantur ? Diverſa vitæ ſtudia , quæ diverſos humores in noſtris corporibus creant , certaſque partes infirmant , ut videre eſt apud eruditiſſimum Bernardinum Ramazinum , medentem de multis admonent , ſive vacuandum ſit , ſive immutandum . Fac eſſe detrahendum ſanguinem litterarum cultori , alterique militiæ vacanti , utrique ob febrem continuam . Cæteris paribus majorem quantitatem ducendam eſſe militi ſaltem non gregario , neque caſtrorum incommodis vexato , quam litterato ex diverſa vitæ ratione cognoſcimus , animadvertendo multo plus ſpirituum ſtudio litterarum continuo , quam militia conſumi . Sit etiam uterque refrigerandus ejuſdem febris cauſa . Uberem frigidæ copiam non dubitarem militi concedere , dubitarem litterato , cui ſolet os ventriculi imbecillum eſſe , viſceraque impedita . Pariter ſi vitam deſidioſam vivens , & ſuo natus abdomini morbum contrahat ſanguinis detractionem poſtulantem , hanc differam , donec primam regionem expurgavero , quam deſidia , cibique intemperantia excrementis inquinare ſolet ſubducendis ante venæ ſectionem , dummodo morbi vehementia ſinat . Huic ipſi febre tertiana implicato corticem peruvianum duntaxat poſt iteratas purgationes enervatamque febrem exhibendum cenſeo : at citius , neque tot purgationibus præmiſſis frugali , mediocriterque exercitato . Simili modo ex aliis vitæ ſtudiis , quæ conſuetudo amplectitur , quatenus demonſtrant ægrotantis ſtatum , dirigitur curatio , ſecerniturque a medicatione Theſ-

*De Morbis artificum.*

ſali.

ſali omnia privata & propria diſcrimina contemnentis.

Ætatem conſideramus in ægrotis, quæ ſignificans temperaturam ſibi reſpondentem, habitum corporis, qualitatem, & quantitatem humorum, excrementorumque horum facilem, aut difficilem diſſipationem, nobis eſt auxilio, ut rectius definiamus qualitatem, & quantitatem remedii, ipſumque modum adminiſtrationis. Pueros, ſeneſque parcius evacuamus, quam reliquas ætates degentes, neque eiſdem vacuantibus. Pueri præſertim intra primos ſeptenos annos non ferunt calida, & acria cathartica; quo tempore monitu Senis, & experientiæ maxime convulſionibus patent, quibus excitandis calida, & acria multum pollent. Iiſdem ante decimum quartum annum ſanguinem non adimit Galenus, neque ſenibus poſt ſeptuageſimum, quod decretum, & ſi plerique Recentiores minime amplectuntur, fatentur tamen omnes hiſce ætatibus reſtrictius, atque ex graviore occaſione ſanguinem emittendum eſſe, iiſque adminiculis, quæ minus ſpiritum diſſipant, quam venæ grandis vulneratio. Quin etiam Hippocrates ex ætatis vigore ducendi ſanguinis ſcopum ſumit. *In acutis paſſionibus ſanguinem mittes, ſi fortis appareat morbus, & qui habent, vigenti ſint ætate, & ipſis robur adfuerit*; idemque victum humidum maxime febricitantibus pueris convenire ſtatuit. Non deſunt alia multa, quæ ſimiliter ex ætate colligimus. Senex, qui æque ac juvenis judicio tactus febricitare cognoſcatur, propter diſſimilitudinem inter morbum, ætatemque majorem receſſum oſtendentem, frigidiora, quam

*In Prognoſtico.*

*Lib.* 11. *Meth. cap.* 14.

*Lib.* 4. *Auct.*

juvenis, petet auxilia, quæ tamen paulatim adminiſtranda ſunt, non ſubito ut in juvenibus. Ætas igitur non ſolum uſum evacuantium, ſed etiam alterantium medicaminum moderatur.

Sexus demum conſideratio nullo pacto prætermitti poteſt in curationibus, cujus gratia non pauci noſtrates medici ſemper in fœminis bis ſanguinem educunt ex brachio prius, deinde ex talo, ſæpe quidem utiliter, ſed vereor, ne ſæpius fruſtra, nocenterque, præcipue in ſenioribus, in quibus non ſemel vidi poſt venæ cubiti apertionem talum cruentari, licet eſſent annos natæ ſeptuaginta, ultraque; neſcio utrum majore ſenectutis detrimento, an ludibrio. Sed nihil attinet iſthæc in præſentiarum longius expendere. Solum breviter animadverto, quantum opinio in re medica dominetur. In noſtra regione laborantibus fœminis ex affectu venæ punctionem dictante, ſive rite menſtrua fluxerint, ſive ſecus, brachii vena tunditur, deinde tali, hacque ſola de cauſa ſine alia indigentia, & indicatione ferme miſeræ bis cruentantur, ut humores ad ſuperiora per cubiti ſectionem commoti deorſum vulnerato talo detorqueantur; ſicque formidata a medicis, & patientibus infortunia declinentur: idque tam alte animis inſedit, ut, ſi punctio ſaphænæ forte fuerit prætermiſſa poſt vulneratam baſilicam, mulierque poſt duos, vel tres menſes, imo longius ſpatium aliqua capitis affectione tentetur, hæc abſque dubio medico vitio detur, qui creditur religionem violaſſe non translato a cubito ad pedem ſcalpello. Ex oppoſito in Hiſpania, ſed præſertim apud hiſpalenſes in morbis partium ſuperiorum, puta, phreniti-

niticis, lethargicis, apoplecticis, oculorum inflammationibus, ſuffocante angina, ſimilibuſque in viris, & fœminis prius venam tali vulnerant, deinde brachii; neque metuunt incommoda, quæ cogunt noſtrates contrarium ordinem ſervare in effundendo ſanguine e diverſis prædictis partibus. Neque vero ritus ille, uti teſtatur Henriquez de Villacorta, ſolo barbitonſorum, chirurgorum, vulgarium medentium, totiuſque plebis plauſu, & clamoribus celebratur, ſed doctiſſimorum profeſſorum commendatione, doctrinaque, videlicet Lodovici Perez Ramirez, Gaſparis Calderæ, univerſæque Scholæ hiſpalenſis. Quid, peto, in cauſa eſt apud hos auctores oppoſiti ſervandi ordinis in eiſdem vaſis aperiendis? Huc profecto nihil confert regionis diverſitas, quæ non mutat leges aſcenſus, & deſcenſus, motuſque liquidorum, quando eædem cauſæ commotionis exiſtunt. Num igitur repugnant Hiſpalenſes experientiæ, uti repugnare ſe crederent noſtrates oppoſito ordine ſervato? Quinimo utræque partes de favore experientiæ gloriantur. Quid ita? Fortuiti eventus plebea ſtatera perpenſi, appoſiteque ad varias circunſtantias plurium opinionum magiſtrum, & arbitrum caſum fecere, rerum ipſa natura apud perſpicaces, accuratoſque perſcrutatores veritatis dies noctеſque reclamante. Redeo ad muliebrem ſexum, cui certum eſt non raro ſaphænam commode incidi ea ſola ratione, quod ſcimus ſanguinis excretiones per uterum conducibiles eſſe, & ſecundum naturam, haſque venarum inferiorum inciſione vel incitari, vel ſuppleri. Quoniam etiam quotidiana experientia certiores redditi ſumus muliebrem

*De ſang. miſſ. ex talo cap. I.*

ſe-

ſexum levius pati venæ ſectionem, quam virilem, frequentius ſcalpello ſubijcimus, neque ſemper graviſſimas cauſas expectamus. Sunt pariter quædam magna remedia, & formidoloſa, quibus interdum utimur ad vehementes difficileſque morbos extirpandos fœminis minime opportuna, cujuſmodi eſt elleborum, quod Plinius vetat dari exilibus, timidis, fœminiſque: ſanguinis extractio uſque ad animi deliquium, quæ licet in viris exemplo antiquorum, & quorundam recentiorum apud hiſpanos, & gallos, pro data occaſione prætermittenda non ſit, in fœminis propter naturalem animi infirmitatem tutius declinatur. Ob eandem fœminæ ferrum, & ſectionem in tumoribus ſæpe abhorrent; & iccirco cataplaſmatis, aut emplaſtris maturantibus aliquid acre adijcitur ad rumpendum apoſtema ſine terrore ferri. Præterea in ſexu fœmineo rebus naturalibus accenſetur fœtura ægrotantes mulieres identidem comitans, ſuique cuſtodiam expoſcit, operamque peculiarem medentis, cujus munus eſt ita curationem prægnantium dirigere, ut fœtum, matremque ſervet, duntaxat adminiſtratis remediis, quæ matrem tueri queunt ſine certa pernicie fœtus, evidentique abortionis periculo, quæ ſæpe prægnanti gravior eſt, quam utilis medicina præſtita alterius morbi cauſa. Particulares igitur leges ſanxit
Sec. 4. Apho. 1. Hippocrates de purgandis utero gerentibus: *Prægnantes medicamentis purgare oportet, ſi turgeat humor, quarto menſe, & uſque ad ſeptimum. Minus vero has. Juniores autem, & ſeniores fœtus vereri oportet.* Quibus circumſcripſit purgationis tempus, & conditionem purgandi humoris, quem turgentem deſideravit, pa-
ratum-

ratumque ad expulſionem ſine magno conatu, & irritatione ſummopere fugienda ob metum abortus. Solebant enim veteres fortioribus uti purgantibus. Eſt etiam decretum Hippocratis de ſanguine in gravidis educendo, qui pronunciavit *mulierem utero gerentem ſanguine ducto ex vena abortire, præſertim fœtu grandiore exiſtente*. Uſus tamen, obſervatione Celſi, poſteritatem edocuit id perpetuum non eſſe, quæcunque vena referetur, ſive cubiti, ſive tali. Admonitioni Celſi plures reſtiterunt tenaces hippocraticæ ſententiæ; imo quia Zacutus Luſitanus contendit miſſionem ſanguinis ex talo tutum eſſe auxilium ad cavendum abortum, quoties adeſt in utero plenitudo particularis vaſorum, ita ſevere corripitur a Joan. Riolano. *Zacutus*, inquit, *judæus chriſtianorum hoſtis more iſtius nationis, ut procuraret infanticidium inſtar Herodis, iſtam quæſtionem movit, atque obſtinate tuetur levibus ratiunculis*. Hanc eandem quæſtionem prolixius agitat Henriquez de Villacorta, utque decet Chriſti fidem integre profitentem, & poſtquam produxit varias cautiones adhibendas ad perforandas venas inferiores in prægnantibus ex ratione Zacuti, eandem hoc inſigni evento confirmat. In oppido Matriti D. Auguſtina de Valdivieſo ætate florens, uteroque gerens vexabatur tertiana continua, ut vocant, ſubintrante, ſexto circiter graviditatis menſe; in qua rite peracta venæ ſectione ex brachio, & quarta vice repetita ſine remiſſione morbi, qui potius invaleſcebat, conjecit Villacorta cum collega in vaſis circundantibus uterum contineri ſpecialem plenitudinem, fomitemque febrilem, ictaque non ſemel vena tali, fœtum conſervavit, febrem reſtinxit, nihil-

*Sec. 5. Aph. 31.*

*Lib. 2. cap. 10.*

*Lib. 2. Praxeos Admi. obſervat. 16.*

*De Circul. ſang. pag. 93.*

nihilque accidit, unde timeri poſſet abortio. Non deeſſent aliæ ad id confirmandum obſervationes, ſi plures inſtitutum meum exigeret. Eſt nihilotamen ſecius, licet conſtet vaſis inferioris apertione abortum neceſſario non provocari, major ſemper adhibenda ſolertia, graviorque cauſa requirenda, & ſpeciales conditiones a doctis viris præſcriptæ ut venæ inferiores prægnanti aperiantur, quam vacuæ: ſimiliſque providentia adhibenda eſt in uſu cujuſcunque remedii, quod aliqua ratione fœturæ officere poteſt, cujus generis ſunt, quæ movent ſudores, ſed præſertim urinas, omniaque calida, acria, diſſolventia, liquantia; de quibus non eſt in præſentia ſingillatim agendum, ſufficitque ea curſim attigiſſe.

Habes quemadmodum res naturales ad totum corpus pertinentes interventu morbi curationem moderantur. Proximum eſt ut in ipſis partibus ponderemus quæ eidem fini inſerviunt, morbi ſede in certa parte contenta. Permagni momenti eſt ad artem univerſam contemplatio partium, quæ ſunt ſubjecta morborum, per quæ voluit Ariſtoteles poſſe accidens proprium duntaxat cognoſci, & definiri; iiſdemque principiis fretus Galenus pro certo tenet neminem aſſequi poſſe affectum ſpecificum, niſi cognitione partium, quæ ſunt affectuum ſubjecta; quorum varietate fit, ut eadem cauſa parere poſſit varios effectus. Tot, tamque diverſis morbis humanum corpus obnoxium non foret, neque tot medicaminum genera excogitata, niſi tot, tamque differentibus partibus compingeretur; ſexque menſibus, ut volebat Theſſalus, imo brevius addiſci medicina poſſet. Quippe humor idem primis, & ſe-

& ſecundis qualitatibus multo pauciores crearet affectus, qui longe plures creat ex diſſimilitudine ſubjecti. Quot ferax morborum ſit atra bilis, paſſim docet Hippocrates; ex quo liquet ea converſa ad ſedem animi homines melancholicos reddi; ad corpus, ſive ut interpretatur Galenus, cerebri meatus obſtruente comitiales: ea congeſta in pulmonibus varicem excitari: delapſa in collum, & pectus vocem, ſenſuſque intercipi: conſiſtente in venulis renum, ipſiſque renibus hos ulcerari cum lumborum doloribus, & veſicæ: ſicque ad hepar delata, aliaſque diſſimiles partes affectiones oppido differentes produci. Quinimmo idem humor ex ſubjecti diverſitate in eodem ægrotante contrarias affectiones progignit, modo ſcilicet ſenſum omnem tollit, modo vehementer aſperum incutit, ut evenit in dolore colico, cujus effectrix materia, quæ per nervos, ſi aſſentimur Vvilliſio, fluebat ad abdomen illapſa in ſpinalem medullam paralyſim producit, hoc eſt ſenſus motuſque abolitionem. Quid plura addam? Tantus eſt nexus inter affectum, & locum affectus, ut medicus rationalis, qui non tantum per indicationes communes procedit, ſed per ſpecificas ex cognitis affectionum ſpecificis naturis fluentes, nequeat ullo pacto ſuas partes ſuſtinere abſque attenta morboſi loci conſideratione, ideoque anatomica ſupellectile. In præſentia vero tantummodo exponimus quo pacto partes tanquam res naturales ſint conducibiles inveniendæ curationi. Multiplices noſtri corporis partes non omnes eodem temperamento, eademque ſubſtantia donantur. Variam quoque habent magnitudinem, figuram, ſitum, officium, ſenſum, proprietatem;

*Lib. 6. morbo. popu.*
*Lib. de inter. affec.*
*Lib. 2. de mor.*
*Lib. de inter. affec.*

quæ omnia negligenda non ſunt medicinam rationalem, exactamque profitenti. Temperatura partis eodem modo facit ad declarandam curationem, atque totius corporis, de qua ſatis. In ſubſtantia, ſive materia partium, ut ſimilaris eſt, ſpectantur ſecundæ qualitates, quæ tactiles dicuntur, ſuntque mollities, durities, denſitas, raritas, gravitas, levitas, lentor, quæque vocatur friabilitas, quas qualitates quidam etiam ex ſchola Ariſtotelica appellant materiæ modos, & horum vitia immoderationem materiæ, magis accommodate ad phyſicam Democriti, & Epicuri noſtræ ætatis genium. Quid partis mollities conferat ad medicationem docent mammæ, quarum ſubſtantia mollis eſt, laxa, fungoſaque, cujus conſideratione Sennertus illis in tumorem præter naturam elatis non audet admovere fortiora, calidioraque reſolventia, ne humores ad partem mollem, laxamque magis alliciantur, quæ partibus durioribus, firmioribuſque tumefactis impoſita eo periculo carerent. Pariter quia nervi eam habent ſubſtantiam, animadverſione Cæſaris Magati, quæ prompte extranea humiditate imbibitur, inde idem auctor colligit, quæ ſint inimica nervis vulneratis, quæ amica, diverſoque modo tractanda eſſe horum vulnera, aliarumque partium. In denſis partibus tenujora, validioraque requiruntur, quorum vis impedimenta ſuperet, intraque ſubeat, quæ propterea minor deſideratur in raris, & penetratu facilibus, in quibus eodem nomine minus frequens uſus medicaminum expetitur, quam in denſis. Similis propemodum procuratio convenit propter craſſitiem, vel tenuitatem partium.

*Lib. 2. cap. 3. de vuln. nervo.*

Par-

Partis magnitudinis indicatio apertiſſima eſt, nempe quæ nihil aliud petit, quam quantitatem remedii ſibi reſpondentem; idque non ſolum locum habet in morbis externis, in quibus applicamus æqualia remedia extenſioni afflictæ partis, ſed etiam in internis. Sic laborans ventriculus ex interiore affectu quo in diverſis hominibus amplior eſt, & capacior, majorem etiam quantitatem remedii ingerendam petit ſe ſe latius diffuſuram, atque ad omnem locum affectum.

Figuram partis Galenus conſiderat tanquam indicem viæ tenendæ in evacuationibus, ſicque ex figura colligit ventriculum vomitu, dejectioneque deplendum eſſe; inteſtina per alvum; cerebrum per palatum, nares, & aures; pectus per pulmones, per aſperam arteriam, fauceſque; ſimiliterque ſtatuit renes, veſicam, & gibba jecoris, ſi multo vitioſo ſucco ſunt referta, per pharmaca dejectoria expurganda eſſe, ſin mediocri, per urinæ meatus. Unde morbi, qui ductibus inſtrumentorum incidunt, dicuntur a Fernelio morbi figuræ. Veruntamen illæ vacuationum viæ non ab ſola figura apparent, ſed etiam a ſitu partis, & conjunctione cum aliis. Nec enim ventriculi figura indicaret opportunitatem ejuſdem vacuandi per os, & alvum, niſi interventu conjunctionis cum ore, & alvo, ipſoque ſitu attento. Sic Galenus ipſe ex figura ſimul & poſitu, non ex ſola figura alias indicationes petit, ut in vulneribus gulæ, ex cujus figura, poſituque colligit convenire medicamenta craſſa, lentaque, quæ adhæreant, ut undique quaſi agglutinentur, & mora proſint; cum gula ſit comeſtorum, bibitorumque

*Lib.7. Meth. cap.13.*

*Lib.2. de abdit. rerum cauſ. cap. 9.*

*Lib.4. Meth. cap.7.*

tranſitus recta locatus; per quem cito defluunt ingeſta, niſi craſſitie, & lentore celeritas defluxus inhibeatur.

Situs partis, cui poſitum adjungimus, docet locum remedii, ſive ubi agendum ſit, & alia non pauca; quatenus cum ſitu contemplamur propinquitatem, & ſocietatem cum aliis partibus, & ſenſibilibus meatibus, quæ inde dignoſcuntur. Reſpectu ſocietatis plures medici in morbis hepatis dextri cubiti venam feriunt, affecto liene ſiniſtri, ſuaſu Galeni aſſerentis ſanguinem recto curſu fluere ex dextra nare propter hepar, ex ſiniſtra propter lienem. Quamquam autem nonnulli eam praxim non bene fultam, irritamque credunt propter exordium venarum dextri, ſiniſtrique cubiti, quo æqualiter utrumque viſcus depletur, ſive dextrum brachium, ſive ſiniſtrum vulneretur, non defuere clariſſimi viri, qui aliis excogitatis eandem tueri conati ſunt, alii recto fibrarum ductu, alii perſpiratione magis adaucta in latere inciſi vaſis, quam in altero. Hippocrates attenta partium ſocietate, & propinquitate apta excretioni generatim præcepit: *Cæterum morbi ea parte, qua proximi ſunt, educendi ſunt, & qua parte ſingulis exitus proximus eſt, educendi*: & alibi loquens de curatione doloris jubet ſemper expurgandum eſſe proximum ventrem, hoc eſt loco doloris propinquiorem; cujus conſilii ſufficit illuſtrem rationem Cornelius Celſus advertens materiam contentam prope partem affectam deteriorem eſſe; quæ proinde per proximum locum idoneum excernenda eſt, ne longo itinere per alias partes ducta labem aliquam eiſdem infligat; vel

*Lib. 3. criſ. cap. 3.*

*De loc. in hom. num. 55.*

*Lib. 6. morbo. popular. ſec. 6.*

*Lib. 2. cap. 9.*

cum

cum utilibus humoribus confuſa cum eiſdem, ſed minore copia excernatur. Ex loco igitur meliorem & promptiorem evacuationis viam invenimus. Eadem indicatione melius medemur morbis partium ſuperiorum per ea, quæ ventriculo ingeruntur, quam inteſtinis. Ex oppoſito craſſioribus inteſtinis affectis ſuccurrimus potiſſimum clyſteribus, ut in teneſmo, in quo minus proſunt per os ingeſta vim ſuam magna ex parte, antequam ad inferiora perveniunt, amittentia. Congruenter ad hæc Hippocrates: *Dolores ſupra ſeptum, qui purgatione egent, medicamento, quod per ſuperiora purget, opus eſſe ſignificant; qui vero infra, per inferiora*. Hæc etiam utilitas ex loci conſideratione prodit, quod materia excernenda in primis viis, ventriculo, atque inteſtinis ſubſiſtente, inde cognoſcimus laxantia, mitioraque purgantia ſæpe ſufficere; quippe quæ viribus integris impetum faciunt in vicina excrementa: ex quo pariter loco monemur ad commodam expurgationem obtinendam non eſſe naturæ coctionem expectandam, ut materiæ intra venas, tantum aliquando requiri præparationem medicamentis. Sin evacuanda recrementa diſſitas partes occupant, validiora purgantia petunt, quibus acrius irritatæ fibræ remota proliciant, ſuiſque ex latibulis in alvum deducant. Pariter iis, qui per ſumma corporis laborant, medicamenta ægrotationi paria applicantur, non ſuperiora, ſicuti quibus morbus eſt in profundo corpore, retruſaque materies reſolvenda; cui reſpectu intervalli nervoſiora medicamina debentur, quam ejuſdem natura exigit, penſaturaque damnum diſtantiæ vim auxiliorum delumbantis, curatio-

*Lib. 6. morbo. popu.*

rationemque remorantis; quemadmodum præclare liquet in dolore iſchiadico, cujus effector humor profundum artum obſidens longe fortiora, ſæpiuſque repetita poſcit auxilia, quam per ſummum corpus diffuſus. Vide præterea quot aliæ ſuperſint utilitates ortæ ex ſitu. Celebre præſidium revulſionis, quo pluribus in morbis quotidie utimur, venæ ſectione, purgatione, frictione, cucurbitulis, idque genus aliis, undenam ductum eſt niſi ex contrarietate inter ſuperum, & inferum, externum, internumque, aliiſque loci oppoſitionibus. Huc adde derivationem, quam obſervatione loci peragimus. Eadem obſervatione aſſerimus non eſſe applicanda valida repellentia frigida partibus cordi vicinis; non eſſe opportunos clyſteres in prægnantibus uteri vicini cauſa, extremiſque inteſtinis incumbentis, aliaque hujuſmodi plura. Denique Chirurgi ſine obſervatione poſitus locique nequeunt ſuo munere perfungi inungendo, ligando, incidendo, inurendo. Ad ſitum partis ſpectare videtur etiam locus, unde quædam partes, quæ ad alias efformandas concurrunt, uti nervi, venæ, arteriæque oriuntur, ut eo curationem per aſſumpta, vel foris admota collineemus. Celebre eſt quod narrat Galenus de Pauſania ſiro ſophiſta, qui pergens Romam cum e vehiculo decidiſſet, ſenſumque in duobus digitis manus ſiniſtræ amiſiſſet, neque per triginta dies circiter ab alio medico ſanari potuiſſet; brevi potuit a Galeno, qui diligentius in cauſam retardatæ ſalutis inquirens, cognoſcenſque principium dorſi, unde nervi ad manum derivantur, læſum ex caſu fuiſſe, juſſit remedia digitis paralyticis adhibita ſupe-

*Lib. 1. de loc. Affec.*

ſuperioris partis offenſæ admoveri. Similia errata ſimili navitate cavebimus.

In partium officio indicationis gratia cum Galeno nihil aliud perpendimus, quam majorem, vel minorem dignitatem inde definitam, quod pluribus, vel paucioribus partibus ſerviant, magis, aut minus neceſſariæ: quo titulo omnium actio præſtantiſſima cordis eſt, eademque lege alteri præcedit, quæ pluribus partibus virtutem miniſtrat ad vitam ſuſtentandam. Quo vero pars præſtantior eſt reliquarum fulcimento, eo diligentius cuſtodienda eſt, tuendaque ab omni violento remediorum appulſu. Non igitur impenſe refrigeranda, aut calefacienda, aut relaxanda, aliove vehementi contrario alteranda, quod morbi magnitudo exigere videretur, ſed debilius, infraque morbi vehementiam, iteratione imbecillioris remedii æquando vires fortioris, admiſcendoque, quod inſitam facultatem conſervet, uti ſolemus purgantibus, quæ utpote incommoda ventriculo ſolitaria non præbentur, ſed adjectis roborantibus. Eodem ſcopo Galenus monuit Italum, ne cataplaſmata in hepatis phlegmone Theagenis ſolis relaxantibus componeret, ſed intermiſceret adſtringentia partis robur defendentia: quo monitu neglecto æger, referente Galeno, intra quatuor dies exceſſit. Inflammato vero femore & tumente, aut cubito, vel tibia, ſimilique alia parte adſtringentia relinquuntur, ſola laxantia tuto uſurpantur. Verum inter indicationes acceptas a præſtantia partis, atque utilitate actionis, illa forſitan majoris ponderis eſt, qua docemur cauſam morbificam partem principem adorientem omni ingenio adducendam

dam eſſe ad ignobiles, & privatas. Quare partes externas irritamus, & debilitamus liberaturi internas. Unde hiſce vi morbi oppreſſis frequens uſus in medicina laxantium, attrahentium, veſicantium, exurentium. Sic in febribus longis, vel malignis parotide apparere incipiente contextum partis laxamus, ſegniter increſcentem tumorem admotis attrahentibus inſtigamus, maturari quam primum, & aperiri monitu Celſi curamus, impetumque cauſæ morbificæ, quo ſe convertit a partibus internis recedens, urgemus. In quadam etiam prope Inſubriam regione (mihi liceat parumper indulgere datæ occaſioni) paulo poſtquam parotis ſeſe prodidit, tumori cucurbitulam apponunt, deinde candens ferrum infigunt. Quod curationis genus in peſtilenti parotide a nonnullis cordatis viris approbatum video, in reliquis longe diligentius excutiendum judico. Virgini annorum circiter viginti trium decima tertia febris continuæ, qua vexabatur, parotis erupit, quam chirurgus pagi, me invito, ſed uſu prævalente poſt duos, niſi fallor, dies præmiſſa cucurbitula de more ignito ferro incidit: ſed facta deinde ſuppuratione in altera parte tumoris, ægra coacta fuit ſcalpellum pati, quæ fruſtra ignem paſſa fuerat, litavitque geminato cruciatu vulgari conſuetudini.

Senſus in omni corpore fuſus non omnibus partibus idem ineſt, ſed in aliis obtuſior, hebetiorque, in aliis vegetior & acrior, ortus potiſſimum ex diverſitate membranarum. Partes igitur exquiſite ſentientes, cujuſmodi eſt os ventriculi, gravius incurſu moleſtorum læduntur, læſæque fortiora, acrioraque reſpuunt, quæ partibus hebetioris ſenſus, ita morbo

ſua-

ſuadente admovere liceret, requiruntque mitiora ſine morſu, & acrimonia. Sic nervis vulneratis, detectiſque adhibemus ſiccantia, quæ nullo, vel minimo cum morſu opus ſuum præſtant. Quanto quæque pars acutioris eſt ſenſus, tanto promptius percipit moleſtiam infeſtarum cauſarum, & medicaminum, quæ aliqua qualitatum exuperantia irritare valent, perceptaque moleſtia, & dolore ejus vires reſolvuntur. Quare in horum medela declinanda ſunt valentia auxilia, amplectenda mediocria lævibus politiſque partibus compacta, quæ repetita curationem ſenſim abſolvunt. Hanc procurationem non exigit ſenſus hebetudo, ſed in hujuſmodi partibus licet accelerare curationem fortioribus ex indicatione remediis uſurpatis. Quemadmodum in diverſorum hominum corporibus eam medicaminum differentiam obſervamus, ut in mollibus leniora adhibeamus, in duris & agreſtibus acriora; ſimiliter hæc differentia obſervanda in morbis partium diverſo ſenſu præditarum. Præter hactenus in parte attenta, quæ ratione deprehendimus, eſt ſingularum proprietas experimento comperta, non indicata ratione. Oleo irritari dolentes oculos, non mitigari, ſicut alias partes, idemque accidere laryngi, uſus primo docuit, non perſpecta partis conditio; itemque tepida officere ventriculo, quæ aliis partibus grata ſunt, non nocent, aliaque plura certis partibus accommoda, certis repugnantia. Id fere pluribus partibus noſtri corporis accidit, quod hominibus, quorum paucos invenias, quibus nihil inſit proprium, & particulare efficiens, ut alii facile perferant quod aliis eſt intolerabile, aliis oblectamento

ſit, quod alios cruciat, vel nihil afficit; unde tot diverſarum rerum appetitiones, & declinationes. Propter ſingularem partium proprietatem a doctis viris alia medicamina ſunt attributa capiti, alia pulmonibus, alia ventriculo, alia aliis hujus generis partibus, quorum indicationem methodus non ſufficit, uſum experientia reperit. Morbus enim verbi gratia frigidus, vel calidus frigida tantum, vel calida ſuadet adhibenda, non peculiaria calida, vel frigida quibuſdam partibus præcipue congruentia, & occulta virtute. Haud me latet, nonnullis eſſe ſuſpecta ſpecifica, ſecretæque facultatis medicamina, ſive ad totum corpus, ſive ad certas partes pertinentia, quorum dubitationem prætereo, cum in præſentiarum meum duntaxat ſit indicare, quid in quaque parte attendere oporteat utiliorem medicationem demonſtraturum. Uterus tamen, ſit obiter dictum, unde fœmina dicitur a Virgilio varium, & mutabile ſemper, ſicuti inexplicabilium morborum fons eſt & origo; item quibuſdam placatur, ut docet experientia, ſpeciali quadam dote, neque minus ipſo morbo abſcondita donatis, quæ adverſus morbos aliarum partium nihil habent peculiare.

Ad ſuperiora illuſtranda proderit animadvertere, quo pacto Galenus ex indicatione partis affectæ temperet curationem hepatis cæpti phlegmone tentari. *Lib. 13. Meth.* Primum æſtimat an totum corpus ſanguinis evacuatione indigeat, compertaque indigentia una cum robore tolerandæ vacuationis inſecat venam dextri cubiti, ut habentem ſocietatem ampla via, & e directo cum vena cava; pariterque ex ſitu partis morboſæ capit

argu-

argumentum potius venæ ſolvendæ, quam alvi, quamvis fateatur, ſe ſe uno die ſola purgatione incipientem oculorum inflammationem ſæpe ſanaſſe. Sat liquet quantum intereſt inter venæ inciſuram, & purgationem per alvum; phlegmonem vero jecoris, & oculorum unam, eandemque morbi ſpeciem exiſtere. At nihilominus Galenus ex ſola loci diverſitate cæptis oculis inflammari ad purgationem confugit, hepate vero eandem affectionem patiente ad ſanguinis detractionem. Nimirum purgatio, dum oculi phlegmone incipiunt vexari, converſis deorſum humoribus partes ſuperiores exhaurit, tollitque influxum in locum patientem. Hæc eadem principio jecoris inflammati iiſdem medicamentis tentata morbum adaugeret, hujus ſedem verſus incitatis humoribus, non inde retractis; idque incommodum propter ſolam ſitus diverſitatem pareret: hujus tanta vis eſt ad immutandam medendi rationem. Porro Galenus præmiſſa venæ ſectione ad partem afflictam accedens vetat adminiſtrationem refrigerantium, & adſtringentium, quæ tamen tuto adhiberi poſſunt partibus circumpoſitis artubus, quibus, ut docet, non eſt incommoda ſpongia aqua frigida cum modico aceti imbuta, quæ tamen pernicioſa foret hepati phlegmone tumenti. Præter medicamenta ipſam quoque cibandi rationem ex natura partis affectæ inveſtigat, qui glandulis, aliiſque apud artus partibus phlegmone obſeſſis nihil aliud deſiderat in cibis, niſi coctionis facilitatem, at in jecoris phlegmone, cujus actio conſervando animanti neceſſaria eſt, præbet cibum detergentem viſceris vaſa, reſerantemque meatum ad jejunum exporrectum; quo facilius inde, quic-

P 2 quid

quid amaræ bilis & ſaniei ex inflammatione collectum eſt, depellatur. Ex quo vides quantæ frugis ſit in morbis partium curandis earundem expoſitas indicationes mente agitare, meritoque Galenum Theſſaliis ſtupiditatem exprobraſſe, qui pugnabant, ut communis indicatio ſufficeret in affectibus diverſarum partium.

## CAPUT X.

### *De ſecundaria indicatione Nocentis.*

QUanquam morbus naturæ adverſatur, eamque deſtruit, ſolaque natura primario indicat ſui conſervationem per alimentum faciendam, nequit hæc obtineri niſi diligenter attento morbo; & *Lib. 2. acut.* idcirco Hippocrates victus formam a duobus deſumendam eſſe ſanxit, a robore, morbique ſpecie: quod nulli patet dubitationi, modo intelligas a robore primario victum indicari, ſecundario a nocente. Cum igitur ſuperius traditum ſit regimen alimenti acceptum a viribus, nunc exponendum, quo pacto ad idem morbus conducat. Ergo nocens declarat virium ſtatum, quibus ſuſtentandis cibus debetur, & hac ratione indicans ſecundum victus evadit. Quo plus eſt excrementorum in morbis, magis vires impediuntur, minuſque nutrimenti porrigendum, ne corrumpatur, corruptumque morbum augeat, & confirmet, non *Sec. 2. Aph. 9.* vires, juxta illud Hippocratis: *Impura corpora tanto magis lædes, quanto magis nutries*. Quantitas igitur excrementorum exploranda, ut inde juſta cibatus menſura determinetur. Sive autem excremento-

rum

rum copia, ſive morbi eſſentia, ſive alicujus ſymptomatis vehementia viribus officiat, dum inde colligimus, quantum illæ alimenti ferre valeant, quale requirant, & quo tempore, utimur nocente tamquam ſecundario indicante, eodemque uſus eſt Hippocrates hæc præcipiens: *Quibus ſtatim vigor eſt, ſtatim cibare tenuiter; quibus autem poſtea vigor futurus eſt, & in ipſo vigore, & paulo ante ſubtrahendum, ut ſufficiat ægrotans.* In vigore, qui pars eſt vehementiſſima morbi, cognoſcens Cous vires eſſe maxime occupatas, afflictaſque, decrevit minuendum eſſe cibum, ut omni ablato obſtaculo totæ vacent ſuperandæ ægrotationi; parilique ratione quo morbus gravior eſt, magiſque facultates infirmat, ſive incipiat, ſive creſcat, ſive vigeat, ſignificat tenujorem victum convenire, & tenuiſſimum, ubi ſtatim ſummos infert labores. Ergo in morborum principio præſcribenda eſt diæta reſpondens ſpatio, quod ſinguli habituri ſunt, tantoque parcior, quanto breviores futuros providemus, contraque liberalior proviſa longitudine, ut æger perdurare poſſit, atque ſuperſit detrahendum alimento appropinquante ſtatu, in quo ardet vehementior pugna inter morbum, & virtutem minus propterea cibi ſubigere paratam. Hanc cibandi formam a morbis cum Hippocrate acceptam in plures affectiones valere, non tamen in omnes, contendit Valleſius eximens ab ea ulcera, inflammationes, dolores a fluxione, catarrhos, in quibus perſuaſum habet, in principio tenuius nutriendum eſſe, craſſius ſtatum verſus, & in ſtatu, idque propter fluxionem, non morbum. Suum placitum confirmat documento Hippocratis præcipientis in principio pleuritidis

*Apho.* 10. *Sec.* 1.

*Lib.* 8. *Contro. cap.* 2. & *lib.* 2. *de rat. victus acut.*

*Lib.* 1. *de rat. vic. acut.*

ritidis exhiberi ptiſanam neque multam, neque valde craſſam, & augeri ſorbitionem, dum os humectatur, quæque ex pulmonibus efferuntur, optatam habent qualitatem, hoc eſt manifeſtam, non perfectam coctionem, quæ duo ſignificant appropinquare ſtatum, & judicationem. Non deſunt, qui aliter Hippocratem interpretantur, nec inde concludunt, quod ſenſit Valleſius; quorum conſiderationes omitto, quod utilius eſt in hac controverſia, brevius producturus. Judicatum eſt uberius cibandum eſſe in principio morborum, parcius in ſtatu, & prope propter diverſum impetum morbi magis, aut minus vires affligentem: neque licet hanc victus formam immutare, præterquam in iis morbis, in quibus aliquid conjunctum cibi majus affert impedimentum in principio, quam in ſtatu, ſicuti accidit in inflammationibus, aliiſque affectionibus ab humoribus in certam partem prolabentibus natis. Phlegmonarum principium eſt, Galeno auctore, quouſque pars inflammata fluente ſanguine impletur: augmentum, quando influxus ceſſat, parsque magis intumeſcit: vigor, ſeu ſtatus eſt, cum materies effuſa ſuppurat, ingenteſque dolores ciet. Neque vero crediderim a recentioribus poſſe negari uberiorem fluxum humorum ad partem in generatione phlegmonarum, qui harum cauſas efficientes ad ſpinam internam referunt, ſive humorem exoticum progenitum vitio digeſtionum; vel ad externas læſiones. Dum generatur inflammatio multo major copia humoris intra venas concitatur ad locum, quam quæ incipit effundi in carnes. Unde neceſſitas revulſionis paſſim ab Hippocrate, & Galeno celebratæ in fluxionis initio;

*De Tempori. Morbo. cap. 4.*

quod

quod placet præclaro evento illuſtrare, & comprobare narrato a Riverio. Monſpelii ſæviſſima graſſante febri epidemica anno 1623, ut media fere pars ægrotantium interierit, circa nonum, vel undecimum morbi diem parotides apparebant, intraque biduum ægros de medio tollebant. Multa meditatus Riverius, animatuſque praxi galenica ſecum ipſe decrevit icciirco ſanguinem emittere, quod crederet locum tumoris nimis anguſtum eſſe, neque capacem totius recipiendæ materiæ eo commotæ; factoque experimento tam proſpere exitus arriſit, ut toto illo anno, qui ſimili modo tractati fuerunt, evaſerint. Poſt tamen ſanguinis effuſionem paulatim factam, expurgans propinabat, ad magis minuendos, retrahendoſque humores. Itaque, incipiente inflammatione magis opponitur copioſo victui qua data porta confluens humor, quam incrementum, vigorque illius, atque de nulla re major ſollicitudo requiritur, quam de compeſcendo fluxu, in quem finem reliqua fruſtra tentantur, niſi eſcæ paucitate adjuventur, qua partes omnes inaniuntur, retineturque incitatus humor. Præceptum eſt itaque Galeni de univerſa victus ratione in curatione propria phlegmonarum in principio tenuiſſime cibandum eſſe. Sedata fluxione, hocque remoto impedimento aliquid menſæ adijcimus in incremento, & ſtatu. At enim Galenus ipſe, qui ſancit aliter cibandum eſſe in febribus, aliter in phlegmonis pro diverſis harum affectionum temporibus ait mutationem, quæ fit in vaſis materiæ febrilis, ſimilem eſſe ſuppurationis apoſtematum; qua pariter ſimilitudine uſus eſt Sidenhamius, qui reputat utramque affectionem machinam

*Praxeos medicæ lib. 17. cap. 1.*

*Lib. 6. Meth. cap. 5.*

*Lib. 1. de different. feb. cap. 7*

*Pag. 184*

nam naturæ ad depellenda infeſta. Quid igitur hac poſita ſimilitudine, inſtante phlegmonarum ſtatu uberior cibus offerendus erit, reſtrictior in ſtatu aliarum febrium? cum præſertim in utroque ſtatu moleſtia ſymptomatum vigeat viribus infenſa. Ut diſparem rationem inter utrumque eorum affectuum vigorem aſſequaris, teque liberes propoſita difficultate, animadverte in quo genere febrium victus circa ſtatum & in ſtatu attenuandus eſt. Nec enim ſimili modo contingit ſtatus omnium febrium, quæ minime ſymptomaticæ ſunt. In aliis, uti liquet ex doctrina Hippocratis, & Galeni, paulatim coquitur fomes febrilis, paulatimque evacuatur: in aliis ſenſim non excernitur, ſed totus reſervatur in ſtatum critice ſemel extrudendus. Atque de hiſce maxime febribus intelligo mandatum Hippocratis de minuendo victu in vigore. Hoc enim tempore vehementer natura laborat, ut univerſam materiem febrilem in totum ſeparet, explodatque, intenduntur, quæ aderant, ſymptomata, infenſioraque ſuperveniunt. Nec enim fieri poteſt ſecretio excernendorum, quaſi quodam cribrantis niſu ſine fluidorum magna commotione, & continentium irritatione. Dum ea ſeponuntur ab innoxiis, retinendiſque, quibus quadantenus temperabantur, ferociora evadunt, jactataque ob motum inſtantis excluſionis novo, & terribili comitatu vim ſuam, & pravitatem exerunt, videlicet anxietatibus, vigiliis, dementiis, gravibus ſomnis, aliiſque a Galeno deſcriptis, quæ ſolent apparere imminente criſi. Quare natura huic conflictui proxima, ac multo magis eundem obiens huc totum robur confert, revocatque ab

*Lib. 3. de criſib. cap. 1.*

*Lib. 3. de criſib. cap. 2.*

ab aliis functionibus, cumque modicum cibi conficere valeat, modicum petit detrimentum a copioſiore paſſura. Impura corpora, ut nuper ex Hippocrate vidimus, tanto magis lædimus, quanto nutrimus; eademque porro quantitas excrementorum agitata, & a ſociis benignis partibus ſoluta reddit impuriora corpora, quam minus commota, magiſque permiſta, uti ſunt ante propinquitatem ſtatus. Nunc meditemur vicinum, præſentemque ſtatum inflammationum, quæ febres comites habent. Nihil ſane aſſimile inveniemus. Nec enim materies per ſanguinem fuſa eſt, paulo poſt vehementiſſimo conatu ſecludenda, ſed ſecluſa jam eſt, certoque in loco coercita, quæ licet valide ſuppurans febrem, & dolorem augeat, cæteris paribus non adducit naturam in illud diſcrimen, in quod vidimus adduci in aliarum febrium ſtatu, neque imparem efficit paulo uberiori cibo ſubigendo. Huc adde quod cum propter fluxionem in principio pene integra cibi abſtinentia imperata ſit, æger viribus conſiſtere nequiret ad finem uſque morbi, niſi ſubinde aliquanto liberalius nutriretur. In pleuritide vero, & peripneumonia eſt peculiaris ratio, cur accedentibus ad ſtatum ſorbitio augenda ſit Hippocratis juſſu. Hoc tempore copioſiora ſputa contingunt, quibus incipiunt remittere dolores, permittitque remiſſio largiorem cibum, & interim conatu extuſſiendi facultates infirmantur, petuntque refectionem per alimentum, quarum poſtulato quocunque tempore morbi cujuslibet conditionis obtemperandum eſt; & licet etiam in principio celerrimæ affectionis cum magna virium imbecillitate ab victus tenuitate a Coo injuncta recedere, idque adijcere,

quod labentes vires ſuſtineat, de quo expreſſe a Gale-no commonemur. *Quippe cum vires legitimum robur ſuum habent, & morbi ſummus vigor brevi futurus expectatur, tenuiſſimo victu licet uti. Cum ſunt infirmiores, non licet ſine gravi noxa. Sed adijcere ad nutrimentum tantum oportet, quantum eſt de robore virium imminutum.* Igitur ne peccetur in victus menſura, diligenter inquirendum eſt, unde orta ſit debilitas, utrum a cauſis inanientibus, an replentibus. Hæ robur opprimunt, impediuntque, recreat evacuatio facta, non additio. Illæ deſtruunt, jacturaque ſola additione reparatur. Imagineris duos ægrotos æqualiter imbecillos videri, ſed alium incidiſſe in morbum prægreſſis cauſis inanientibus, cujuſmodi ſunt cibi penuria, vigiliæ, plurima corporis exercitatio, animi vehementes perturbationes, aliaque id genus; alterum oppoſitis cauſis, ſcilicet opipara menſa, vita deſide, vacatione a curis, longo ſomno. Palam eſt hos diverſe alendos eſſe, eumque tenujus, in quo vires onere premuntur, non conſumptæ ſunt. Quædam etiam affectiones incurrunt, in quibus non repletio, non inanitio viribus incommodat, ſed prava qualitas corruptrix ſpirituum, & humorum, in quibus communiter tam tenuis paſcendi ratio non approbatur, ut in aliis veneni expertibus. Sic plerique peſte affectos largius nutriunt, quam acutiſſimo morbo; neque parent cibandi legibus in aliis morbis obſervari ſolitis; & idcirco conſtat, quam ſcienter juſſerit Hippocrates victus formam ab viribus ſimul, & morbi ſpecie deſumi.

Lib. 11. Meth. cap. 5.

Non ſolum tempora univerſalia morborum, de quibus tractatum eſt, victus gratia pendenda ſunt, ſed

etiam

etiam particularia, abs quibus cognoſcimus, qua parte diei cibandum ſit, cognitis impedimentis inde natis. Quatuor horis circiter cibo novam febrium acceſſionem prævenimus propter refrigerationem totius corporis, perturbationem humorum, vomitum, aliaque, quæ ſcimus initio contingere ſolere capiendis cibis incommoda, quibus non eſt oneranda facultas a morbo maxime vexata. Proinde Cous in acceſſionibus cibum interdixit, quarum initium pars eſt admodum inopportuna, & magis ipſo vigore: ut ſi ægrotum in has anguſtias adactum putemus, ut vel in vigore, vel in principio cogatur veſci, præſtet id faciat in ipſo vigore, in quo omnia non ita turbata ſunt, confuſa, conſtrictaque, quemadmodum in principio; in quo præterea pravi humores ſolent ad ventriculum ferri ſaltem in febribus cum frigore, & horrore invadentibus, magnum cibatus obſtaculum. Hinc Cous, donec pedes frigidi ſunt, non ſolum a ſorbitione temperat, ſed etiam a potu, quem concedit duntaxat pedibus recalefactis. Id tamen perpetuum non eſt, atque interdum in acceſſionis principio propinandus eſt cibus, ſi eodem tempore bilis ſincera circum os ventriculi agitetur, ſi febris a cauſis admodum calefacientibus, & ſiccantibus ortum duxerit, & laborans calidæ, ſiccæque ſit temperaturæ; teſtaturque Galenus non paucos jam horrere incipientes dato pane ex vino diluto, horrore febrique liberatos eſſe; concluditque hujuſmodi febricitantes in prima acceſſionis invaſione ſemper eſſe nutriendos. Duo efficit hac occaſione cibus, ſufficit alimentum conſervandis viribus neceſſarium, morboque adverſatur, a quo tanquam medicamentum primario

*Lib.* 1. *Acut. morbo.*

*Lib.* 10. *Meth. cap.* 3. & 4.

indicatur, tanquam alimentum ſecundario, ſimileſque ſemper indicationes manant, quotieſcunque utimur cibatu pro medicamine, vel victum medicamentoſum paramus, qualem Priſci ſolebant eligere certi cum Hippocrate optimum eſſe medicamentum in alimento. Verum in præſentia parum ſolliciti ſumus de victu medicamentoſo, morbiſque contrario adeo commendato, uſurpatoque ab Hippocrate, & Galeno, quorum præſcriptum victum ſi vel unico intuitu ſpectemus, in proclivi nobis erit deprehendere quanto minus artificii ætas noſtra, quam vetuſta collocet in cibandis ægrotis. Noverunt ſummi viri victum medicinalem eſſe maxime fructuoſum, & neceſſarium, totique in hoc rite inſtituendo fuerunt. Cum enim medicina utatur alterantibus, hoc eſt quæ novas inducunt qualitates, & vitioſas corrigunt, & potiſſimum adhibentur in morbis ſimilaribus, extraneiſque humorum qualitatibus, ſi horum virtus in cibo potuque concluditur, multo efficacius inde corpora alterantur, quam per pura medicamenta parcius ingeri ſolita, citoque excerni: quatenus ea, quæ pro cibo potuque capiuntur, copioſius ingeruntur, ingeſtaque in carnes, ipſoſque humores mutantur, ut docte more ſuo advertit Proſper Martianus. *Lib. 2. de morbis.* Qua utilitate attenta tanta varietas eſt cibi potioniſque apud Priſcos excogitata ad calefaciendum, vel refrigerandum, attenuandum, vel incraſſandum, aliaſque qualitates obtinendas morbis adverſas, quibus hodie raro menſa inſtruitur. Univerſa pene laborantium diæta continetur pane juſculo vitulino incocto, ovis ſorbilibus, carnibus vitulinis, aut pullorum gallinæ, & frequentiſſime abſtinentia vini, nec raro perperam imperata,

rata,

rata; ſi ejuſdem veterem uſum penſitemus in pluribus morbis, & ipſis febribus, quod ſtato tempore Hippocrates, & Galenus propinarunt ad ſuccos attenuandos, promovendam coctionem, reſerandas vias, urgendamque urinæ excretionem. Quanta porro vini, quod Plinius ſanguinem terræ vocat, efficacia ad roborandum cor, vireſque reficiendas? Ante paucos annos ægroto valde debilitato ob prægreſſas copioſas una nocte vacuationes alvi, loco ſalis volatilis cornu cervi, vel ſimilis, quod meticuloſus collega exhibendum propoſuerat, vinum conceſſi, modicum etiam malvatici, quo mors inebriata (dulce eſt deſipere in loco, inquit Horatius) oblita fuit ſui muneris ad mediam noctem obeundi, ut ille futurum evulgaverat.

In morbis partium, neque totum corpus occupantibus, horum ſedes multum habet momenti ad demonſtrandum modum paſcendi; & licet pars affecta non ſit reponenda inter res præter naturam, quarum indicationes perſequimur, quia ratione morbi peculiarem victum ſuadet, hoc loco ejus indicationem exponimus. Quanquam unus eſt omnium facultatum in noſtris corporibus conſenſus & conſpiratio, diſcretæ ſedibus cum ſint, fit, ut aliæ aliis magis lædi poſſint, nec unius noxa æqualiter omnibus communicetur. Ita laborante ventriculo primæ coctionis officina virtutem coctricem, qualiſcunque ſit iſta, principaliter offendi exploratum eſt, eoque minus eduliorum ingerendum. Obſervare eſt phthiſicos fere ſolitam ante morbum ciborum quantitatem comedere ſine querela ventriculi, qui ulcere, tumore, aliiſque certis morbis affectus parem copiam nullo pacto ferre poſſet; idemque in plu-

pluribus aliis affectibus partium accidit a ventriculo diſſitarum, imo totius corporis. Non ſolum autem partes coctionis effectrices morbo implicatæ minorem cibi copiam deſiderant, quam aliæ cum eo crudo minime luctantes, ſed quæ primæ chilum recipiunt, aliove tranſvehunt; vidimuſque ex jecore phlegmonem patiente, qualem alendi rationem Galenus adhibeat ratus, eo chilum traduci. Nec diſſimilis eſt animadverſio de potu renibus male habentibus, ad quos, qua data via, potulenta allabuntur. Tritum eſt axioma, eſſe revocandos humores a parte affecta, non eo invitandos, quod pariter arguit renes morbo impeditos potionis copia onerandos non eſſe, niſi eſſet ejuſmodi morbus, ut eam pro medela poſceret. Vetant artis periti inflammatis renibus propinari, ut vocant, emulſionem ex quatuor ſeminibus frigidis majoribus tanquam diureticis, eoque allecturis humores, fluxumque aucturis. At potus ſine exoticæ qualitatis incitamento fertur ad renes, quos verſus tametſi alios humores non prolectaret, ſui copia exercere poteſt. Sunt tamen quidam eorum morbi, qui copiam potus ut medicamentum deſiderant, veluti ulcera, ad quæ detergenda ſerum copioſe hauſtum conducit.

Hactenus ratione inveſtigatum eſt moderamen victus in morbis: nunc de eodem conſulendus ſenſus eſt, quem ſecutus utiliſſimum in me ipſo expertus ſum. Anno 1720. menſe Maii decumbens ex febri continua acuta, de qua mentionem antea feci, non ſemel poſt aſſumptum cibum ea quantitate, quæ mihi ſufficere videbatur, quamve in aliis ſimili affectu detentis præſcripſiſſem, coactus fui ova duo ſorbere, aliquando

do etiam comedere panem vino diluto maceratum: quæ niſi prompte accepiſſem vehementer angebar, videbarque vita proxime periclitari; idque mihi contigit in vigore morbi, vel inſtante, nunquam in manifeſta univerſali declinatione. Cujus eventi cauſam non aliam reputo, quam tenuem, & bilioſum humorem circa os ſtomachi motum, & largiore cibo cohibitum, obtuſumque. Poſtridie quam hæc pati incæperim, multum bilis flavæ ſponte egeſſi, conſecutaque eſt non exigua febris, & ſymptomatum remiſſio. Unde, quæſo, me tam copioſo cibo indigere cognoſci poterat, niſi ex ſtomachi latratu? Quamobrem, licet tradita indicia ad rectam ciborum adminiſtrationem acquirendam oppido conferant, ſæpe reliquis anteponendus eſt ipſe ſenſus ægrotantis, quem interrogare oportet, num præſtitæ eduliorum quantitati ventriculus acquieſcat, majorem poſcat, an ægre ferat acceptam. Ipſe meo parens ſenſui, cibique deſiderio indulgens, non regularum medicarum ſpeculatione ex anguſtiis evadebam, meo comprobans experimento, quod docuit Hippocrates, regimen alimenti exactum non aliud reperiri, quam corporis ſenſum, ſine cujus obſervatione fieri nequit, quin graviter aliquando peccetur. Noſcit venter, ait Hippocrates, quod intelligi non poteſt, doctaque natura ſine doctore, & ſuorum operum diligens cuſtos noſtris corporibus, ut advertit Galenus, virtutem appetitus conceſſit ad cognoſcendam horam neceſſitatis ciborum, quantitatem aſſumendam, eorumque ſpeciem; quod velim interpreteris non ſolum de ventriculis ſanorum, ſed etiam ægrotantium. Non diffiteor, vi morbi appetitum interdum a juſta quantitate

*De Veteri Medic. num. 16.*

*Lib. 1. de Diæta.*

*In lib. de diſſolut. continui.*

titate aberrare, ſed judico acrius urgentem ex majori parte explendum eſſe, modo abſit varietas, illectuſque cibariorum, & aperta cauſa repugnandi. Multa enim eveniunt in morbis, quæ conjecturam effugiunt, ſolo ſenſu declarantur, agendaque declarant. Menſe junii anni proxime præteriti nobilis adoleſcens annorum circiter decem & octo, qui laboraverat pleuritide longa, difficili, multis comitata ſymptomatis, & mutationes varias molita, ut in tabem lapſurus crederetur, in declinatione manifeſta mali uberiorem cibi quantitatem impenſius expetebat, cui, aliis medicis collegis recuſantibus, indulſi, ut ex majori parte famem ſatiaret, ſicque utiliter ægroti, ejuſque ventriculi querelas ſedavi. In his rebus, ait Cicero, quæ ad quietem animi, delectationemque quæruntur, natura dominatur: neque minus, ut judicare par eſt, in his, quorum appetitionem nobis indidit corporis tuendi gratia. Iterum aliquid negocii mihi habendum eſt cum iis, qui omnia infortunia a copia ciborum, & ſatietate ægrotantium metuunt, tutiorem habent inopiam, inediamque; quaſi rarius hiſce abuti poſſemus, & leviora detrimenta impenderent: qui tamen abunde erudiri poſſunt ab Hippocrate, & Galeno paſſim animadvertentibus quot inde adverſa eveniant, nimirum ob jejunium bilioſorum ventrem cruditatibus repleri, quæ percalefactæ, attenuatæque in acres particulas in caput obrepunt, efficiuntque temporum pulſationem: ob eandem cauſam bilem amariorem fieri; & in bilioſis febrem accendi, carnes eliquari, morderi ſtomachum, & inde cor: aliquos præterea intempeſtiva inedia epilepſia, & vertigine tentari, aliquos in febrem hecti-

*Lib. 2. de legib.*

*Lib. 2. de rat. vic. acut.*

*Lib. 2. de rat. vic. acut.*

cam

cam incidere, nempe picrocholos, ſive amarulentos. Quantum vero attinet ad ſenſum ægroti, unde parumper digreſſi ſumus, facilius quidem eſt illum æſtimanti determinare, legitimus ne ſit, an degener, quam eo neglecto ex aliis indiciis idoneam alimenti quantitatem præfinire. Id ſolum generaliter adnotandum occurrit, in valido deſiderio cibi, ſi eodem tempore venæ crudis ſuccis affluant, eligenda eſſe cibaria, quæ quantitate replendo deſiderium ſopiant, parum nutrimenti præbeant in venas ituri: contraque in alimenti indigentia, dejectioneque appetentiæ exhibenda eſſe, quæ pauca quantitate multum nutriunt. Præter quantitatem non raro etiam ſenſus, quo exquiſitiſſimo ventriculus donatur, qualitatem cibi potioniſque in ægrotantibus oſtendit. Non pauci febricitantes vinum impenſius deſiderantes, eoque a domeſticis clam impetrato, inde melius habuerunt accerſito ſomno, & ſudore. Obſervamus etiam non infrequenter cibos ab ægrotis vehementius optatos, etſi craſſioris ſucci, & difficilioris coctionis, facilius tamen coqui, & utiliores eſſe melioribus non peroptatis. Novit Bohnius plures, quibus in declinatione febris coctrix facultas languebat, molleſque cibi faſtidio erant, eſu carnis ſuillæ fumo induratæ, farciminum ſimiliumque eſculentorum adjutos priſtinum ventriculi robur recuperaſſe; nempe inciſo, vel alia ratione ſubacto humore appetentiam obtundente, ſuffectoque congruo, ut erat ſtatus ægrotantis, nutrimento. Sequitur appetitum in comedendo voluptas, quæ cauſa eſt, vel indicium futuræ comeſtorum utilitatis. Ut enim ait Galenus, ſubſtantia alendo corpori fami-

*Cap. 10. de moderanda diæta.*

*Lib. 3. de Aliment. facultat. cap. 27.*

liaris, & accommodata voluptate judicatur, quæ non ſemper eadem ab iiſdem cibis percipitur ob mutationes, quæ in guſtus coctioniſque inſtrumentis contingunt, efficiuntque, ut diverſi nutrimenti cibaria expetantur. Celebris eſt hiſtoria apud Lindanum ſuper Hartmannum virginis viginti annorum Amſtelodami, quæ, cum ex ulcere pulmonum per plures annos hectica decumberet, capta ingenti deſiderio oſtreas comedendi, hiſce impetratis, earundem uſu intra breve tempus morbum refractarium, & ſpem medicorum ſuperavit.

## CAPUT XI.

*De indicatione ſecundaria ſex rerum non naturalium.*

SEx res non naturales aer, cibus, & potus, motus, & quies, ſomnus, & vigilia, excreta, & retenta, animique perturbationes nocentis naturam aſſumunt, & indicationem habent primariam curationis, cum morbos producunt, uti copioſior ingeſtus cibus, excernenda retenta, & alia, de qua indicatione ſatis in ſuperioribus. Curationem autem ſecundario tantum indicant tanquam res non naturales, & mediæ inter naturales, & præter naturam; quove pacto id præſtent, nunc oſtendemus. Itaque aer, quem Fracaſtorius patrem rerum, & auctorem appellat: *Lib. 1. Syph.* *Aer quippe pater rerum eſt, & originis auctor*; & Antiqui divinitatis eſſe participem crediderunt; imo Diogenes Appolloniates Deum vocare conſuevit, & nobiles

biles Sinenſium hodie, ut accepi, reputant; cui pariter Hippocrates noſter primario intelligentiam tribuit; aer inquam, primum locum inter res non naturales habet, tantumque ponderis ad regendam curationem, ut eum Galenus inter prima indicantia recenſeat ſimiliter ac morbum, corporiſque temperamentum, cauſam reputans, ſine qua neque ſanitas conſervari poteſt, neque morbus tolli. Revera tamen aer nunquam primarium indicans eſt, niſi conſideratus tanquam cauſa interna ſanitatis, vel morbi; ac proinde Galenus ipſe agens de differentiis primarum indicationum, duas ſolum ſtatuit, naturam, & morbum. Porro aeris nomine cum Galeno primo intelligimus ſpiritum nos circum fuſum, deinde regionem, anni tempus, cœlique ſtatum, abs quibus aeris qualitates immutantur. Hæc vero ad ſecundaria indicantia curationis revocantur, quatenus ſignificantia ſtatum naturæ, morbique auxiliorum cognitioni conducunt. Ergo primo in aere attendimus mutationes, quæ contingunt, dum ſol curſum ſuum tum ad meridiem inflectens, tum ad ſeptentriones æſtatem, & hyemem efficit, & ea duo tempora, quorum alterum, ut cum Tullio loquar, adjunctum eſt ſeneſcenti æſtati, alterum hyemi. Earum mutationum obſervatione Hippocrates diverſas vias purgationis deſignat. *Expurgare æſtate per ſuperiora magis, hyeme per inferiora*. Declarant hæ tempeſtates diverſam humorum conditionem, hoc eſt hyems noſtra corpora craſſis ſuccis redundare, æſtas tenuibus; & inde cognoſcimus illos facilius per inferiora excerni, hos per ſuperiora. Craſſi enim proprio pondere adjuti promptius ſequuntur actionem

*Lib. 9. Meth. cap. 13.*

*Lib. 3. Meth. cap. 3.*

*Lib. 2. de Nat. Deo.*

*Sec. 4. apho. 4.*

R 2 phar-

pharmaci deijcientis ; & contraria ratione tenues facile per ſuperiora reijciuntur; & idcirco Cous in locis fervidioribus medicinam faciens frequentius vomitoria propinavit, quam deijcientia. Non diſſimili reſpectu hybernum tempus monet eſſe uſurpanda fortiora purgantia, æſtivum mitiora. Cum enim hac temreſtate ſint rariora corpora, laxiores viæ, tenujoreſque humores, hyeme craſſiores, arctioreſque meatus, inde docemur vim purgantis augendam hyeme, extenuandam æſtate. Aliam quoque purgationis cautionem colligit Hippocrates ex anni tempore, dum ait ſub cane, & ante canem difficiles eſſe purgationes. Dies caniculares purgationibus opponuntur non propter occultam aſtri proprietatem, ſed ingentem caliditatem, & ſiccitatem, quæ hiſce diebus vigent, ut manifeſte apparet ex alio Hippocratico juſſu vetante in febribus fortibus expurgari ob magnum viſcerum æſtum, quo timet Senex, ne ſugatur pharmacum, irritumve reddatur, imo noxium adaugendo æſtuantium viſcerum calorem. Itaque tempus caniculare ex Hippocrate indicans quam parit viſcerum caliditatem, & ſiccitatem, purgationis difficultatem portendit, propter quam vel omnibus purgantibus parcimus, vel cogente neceſſitate tantummodo mitioribus utimur ſuperadditis potionibus refrigerantibus. Pariter Galenus ex aeris magna caliditate, & ſiccitate citam corporis vaporationem efficiente capit argumentum abſtinendi a ſanguinis effuſione, & ſi morbus magnus eſt cum ætatis vigore. Copioſa celerque exhalatio ſanguinem minuit, neque cumulari ſinit, vireſque debilitat magis caſuras ex ſanguinis detractione per venas; eaque co-

*Lib. 4. de rat. vic. acut.*

cognita denotat abeſſe, quicquid requiritur ad venam utiliter feriendam. Eam vero demonſtrat vehemens caliditas aeris cum ſiccitate pari; & inde conjectamus quæ pro venæ ſectione ſint alia ſubſtituenda remedia. Alia etiam ratione Veteres caverunt ab effundendo ſanguine æſtiva tempeſtate, nimirum quia ſanguis per id temporis tenuiſſimus eſt, humorique bilioſo quam proximus, quem magis attenuans inciſio venæ verendum eſt, ne per calorem, & ſiccitatem æſtatis ad naturam bilioſi ſucci perducat. Quocirca Hippocrates cruenta ſpuenti æſtivo tempore, ut interpretatur Galenus, vetat ſanguinem emitti: quippe qui emiſſione tenujor redditus, promptior efflueret, augeretque ſputa cruenta, non ſupprimeret. Caliditas igitur, ſiccitaſque aeris æſtivi denotantes ſanguinis ſtatum demonſtrant educendi indicationem deeſſe. Ex quibus, cedo, quis non perſpiciat quanto cautiores, quanto plura præceptores noſtri attenderint, antequam ſcalpellum vaſis admoverent? Hippocrates in ſputo ſanguineo tempore æſtivo temperat a venæ punctione, Galenus etiam in morbo magno, ætatiſque vigore ob vehementiam caliditatis, & ſiccitatis aeris; tamen neuter partium ſtudio parum amicus erat venæ ſectionis: quinimmo uterque ex data opportunitate non dubitavit cruorem uſque ad animi deliquium extrahere: quo præclarior elucet vetus artis peritia. Qualis autem erit eorum peritia, qui media æſtate in febribus tertianis intermittentibus, quæ cum periculo fere vacent, inter morbos magnos recenſeri nequeunt, ut pluries vidi, venam cruentant? At enim videmus nihilo ſecius ægrotantes convaleſcere. Idne poteſt ſatis eorum inſci-

*In lib. de humor.*

inſcitiam, erroremque purgare? Habebit ne gratias ægrotus medico, qui venenum non porrigit, non occidit, tamen curationem moleſtam reddit, retardat, impeditque quo minus a morbo cito vires recolligantur? Neque vero erranti patrocinatur Galenus, qui decernit in tertiana impura eſſe ſanguinem effundendum initio, ſi opus erit. Ex aliis enim ejuſdem documentis de vena incidenda liquet ea tempeſtate non opus eſſe. Me refero ad indicationem aeris, ex cujus calore Avicenna colligit modum ſervandum in vulneratione venæ, jubetque, ne tempore calido late vena perforetur ad evitandum copioſum effluxum ſpirituum amplitudinem foraminis conſecuturum. Convenit inter omnes magis ſanguinem perfrigerari ex lata venæ apertura, quam anguſta, eoque plus caloris, & ſpirituum diſſipari; idque in cauſa eſt majoris refrigerationis, non exitus ſanguinis ſub tota ſua compage, ut Bohnio viſum eſt; ac certe niſi ſanguis e vena grandi minus ample perforata ſub tota ſua compagine exiliret, multo minus id eveniret illo ex capillaribus arteriis ad venas permeante, quod neſcio an Circuitionis fautoribus placiturum ſit. Oppoſito tempore, hoc eſt, valde frigida hyeme Galenus non ſolum latum venæ vulnus formidat, ſed omne; quam formidinem ita interpretor, ut gravi ſolum occaſione, & parcius ſanguis educendus ſit frigore ſæviente, quod plures igniculos vitæ reſtinguit, citamque extinctorum reparationem impedit, quibus vires morbo ferendo ſufficiunt.

*Lib. 1. de Art. curand. ad Glauc.*

*De ſang. miſ. cap. 13.*

Diverſi aſtrorum concurſus, uti lunæ cum ſole, vel cum ſaturno, aut marte aliquibus argumento ſunt

tem-

temperandi a venæ ſectione, & purgatione, quos non improbo, ſi eodem tempore magnæ temporum mutationes cotingant, hoc eſt ex calido in frigidum, & ex frigido in calidum, ſimileſque tranſitus ex contrariis in contrarias qualitates; ſi ſine noxa liceat eas vacuationes procraſtinare, uti cum animus eſt eaſdem præſervationis gratia moliri. Inſignes temporum deſcriptæ mutationes multa in noſtris corporibus agitant, alterantque, docetque Hippocrates ventriculos in hominibus una cum temporibus mutari; eoque utilius eſt alias mutationes, quæ per vacuantia fiunt, in dies quietiores, dum cauſa morbifica ſinit, differre. Quemadmodum enim cœlo tranquillo & ſereno alacriores ſumus, promptioreſque ad ſolitas functiones exercendas; ſimiliter magis valemus ſuſtinendis vacuationibus. Obſervatum etiam eſt, quædam fortia purgantia longe moleſtiora eſſe die opaco, quam lucido. Scribit Plinius veratrum, quo frequenter utebantur Antiqui, die nubilo datum ſolere impatibiles cruciatus vel in cura felici excitare: qua ratione æſtate potius, quam hyeme tuto præberi creditum eſt. Infrequens uſus ellebori noſtris temporibus, & quantitate, qua ſolebat a Priſcis porrigi, ſuſtulit occaſionem confirmandæ obſervationis. Si tamen vera narrantur, indubitatum eſt, elleborum tranquillo duntaxat die præbendum eſſe, aliiſque interea utendum purgantibus ſi neceſſitas urgeat, & nubila tempeſtas perſeveret. Qualeſcunque igitur ſint aſtrorum conjunctiones, quo die nulla inſignis adeſt aeris alteratio, inauſpicato venæ ſectio, & purgatio non præſcribuntur. *Magnas autem temporum mutationes*, ait Hippocrates, *maxime*

*De Aere, aquis, & locis.*

*Lib. 25. cap. 5.*

*De Aere, locis, & aquis.*

*xime obſervare oportet, ut neque pharmacum quiſque volens det.* Volentes damus pharmacum vel præſervationis gratia, vel cauſa morbi tutam dilationem concedente. Cum autem acutis medemur, in quibus cito præterit occaſio remedii, prius exploranda facies ægrotantis eſt, quam cœli; pluriſque faciendus interior tumultus, quam exterior, pluris impetus humorum in partem principem, quam ventorum in aerem, pluris ardor ſanguinis, & viſcerum, quam martis, aut frigus ſaturni. Proſper Martianus aliter interpretatur Hippocratem, quem credit locutum eſſe de curatione morborum præſentium, non de præſervatione a futuris, dum inhibet exhiberi pharmacum in magnis aeris mutationibus. Quoniam in hiſce morborum judicationes lethales, aut ſalutares maxime contingunt; ideoque per id tempus expedit vacare a magnis remediis, ne forte ſalubres motus naturæ intercipiantur, vel mors ſecutura medico adſcribatur. Veruntamen hæc animadverſio locum non habet in morbis acutis, in quibus imminente criſi nullum generoſum remedium uſurpandum eſt etiam tempore in eodem ſtatu perſeverante. Initio autem, quæcunque ſit temporum alteratio, movendum eſt, quod movendum videtur, quo tranſacto aptiorem occaſionem movendi quietior, & conſtantior aer non offeret.

Non ſolum ad aerem reſpiciendum eſt in expoſitis evacuationibus faciendis, ſed etiam ſolis alterationibus, ſive calefaciendum ſit, ſive refrigerandum, vel alia quæcunque nova qualitas inducenda. In quacunque exuperantia manifeſtarum qualitatum ægrotationem poſitam eſſe imaginemur, ſæpe aer qualitatibus imbuitur

tur vel eam oppugnantibus, vel foventibus. Morbis, exempli gratia, calidis, ſiccisſque adverſatur aeris humiditas, & frigiditas, eſtque pars aliqua remedii, cujus ratio habenda eſt in deliberatione aliorum refrigerantium, & humectantium, quæ ſane remiſſiora conveniunt, quam in aere calido, ſiccoque. Contra ſi morbus calidus, ſiccuſque, cujuſmodi febris eſt, incidat æſtivo tempore, tanto magis adaugenda eſt frigiditas, & humiditas aliorum remediorum, quanto aer calidior erit, ſicciorque, imo hic ipſe ſimili modo, quoad poſſumus, immutandus. Non diſſimili ratione ex cognitione aliarum aeris qualitatum, quales ſunt gravitas, levitas, tenuitas, craſſities, puritas, impuritas, aliæque hujus generis modum curationis deprehendimus. Fac eſſe reſerandos cutis meatus, attenuandos humores, augendum corporis perſpiratum, movendos ſudores. Si aer natura ſua craſſus, & denſus eſt, certe valentiora diſſolventia requiruntur, & attenuantia, quam in aere tenujore, vimque medicaminum adjuvante; exiſtimoque multa, eaque gravia in medicatione errata committi propter inobſervatam aeris conditionem, quem merito Galenus cauſam ſine qua non reparandæ, conſervandæque ſanitatis appellavit. Morbi longi difficileſque ad curandum, quos non infrequenter videmus aeris mutatione vel in totum, vel magnam partem ſanatos non ne ejuſdem efficaciam ad bonam, vel malam valetudinem apertiſſime comprobant? Felicior igitur erit curatio, quo magis ad aeris qualitates concinnata: quas tamen parum obſervant plures medici noſtrates, qui ſtatim ac a ſcriptoribus anglis, belgis, germanis, aliiſque valde diſſimilium

S regio-

regionum incolis remedia contra morbos emittuntur, conniventibus oculis recipiunt, in uſum vocant, quaſi in tanta cœli diverſitate, unde primo temperamentorum differentiæ oriuntur, eundem effectum ſperare liceret. Non inficias eo, multa remedia ubique idonea eſſe, & in quocunque cœli ſtatu, quæ tamen ipſa in diverſis locis non æqualem obtinent efficaciam, ut in aliis augenda ſit quantitas, in aliis minuenda, in aliis retinenda ſpecies remedii ſubalterna, infirma mutanda. Regionis conſiderationem, quam cum Galeno diximus ad aerem pertinere, prætermittimus, qui ſatis de ea diximus agendo de iis, quæ ad conſuetudinem referuntur.

Cibi, potuſque conſideratio duplici titulo conducit inſtituendis curationibus, ratione conſuetudinis, vel præſentis corporis ſtatus, quando recens ingeſtus eſt. Quantum valeat longus uſus præteritorum ciborum præſcribendo victui ægrotantium ſupra ſatis demonſtratum eſt, neque huc attinet aliud de cibo, potuque penſitare, niſi quod inde colligi poteſt in adminiſtratione remediorum, quorum quædam vel vacuum ventriculum requirunt, vel ſaltem crudo cibo minime repletum, uti venæ ſectio, purgatio per inferiora. Ventriculo cibis repleto ſi ſanguinem effundas præſertim e venis majoribus, & copioſe, periculum ſubeſt, ne multum crudi ſucci in locum ſanguinis ſuccedat, accelerata diſtributione ab inanitione, indigentiaque vaſorum, & concoctione perturbata. Inferna purgatio item prohibetur, quo tempore ventriculus cibis refercitur, ne vis cathartici obruatur, vel ipſi cibi corrumpantur, aut ſemicrudi in venas, totumque

que corpus deferantur. Proinde validiora purgantia matutino tantum tempore appoſite præbentur, quo concoctiones omnes fere abſolutæ ſunt, ſtomachuſque depletus: quinimmo in eundem finem pridie ſolet præcipi levis cœna, matureque accepta. Hinc liquet catapotia, ſeu pilulas poſt cœnam non eſſe ſumendas; imo Fuchſius etiam paulo ante cœnam intentiſſimo animo reprobat, primo auctoritate Æginetæ vetantis aloen exporrigi paulo ante, vel poſt cibum; deinde oppugnatione rationis adverſariorum. Verum ſicuti fortia cathartica neque ante cœnam, neque paulo poſt accipienda judicamus; ita quotidie obſervamus laxantia, mitioraque purgantia parce ſumpta ante cœnam bene vertere. Evacuationi porro per ſuperiora non obſtat aſſumptus cibus, imo teſtimonio Hippocratis ſaltem in gracilibus facilior, utiliorque redditur vomitio poſt multiplicem, variumque cibum facta. Quin etiam Cous difficulter vomentes paſſim admonet, ut cibo, potuque repleti vomant, quod inde humeſcentibus, laxatiſque partibus facilior vomitio contingit, tolliturque periculum ruptionis alicujus venæ. In hunc finem etiam balneum præcipit ſumpturis elleborum album, quod certe humectat partes, & rarefacit. In uſu quoque alterantium habenda eſt ratio accepti cibi, accipiendique. Obſervavi non ſemel, quæ cordialia vocantur, pluries quotidie modo ante, modo poſt cibum modo longiore, modo breviore intervallo a cibo offerri, quæ ſimili modo præſtita ſanis vix innoxia forent. Quemadmodum in morbis omnibus magna pars eſt curationis conveniens victus, ſic magna ſemper coctionis cura ſit oportet, quam ipſa remedia ſæpe tur-

*Lib. 2. Inſtitutio. Med. ſec. 5. c. 18.*

*Lib. 7. cap. 4.*

*De ſalubri diæta.*

bant, præveniuntque certa jactura ſperatum levamen; uti præſertim potiones medicamentoſæ, ſi præbeantur a prandio, & ante cœnam, antequam majori ex parte peracta ſit concoctio. Cur enim potio, quæ inter prandium, cœnamque ſumpta læderet coctionem ſanorum, ægrotantium relinquet intactam? At eſt medicinalis. Quid inde? Nihil eſt amicius ſano ſtomacho, & congruentius optimo vino, quod tamen intempeſtive potum coctioni non parum incommodat, ut experiuntur, qui præpoſtero potui minime ſunt aſſueti. Ipſum remedium ventriculi viribus ſuperandum eſt, quæ coctionem molientes novis ingeſtis diſtrahendæ non ſunt, expeditque, niſi aliquid recens accidat, vel alia neceſſitas urgeat, antequam coctio pene peracta ſit, quocunque medicamento abſtinere. Mos eſt etiam diluculo ſyrupos, & decoctiones præbere, quibus non raro laborantes eo potiſſimum læduntur, quod in pluribus morbis ventriculus tardus ad concoquendum nondum probe cœnam ſubegit; & idcirco quotieſcunque ſyrupos præſcribo, moneo ægrotos, ut invito ſtomacho minime ſumant, atque dum habent indicia non bene concoctæ cœnæ. Quid, peto, emolumenti expectandum eſt a decoctionibus herbarum, ventriculo etiam cibo allaborante, vel exoticis ſuccis fatigato? Illæ igitur omittendæ, vel ſi offerendæ ſunt, parcior cœna ſit oportet, quo ſuperſit virtus expedita ad vincendum, quod bene mane exporrigendum eſt.

Motus, & quies præterita eandem habent in curationibus indicationem, ac vitæ genus exercitatæ, vel quietæ, & deſidioſæ, quæ ſignificatione diverſæ quantitatis, & qualitatis congeſtorum humorum moderatur

tur curationem, ut explicatum eſt. Illud unum addo a motu valido recens obito retardari executionem venæ punctionis, & purgationis. Finge animo illico poſt motum oboriri morbum ea præſidia ſuadentem, certe cunctari opus eſt, donec calor, & agitatio motus in totum ceſſarint. De venæ inciſione eſt expreſſum Avicennæ præceptum agentis de removendis impedimentis in regimine ſanitatis, non eſſe vulnerandam venam poſt motum. Ac vere ſicuti quieſcendum eſt poſt venæ vulnerationem, ipſaque vena vulneranda non ſedenti, vel ſtanti, ſed ægro in maxima tum corporis, tum animi, ut ait Fernelius, tranquillitate decumbenti ad evitandum motum inæqualem humorum, perturbatumque; ita quies ob eandem cauſam præcedat oportet, quæ pariter ſubſequi debet. De purgatione quoque eſt aperta ratio differri oportere, dum omnino quieverit agitatio humorum a motu, præſertim ſi animus eſt colluviem venarum expurgare. Motus validus confundit, magiſque permiſcet humores, obſtatque ſeparationi excernendorum faciendæ per expurgantia.

Somnus, & vigilia, quibus noſtrum corpus diverſe afficitur, variam quoque in morbis curandis indicationem ſuggerunt. Somnus, quem Ovidius vocat quietem rerum, pacemque animi, toti corpori utiliſſimus eſt, ſed principaliter viſceribus juxta illud Hippocratis: *Labor articulis, & carnibus, cibus vero, & ſomnus viſceribus*; humectat, coctiones adjuvat, vireſque reparat; ex quo non raro nanciſci licet idoneum tempus expurgandi, vel perforandæ venæ. Sæpe vires ægrotantium adeo languent, ut evacuationes, quas utiles Lib. 6. Epid.

utiles aliunde judicamus, moliri vereamur. Superveniens nox proſpera, ſomnuſque exhibet opportunitatem remedii, quam abſtuliſſent vigiliæ infenſæ viribus, viſceribuſque. Quare Galenus non minus a vigiliis, quam aere impediri poſſe vacuationem cenſuit, præſtatque præcipue in morbis acutis mane habita cognitione noctis præteritæ evacuationem præſcribere, quam pridie. Multum ſpirituum abſumunt vigiliæ, reſiccantque viſcera, atque cum utroque modo evacuandis ægrotis incommodent, ſiccitate tamen potiſſimum iis, qui purgatione indigent, cui monitu Coi humectantia præmittere ſolemus. Atque, licet una nox inſomnis vehementem ſiccitatem parere nequeat, & omnino fruſtrari purgationem, hanc tamen morbo moram concedente differrem; evacuationis feſtinationem poſtulante, ita providerem, eligeremque medicamentum evacuans ſimul, humectanſque, cujuſmodi creditur eſſe medulla caſſiæ: vel ſi aliud requireretur, hoc infunderem decoctioni humectanti, aut hanc paulo poſt propinarem. Nihil temere, nihil negligere, ait Hippocrates, & Tullius omnem actionem debere vacare temeritate, & negligentia. Nihil igitur negligendum eſt medico ex iis, quæ apparent in ægrotis, nihil ex iis, quæ inde ad medicationem exactam elici poſſunt: ſciteque monet Sydenhamius ſine obſervatione minutiarum neminem poſſe medicina facienda excellere. Eſt etiam perfectioris imaginationis, ad quam probat Huarte medicam praxim pertinere, exiguas quaſque res diſcernere, æſtimare, ea ferme ratione, qua aliorum ſenſuum perfectionem inde metimur, quod vel levem ſenſibilium appulſum prompte percipiunt. Sed

*Lib. 1. ad Glau. co. cap. 14.*

*Lib. morbo. popu. Lib. 1. de Offic.*

*In exa. ingen. cap. 12.*

Sed revertendum in viam. Eadem de cauſa, quod ſomnus humectat, exiccant vigiliæ, ſi ex duobus calido, ſiccoque morbo affectis vigilet alter, alter ſtatis temporibus dormiat, conſtat minus eſſe refrigerandum, & humectandum ſomno fruentem, quam vigiliis afflictum. Porro quia ſomnus humores, ſpirituſque ad interiora convocat, ſequitur proxime a ſomno non eſſe reſerandam venam, ſed expectandum dum æqualiter humores totum irrigent corpus, & ſpiritus irradient, ſicuti præceptum eſt a Galeno, qui mane venam incidi juſſit horam unam jam antea vigilantibus, niſi quidpiam urgeret, prohiberetque moram. Ex oppoſito prodeſt confeſtim a ſomno aſſumere purgantia, quibus humores ad viſcera alliciuntur, ubi a ſomno prægreſſo collecti fuerant. *De ſang. miſ. cap. 20.*

Excretio, & retentio plurium rerum ſunt, de quibus omnibus verba minime faciemus, ſed tantum de præcipuis, quæque magis ad hunc locum pertinent, quod in pluribus morbis animadvertenda occurrunt, hoc eſt de fœcibus alvi, menſibus, ſemine, inſenſilique perſpiratu, quæ hoc pacto ſecundariam indicationem præbent. Fœces alvi, antequam ſolito tempore excernantur, venæ ſectionem in ægrotatione non præcipiti retardant, excretioque feſtinatur clyſtere: excretæ permittunt. Sic coitus recens alias petitas vacuationes, ſive purgante fiant, ſive ſcalpello, vel impedit, vel remoratur, vel parciores efficiendas arguit, quatenus majorem, vel minorem virium imbecillitatem cum aliis indiciis ſignificat, quæ potiſſimum ſunt temperamentum, habitus corporis, ætas, anni tempus. Plus enim virium atterit venus æſtivo tempore

in

in corporibus calidis, ſiccisque, jam ætate declinante, quam vere in juvenibus ſanguinea præditis temperatione, denſoque corpore. Ac ſane cum ipſe quoque cibus ſtatim poſt venerem intempeſtivus ſit ob conſumptos ſpiritus, expediatque corpus quieti tradi, multo magis intempeſtivæ vacuationes erunt poſt venerem, quæ nuper vires defatigavit. Verum inter excreta, & retenta nihil eſt quod frequentius in curationibus medentis attentionem exigat menſtruorum fluxu etiam pro modo naturæ facto, de quo nunc eſt ſermo, non de morboſo, qui inter res non naturales non recenſetur. Itaque menſtruis rite fluentibus, ſi oborta affectio ſanguinis emiſſionem expoſtulat, niſi urget impenſius, non pauci venæ parcendum judicant, tanquam ſpontanea vacuatio ſuppleret petitam. At in magna ſanguinis indigentia, cui nequit ſatisfieri utero ſtillante, aliam ſanguinis quantitatem pertuſa vena certis cautionibus adhibitis effundunt. Zacutus Luſitanus affirmat ſe curaſſe juvenculam apoplexia correptam, dum recte menſtrua manabant, quater ſecta vena cephalica intra octo horas factis frictionibus crurum, & cucurbitulis femoribus appoſitis, ut hiſce revellentibus inferior vacuatio continuaret, nec impediretur vi aliorum auxiliorum. Alii in morbo minus præcipiti, ſed uberiorem ſanguinis effuſionem requirente, quam ut queat obtineri per lunarem purgationem, venam tali feriunt. Morbo vero purgationem flagitante, menſtruiſque manantibus Lodovicus Mercatus, Rodericus a Caſtro, aliiqui quam plures eam prætermittunt. Donec ſubſtiterint fluentia, veriti ne per aliam evacuationem menſtrualis impediatur admodum ſalutaris credita, utilior-

*Lib. 1. de medic. Princi. Hiſt. Obſervat. 3. 1.*

liorque commodo a purgante ſperabili. Porro non ſolum eas evacuationes molituro habenda eſt ratio menſtruæ purgationis, ſed alias prætera faciendas per vias ſudoris, aut urinæ, quæ calidis, & diſſolventibus ſolent excitari, a quibus impendet periculum, ne nimis incitetur natura jam lunarem patiens motum, vel alio deducatur, & ad loca minus conferentia.

Quemadmodum in curationibus reſpiciendum eſt ad ſenſibiles excretiones inter res non naturales numeratas; item ad inſenſibilem, quæ fit per inviſibilia foramina, qua, ſcimus ex Sanctorii ſtatica medicina, ſi fit pro modo naturæ, quot redundent ad nos utilitates, quot detrimenta importentur, ſi minuitur, inhibeturque. Quare in adminiſtratione medicaminum in id magnopere incumbendum eſt, ut caveamus perſpirationem minuentia, quæ plurimum in morbis minui ſolet, maximeque in febribus putridis, quas antiqui crediderunt vel a ſolo impedito perſpiratu accendi poſſe, vel ſine illo non poſſe. Unde Sanctorius: *Febricitantes in pejus æque incidunt, ſi a medico imperito medicamentis importune exhibitis illorum perſpiratio divertatur, ac ſi ab erratis ægrotantium*: ob eamque cauſam Martinus Liſter vehementer dolet aut ignorantiam, aut avaritiam medicorum, qui hodie adverſus priſcorum morem, medicaminum frequentatione in febribus tot turbas excitant, læduntque perſpirationem præcipuum febrium remedium. Liquet ex eodem Sanctorio per ſenſibiles excretiones inſenſibilem minui, quæ perperam factæ duplicem jacturam inferunt, eorum, quæ excernuntur, & commodi ab expulſione inviſibilis proventuri. Neque ſane alterantibus ſolis perverſe uſurpatis eodem com-

*De pond. derat. Apho. 47*

modo minus privari poſſunt febricitantes. Cum enim ea, quæ vulgo adhibentur alterantia, ſæpe ſint refrigerantia, ſæpe incongruenti tempore præbeantur, difficilem reddunt coctionem, tardioremque perſpiratum, qui, ut notat Sanctorius, ad eam conſequitur. Quid dicam de inunctione Aetii, qua laborantes ex febre maligna, & ſtigmatica circumliniri ſolent? Eam proponit Aetius ex Herodoto, exiſtimatque efficacem ad retinendas puſtulas circa ſuperficiem, ad attrahendam intimam materiam, profundum corpus refrigerandum, identidemque ſudores provocandos. Conſtat ex aqua, & oleo cum modico nitro. Mihi ſane hæc inunctio ſemper ſuſpecta fuit, uti ſolet eſſe moleſta ægrotantibus; vereorque ne potius offendat, quam adjuvet evaporationem. Unctionibus ex oleo ſimplici, vel medicato utebantur Antiqui poſt balnea aquæ calidæ, poros, ſive oſcula glandularum nimio plus quam fortaſſe vellent, reſerata conſtricturi. Adde oleo aquam, exiguumque nitri. Quid effeceris? Aqua ne, an nitrum retruſam materiem attrahet, evocabitque ſudores? Hæc mihi videtur magis facere ad refrigerandum, adhibetque Herodotus non in cujuſcunque, ſed ardentis duntaxat febris puſtulis, & certe refrigerationis gratia, cum qua non apparet quemadmodum alii effectus unctioni attributi conjungi queant. Noſtri loco aquæ vinum album adijciunt, illinuntque ægrotantes peticulis apparere incipientibus, qua tamen adjectione animum non induco credere fieri attractionem profundæ materiæ, & pororum apertionem; quatenus vinum potius roborat partes, quam laxat, exteriuſque adhibitum, auctore Plinio, refrigerat. Quoniam

*De cibo, & potu Apho. 49.*

*Sermo. 5. cap. 129.*

*Lib. 14. Nat. hiſt. cap. 5.*

niam autem non melius, quam ab effectu judicatur de vi compoſiti medicaminis, ſi per eam illinitionem peticulæ copioſiores erumpunt, ſequitur manifeſte ex doctrina Sanctorii conſtipari cutem, non rarefieri, & impediri maligni ichoris perſpirationem, a quo retento docet Sanctorius ſtygmata generari: & fortaſſe facultas retinendi puſtulas circa cutem, quam ei aſſignat Herodotus, non aliunde oritur, quam ex prohibita materiæ reſolutione. Sin autem dicant illitis partibus minui peticularum generationem reſoluta materie per reſerata cutis foramina, neceſſum eſt id longa experientia liqueat, de qua, nemo, quod ſciam, mentionem fecit. Hæc habui ex data occaſione aliis etiam ponderanda proponere de uſu unctionis Herodoti. Porro non ſolis febribus curandis conſideratio exhalationis egregie conducit, ſed aliis morbis internis, externiſque, puta, tumoribus, vulneribus, ulceribus, aliiſque. Undenam perſuaſum eſt Galeno non eſſe in morbis puerorum ſanguinem emittendum ante decimum quartum annum, niſi ex copioſa, celerique evaporatione puerorum venæ punctionis indigentiam tollente? Quæ ratio, licet apud plures hodie inefficax ſit, tamen apud omnes evincit parcius per eam ætatem detrahendum ſanguinem eſſe, iiſque pariter provectis, quibus ob rarum corporis habitum magna ſit inviſibilium diſſipatio. Quod vero ad externos morbos attinet, affirmat Sanctorius nil magis officere malignis ulceribus, quam perſpiratum prohibentia, cujuſmodi ſunt oleum, adeps, cera. Pauciora excrementa generantur in vulneribus ſub rara vulnerum medicatione defenſa a Cæſare Magato, quam ſub frequen-

*De Ponderat. Apho. 105.*

te, quod acceptum potiſſimum refero largiori perſpirationi in rara, quam crebra, ideoque raræ poſtponenda. Utinam eſſet in proclivi ſine ponderatione quantitatem perſpirationis dignoſcere in uſu medicaminum, ſane utilitates longe plures inter medendum compertæ forent.

Animi motus, quos præſentes contemplamur in ægris, non præteritos, eoſque, qui forte affectus cauſæ fuerint, multiplices, variique ſunt, aliique ſpiritus, & ſanguinem ad partes interiores convocant, uti timor, triſtitia, deſperatio: alii ad exteriores, uti gaudium, cupiditas, aliique deſinentes in voluptatem. Cum igitur omnis ingens animi affectus ſuccos omnes agitet, vetat alios magnos motus in corporibus per auxilia medica fieri, puta, per venæ ſectionem, & purgationem, quas differre oportet, dum procella ſubſiderit ſaltem ex majori parte, uti differre ſolemus poſt vehementem corporis motum, quo magis valent ad ſpiritus commovendos, graviores animi perturbationes. In aliquibus ægrotis non leviter perturbatur animus ex ipſis adminiſtrandis remediis, & præſertim venæ ſectione, qui ſedandus eſt, diſcutiendaque formido, antequam nudetur mucro, eaque perſeverante expedit aliquando, exemplo Galeni, tentamentum omittere, quod animo conturbato factum vel ſperatam utilitatem non affert, vel inopinatum affert malum. Interdum enim e vena meticuloſi nihil exit, ſemper tardior, exiliorque rivus, ut nequeat ſperari, quod ſolet obtineri ex ſanguine cum impetu naturali erumpente. Semper autem formidoloſis reſtrictius ſanguis detrahendus eſt, quam intrepidis, teſtan-

te

te fortitudine animi validam ſanguinis compagem, metu imbecillam. Pariter ex ægrotantibus ſunt, qui hilari animo, plenique ſpe quicquid præſcribitur, exequuntur: alii triſtes, & inviti remedia accipiunt, quibus pauciora præbenda ſunt, eaque grata palato, vel quam minimum moleſta, quamvis inde aliquanto tardior ſalus expectaretur.

Plures expoſitis ſuggerunt res non naturales indicationes ſecundarias, quas exemplo propoſitarum facile eſt invenire, mihique ſatis fuit oſtendiſſe, quatenus e rebus non naturalibus illæ ſint eliciendæ, ſecernendæque a primariis, quas ipſæ res non naturales præbent, cum modum excedunt, fiuntque cauſæ internæ morbificæ; in qua tractatione ſecundarium indicans appellavi, quicquid ad temperandam curationem conducit, ſive ſecundario dictet, quid ſequendum ſit, ſive quid declinandum, quod ab aliquibus impedimentum vocatum eſt. Revera tamen multa, quæ dicuntur impedimenta remediorum, ut liquet ex ſuperioribus, nihil aliud ſunt, quam indicia, quibus cognoſcimus primarium indicans deeſſe, deſiderarique conditiones eidem debitas, ut pro legitimo indicante haberi ſine controverſia poſſit.

## C A P U T XII.

### *De indicationum collatione.*

INdicationum comparandarum occaſio oritur ex earum multiplici contrarietate, qua in ambiguo poſiti ſingularum vim, & poteſtatem naviter ex-

pen-

pendentes delibeberamus quam ſequi oporteat. Primo igitur conferemus indicationem nocentis cum altera naturæ, ſeu virium, quæ in qualibet curatione reperiuntur. Morbus ſui depulſionem dictat, natura cuſtodiam. Utraque indicatio eidem fini inſervit, hoc eſt reparandæ deperditæ ſanitati: atque ſicuti nequit depelli morbus ſine conſervatione naturæ; ita hæc nequit conſervari ſine depulſione morbi; nec unquam hæ duæ indicationes inter ſe ſe pugnare poſſunt. Veruntamen quia aliis auxiliis perficitur conſervatio naturæ, hoc eſt virium, aliis everſio morbi, quæque ad morbum evertendum apta ſunt ſæpe viribus officiunt, ex plurium loquendi conſuetudine dicimus indicationem virium reluctari affectionis poſtulationi, ſive vires impedire, quominus exequamur poſtulatum remedium. Finge animo magnam alienorum humorum copiam in venis congeſtam eſſe, vireſque acciſas non valere ſuſtinendæ petitæ vacuationi. Hinc vulgo dicitur indicatio virium adverſari cauſæ morbificæ indicationi. Vere tamen non adverſatur, ſed tantummodo ex accidenti, quod caremus inſtrumento noxios humores educturo ſine utilium diſpendio, quo ſuppetente omnis tolleretur repugnantia, omne impedimentum. Cum igitur in eum ſcopulum incidimus, ut vires langueant, redundent vacuanda excrementa, quodnam capeſſendum conſilium? Exiſtimo multo difficilius eſſe cognoſcere quantum vires ferre valeant, quam decernere, utrum ſtandum ſit indicationi imbecillitatis, an copiæ excrementorum. Quis evacuationem tentet, quam cognoſcat ſuperiorem tolerantia virium? abs quibus ipſa vacuatio utilis reddenda eſt, ſuperanduſque morbus; iiſ-

dem-

demque deficientibus, cætera peſſum eunt. Ideoque Galenus in extrema debilitate decernit, nihil prorſus exhibendum, quod ad morbum ſanandum attinet, totamque operam navandam eſſe reparationi virium, quæ identidem ſolæ ſine remedio ægrotationem expugnare valent, nunquam remedium ſine viribus. Quod ſi non extrema, non graviſſima fuerit imbecillitas, fatemur cum aliquo roboris detrimento licere vacuantibus, aliiſque remediis in morbum certare, dummodo ſperemus a certamine ſuperfuturam virtutem reliquo morbi curriculo ſuſtinendo parem. Hinc quotieſcunque dubitamus de virium robore, ſolemus curationem auſpicari a remediis minus debilitantibus, & inde capere argumentum aut progrediendi ad fortiora, aut primis inſiſtendi.

Temperamentum totius, vel partis, quod ad naturam attinet, tantæ efficaciæ indicationem non præbet, atque robur corporis, ſi credimus Galeno affirmanti, pluris eſſe pendendam indicationem affectus, quam temperamenti, ſi eveniat, ut indicationes utriuſque ſibi adverſentur, a quo non diſſentio, idque ſolum explicatius exopto. Temperamentum naturale, aut in ægrotante immutatum eſt, aut perſeverat. Mutatum, factumque morboſum correctionem poſtulat, idemque indicatum eſt morbi, atque temperamenti, ut alterati; neque poteſt indicatio temperamenti permutati obſtare indicationi morbi. Quod ſi temperamentum naturale perſeverat in morbis, qui ad intemperies non pertinent, petit ſui conſervationem, quæ ſi debet obtineri per auxilia morbo ſimilia, huncque foventia, negligenda eſt impendendaque opera indicatio-

tioni morbi præſertim vehementis. Præſtat enim ſinere labi aliquatenus temperamentum, quam magnopere non eniti, ut periculoſæ affectionis impetum obtundamus.

Hactenus comparavimus vim indicationis naturæ cum indicationibus nocentis. Nunc inter ſe comparandæ ipſius nocentis indicationes. Vel igitur morbus unicus eſt cum proxima cauſa, & ſymptomatis, vel cum aliis copulatus. In unico morbo duo tantum eſſe poſſunt ſui ablationem primo & per ſe dictantia, cauſa, morbuſque, dum ſymptomata, quæ pendent a morbo, velut umbra a corpore, ſolum indicandi poteſtatem acquirunt cauſæ naturam adepta. E duobus vero primis indicantibus, quando eodem tempore nequimus ſingulorum indicationibus vacare, cauſa principalis primum locum vendicat, ſine cujus ablatione nequit effectus ſummoveri. Quamobrem indicatione cauſæ adverſante poſtulato morbi, quemadmodum accidit in febri producta a recrementis craſſis, in qua febris eſſentia refrigerantia poſcit, cauſa calefacientia, & tenuantia, commodum foret vel cum aliquo caloris febrilis incremento cauſæ potiſſimum occurrere, quod exequitur Galenus in tertianis non exquiſitis præcipiens victum incidentem, & calefacientem, propinatque ptiſſanæ ſuccum cum pipere, & nonnunquam etiam hyſſopum, origanum, nardique ſpicam in aqua mulſa coctam, aliaque urinam provocantia ſine vehementi calore, & ſiccitate. Inſuper frequentiſſime porrigit comam abſinthii maxime poſt diem ſeptimum. Ac ſane judico non paucarum febrium curationem impediri, vel retardari, quod nos

*Lib. 1. ad Glauco.*

ma-

magis ſollicitos habet calor febrilis, quam cauſæ craſſities, cui diſſolvendæ calida non adhibemus metu augendi caloris. Non defuerunt tamen veteres medici ante Herophilum, & Eraſiſtratum, qui demoliendæ cauſæ prius attenti febrem ipſam intendebant, uti de Petrone narrat Celſus, qui ubi febricitantem hominem acceperat, multis veſtibus operiebat, ut ſimul calorem ingentem, ſitimque excitaret, deinde ſudorem moveret aqua frigida potui data, ubi paulum febris cæperat remitti; qui tametſi reprobandus eſt, quod idem in omnibus ægrotantibus exequeretur, & ſtatim initio mali, nos tamen admonet, ut minus formidemus caloris febrilis incrementum cauſæ deſtruendæ gratia. Huc reſpiciens Sydenhamius vetat exhiberi refrigerantia in febribus ad coquendam noxiam materiem; ſed in declinatione coctionem calidioribus medicamentis promovet, ſive, ut ait, a tergo inſequitur manifeſte apparentem. Verum hæc animadverſio vetuſtiſſima eſt, fluxitque ab ipſo Hippocrate, qui in tertiana ſemen trifolii, & ſuccum ſilphii ex aqua, & vino pari quantitate propinat, copioſeque contegit ægrotantem, donec exſudet. Non ſolum autem in tertiana, ſed in aliis calidioribus morbis calida remedia ab eodem uſurpata fuiſſe legimus cauſæ expulſionem molituro. Quocirca Proſper Martianus longe antiquior Sydenhamio ſcriptor reprobat continuum uſum refrigerantium in febribus, cauſatus per ea incraſſari humores, denſari corpora, ſpontaneas ſupprimi vacuationes, ob idque raro noſtris temporibus criſes evenire. Non raro ſymptomata cauſæ rationem aſſumunt, invertuntque ordinariam metho-

*Lib. 3. cap. 9.*

*Pag. 64.*

*Lib. 2. de morbis.*

*Lib. 2. de mor.*

 dum

dum medendi, coguntque prætermittere remedia ad cauſam morbumque radicitus evellendum, videlicet cum reliquis urgent vehementius, docente natura id prius abolendum eſſe, unde gravius, & celerius imminet periculum, quod a ſcholis urgentius vocatur. Quis labentibus viribus, & inſtante ſyncope ob doloris vehementiam, hunc lenire principaliter non contendat, niſi cætera tam præceps periculum minentur? Itaque in quacunque affectionum complicatione ſemper ab urgentiore inchoandum, atque ipſius indicatio reliquis anteferenda. Id autem gravius urget in morbis, quod perſeverans vel ſubitam perniciem intentat, vel lethale morbi augmentum. Primi generis ſunt ea, quæ vel vehementer lædunt ſedem earum facultatum, quibus maxime vita continuo, celerique auxilio ſuſtentatur, uti cor, cerebrumque; vel inferunt magnam jacturam ſanguinis, & ſpirituum, quibus principes facultates utuntur ad ſuas functiones obeundas, vitaque ipſa continetur. Alterius generis eſt, exempli gratia, magnus confluxus humorum ad partem phlegmone obſeſſam gangrænam, ſphacelumque pariturus. Dum vero urgentius tollere conabimur, reliquorum curam minime negligemus, quoad illius vehementia permittet, qua ita exigente de reliquis nil cogitandum. Sæpe in morbis is eſt rerum nexus, ut una nequeat aboleri, altera prius non abolita, quæ a Galeno appellatur conditio ſine qua non, a qua indubitanter auſpicanda curatio eſt, dum impedit, quominus urgentiori ſuccurratur, vel cauſa, aut morbus excidatur, niſi adſit urgentius. Eſto: laboret Bias ulcere cavo, ſordidoque ob corruptam

par-

partis temperiem cum ſanguinis effluvio propter eroſa vaſa ab acri colluvie in ulcere congeſta. In hoc affectuum complexu adeſt urgentius, nempe cruoris effluxus, a quo majus inſtat vitæ diſcrimen. Eſt conditio ſina qua non, ſive impedimentum ſordium vaſa erodentium, ſine quarum detractione, aut correctione aliqua, nequeunt vaſa glutinari, ſanguis cohiberi. Eſt etiam cauſa ulceris prima, a cujus amolitione medicationem exordiremur, niſi obſtaret urgentius, quod prius reprimendum eſt. Verum id impedientibus acervatis ſordibus in ulcere, in has detergendas prius incumbemus, deinde in ſanguinis fluxionem compeſcendam, demum intemperiem ulceris cauſam corrigendam. Quod ſi mente fingas, in eodem ulcere non eſſe ab inquinamentis terebrata vaſa, ruptaque ſanguinis repagula, deerit urgentius, acervataque inquinamenta evadent conditio ſine qua non reſpectu intemperiei, quæ nequit emendari, niſi obſtaculo amoto. Si denique aſſumas nullam eſſe cum ulcere conjunctam intemperiem, congeſtio ſordium erit impedimentum ulceris ſanandi; cum nequeat cavum carne repleri, & concreſcere, niſi prius extraneis vacuum fuerit. Ex quo vides, non ſolam indicantium magnitudinem, & vim æſtimandam eſſe ad inveniendum curationis principium, quidve primo corrigendum, quid deinceps, ſed diverſorum connexionem, qua vel unum auferri nequit ſine prægreſſa alterius ablatione, vel plura neceſſario ſimul auferuntur, vel unius ablatio reddit faciliorem, aut difficiliorem reliquorum ablationem. Dum vero uni operam damus indicationi, & adſunt contrariæ, mediocritate remedii enitemur,

ut quæ ſimul adimi nequeunt, vel mitiora reddantur, vel ſaltem non ſæviora, & curatu difficiliora. Sit attenuandus, atque incidendus humor craſſus qui obſtruendo febris fomes eſt. Niſi velimus calorem febrilem augere, ut aliquando expedit facere, ſicuti vidimus, eligemus attenuantia, quæ id præſtent citra calorem, quibus viribus credunt polle re tartarum vitriolatum, idque genus alia: vel ſi hæc minime ſufficiant, præbeantur moderate calida, quibus adaugentibus calorem, hunc minuemus porrectis frigidis, quo tempore intenſior eſt febris, ſimilique artificio in contrariis indicationibus omnium cura gerenda eſt major, minorque ſingularum, ut aliæ magis aliis urgebunt; idque ſufficiat generatim indicaſſe, cum nequeat exacte tradi regimen in oppoſitis indicationibus, niſi expendendo particulares earum concurſiones, quod alienum eſt a præſenti inſtituto. Sanctorius tradit quindecim comparationes indicantium in morbis complicatis faciendas, modo comparando urgens cum urgente, modo cum cauſa, morbo, & impedimentis, modo hæc omnia inter ſe, modo collatis indicantibus curatoriis cum vitalibus. Verum quamcunque imaginemur morborum complicationem, una eademque eſt regula curationis auſpicandæ proſequendæque, ut ſcilicet prius urgentia ſummoveamus, deinde cauſas principales, tertio morbos, niſi una cum cauſis aſpellantur. Dum vero animum intendimus ad aliqua ex hiſce tollenda, ſiquid obſtat ablationi, conſtat id primo eſſe tollendum, ut in propoſito ulceris exemplo explicatum eſt. Tot porro generales comparationes tot diverſorum indicantium potius proponun-

*Lib. 15. cap. 6. de meth. vitand. err.*

ponuntur propter augendam ſpeculationis materiem, quam praxeos indigentiam. Si perſpectum habemus in morbis multiplicibus complicatis diverſarum indicationum pondus, ambigere nequimus de ordine agendorum, qui ex ipſa rerum natura eluceſcit. Tota difficultas vertitur in diverſarum rerum concurrentium natura percipienda, qua non ſatis cognita evenire poteſt, ut curationem exordiamur, unde levius periculum impendet, gravius relinquamus, pluris cauſam faciamus, quam urgentius, ſimiliaque committantur errata. Narrat Galenus ſe vidiſſe aliquos periviſſe, & in periculum perductos fuiſſe ex iis, qui ſentientes morſum afflictionemque oris ventriculi ex recentibus cruditatibus purgati fuerunt, antequam ſtomachus roboraretur. Quis autem deprehenſo majore periculo impendente ex morſu, & labefactione oris ventriculi prius cogitaſſet de amolienda cauſa, quam eo roborando? Carpit Sanctorius chirurgos ulcus cum inflammatione exſiccantibus curare auſpicantes, neque prius inflammationi providentes: qui ordo præpoſterus tribuendus profecto eſt ignorationi ab inflammatione ulcus ſordidius reddi, ejuſque ſanationem impediri, uti docet Galenus. Hac igitur ratione peccatur in ordinem agendorum, non ex ignoratis regulis generalibus ordinis, ſed eorum natura, quæ ordinem præſeferunt; quæ melius addiſci nequeunt, quam exercitatione methodi in particularibus. Quantum vero attinet ad contrariarum affectionum conjunctiones, unde contrariæ indicationes dicuntur exiſtere, cenſeo has multo rarius contingere, quam putatur, & ſæpius nobis male judicantibus, neque ſingula ad legiti-

*Lib. 1. ad Glauc. c. 4.*

*Lib. 11. Meth. cap. 12.*

giti-

gitimas cauſas revocantibus, quam re ipſa. Nil notius & certius, quam oppoſitos affectus neque in toto corpore, neque in parte quapiam copulari poſſe, neque totum corpus, neque partem aliquam eodem tempore laborare poſſe intemperie calida, & frigida, conſtrictione, & laxitate meatuum, ſimilique morborum repugnantia, quæ ſolum reperiri poteſt inter morbos diverſarum partium ejuſdem ægrotantis, quo reſpectu copulari dicuntur, tametſi partium diverſitate ſejuncti ſunt. Sed raro etiam in diverſis partibus oppoſiti affectus excitantur, præſertim internis, iiſque, quæ toti deſerviunt, veluti ventriculus, hepar, aliæque ſimiles. Multis quidem diſſimilibuſque partibus noſtrum corpus compingitur, pluresque interjectu aliarum ab aliis diſtant; ita tamen omnes propter nervorum, vaſorumque communionem interſeſe colligatæ ſunt, ut invicem ſecum ipſæ ſuas communicent affectiones: unde tritum illud Hippocratis, conſenſus unus, conſpiratio una, omnia conſentientia, ut parte aliqua, puta, calido morbo correpta, eundem vel remotæ perſentiant, conſenſuque frigidi morbi productioni reluctentur. Crediderunt Antiqui intemperiem calidam jecoris conjungi cum frigida ventriculi, inde ſumpto argumento, quod obſervarent cum indiciis calidioris jecoris adeſſe debilitatem coctionis ventriculi, rati hanc caloris defectu oriri. Verum calidius jecur caliditate ſenſibili, quam ſcholæ vocant actualem, neceſſario conterminum ventriculum calefacit, ſolaque ignoratio genuinæ cauſæ coctionis eam intemperierum oppoſitarum complicationem induxit, non res ipſa, ſicut aliæ non paucæ ſimili modo

do inductæ ſunt. Sæpe morbus organicus pro ſimilari habetur, vel ex oppoſito, ortuſque a frigore, vel calore, qui a vitio ſecundarum qualitatum, quas Hippocrates fortiores ad lædendum judicat, profectus eſt, efficiturque hac confuſione, ut quæ tantum diverſa ſunt, oppoſita putentur. Non ideo inficior, in eodem ægrotante affectus contrarios gigni poſſe, vel diverſos, qui nihilominus contraria poſcant. Oppoſitis morbis implicaretur, qui exilia vaſa jecoris obſtructa haberet, ſimulque recluſam in pulmone venam, vel hæmorrhoides, quæ duo in eodem ægrotante reperiri poſſe quis neget? Diverſa, non tamen oppoſita eſt complicatio morborum in phthiſi, in qua febris eſt, ulcuſque pulmonum, quod utpote in diverſo genere morbi febri contrarium non eſt, petit tamen exſiccantia contraria indicatis febris, cum macie totius corporis, quæ humectantia ſint oportet. Tota vero difficultas in hiſce contrariis adminiſtrandis oritur, quod ulceri ſeorſum nequeunt adhiberi deſiccantia, ſed intus ſumenda ſunt, vimque ſuam non ſoli ulceratæ parti, ſed toti corpori impertiunt, & potiſſimum viſceribus, in quæ proxime deſcendunt.

*In Lib. de veteri med.*

## CAPUT XIII.

### *De primis curationis, & conſervationis principiis.*

RAtionalis ſecta, quæ operis felicitatem a ratione magna ex parte mutuatur, non a caſu, & fortuna, neceſſum eſt habeat certa atque indubitata principia in ipſa natura expreſſa per ſe fide digna,

aut

aut ſaltem minimo artificio demonſtrabilia, a quibus reliquæ notiones derivantur, & ad eadem perducuntur; iiſdemque omnis actio medentis dirigitur, quæ pertinet vel ad fugandos morbos, vel revocandam ſanitatem, neque ſola experientia fulcitur; atque de iis pertractare inſtituimus.

Primum, latiſſimeque patens principium curationum, quod Galenus etiam vocat indicationem generalem, contrariorum ratione continetur, unde ſemper illud in ore omnium verſatur: contraria contrariis curantur, quod totius naturæ voce confirmatur, nullique patet controverſiæ, ac fortaſſis explicatione indiget, nulla ſane demonſtratione. Morbi curatio nihil eſt aliud, quam ejuſdem corruptio, ſive deſtructio, quam a contrariis fieri apertiſſimum eſt. Contraria ſtrictius accepta ſunt, quæ privantia dicuntur, ut plenum, & inane, continuum, & ſolutum, idque genus alia. At Hippocrates, & Galenus contraria vocant omnia, quæ ſub uno genere plurimum inter ſe diſtant, ſicuti frigidum, calidumque, humidum, ſiccumque, multum, & paucum. Nec enim hujuſmodi contrarietas, ut ait Galenus, in ſola qualitate corporum verſatur, ſed etiam quantitate. Ita ſanguinem immodice auctum, deinde imminutum contraria in quantitate appellat, contrarietate opportuna medicationi. Palam igitur eſt, contraria contrariis depelli, quod axioma altiore meditatione comparatum non eſt, ſed uſu quotidiano demonſtratum. Præter modum incaleſcentes qua induſtria frigus non captamus? Exſuccus ventriculus humorem, repleta inteſtina vacuationem, ſoluta vaſa conglutinationem

prius

prius naturæ monitu, quam medici, depoſcunt: quo pariter Hippopotamus acuto ſibi ſtipite crus vulnerans ſanguinis redundantiam demit, Ibis ſibi roſtro ventrem expurgat, aliæque quam multæ animantes ratione carentes propriæ valetudinis incommodis occurrunt. Ergo omnium morborum medelam naturali quadam anticipatione a contrarietate nanciſcimur. Non deſunt tamen moroſi quidam, vel novitatum plus æquo cupidi, inter quos Theophraſtus Paracelſus, qui iccirco ſummam per contraria curandi legem evertere pugnant, quod morbos aliquos videant remediis ſimilibus propulſari, cujuſmodi eſt febris, quæ licet calida ab calido rheobarbaro interdum extinguitur, vel convulſio, quæ aquæ frigidæ perfuſione ſanatur, & frigidus affectus cenſetur. Verum hæc non eſt propria morbi curatio, neque adhibitum remedium directe morbum expungit, ſed tantummodo ex accidenti ſublata cauſa, cui adverſatur. Ad eundem modum vomitionem vomitio ſedat, & dyſenteriam purgatio, propterea quod illa a ventriculo proritantes humores, hæc ab inteſtinis excutiat. Quanquam igitur videntur ægrotationes aliquando per ſimilia fugari, ſemper expulſio ab contrariis fit aut ipſi cauſæ, aut effectui. Quoniam autem idem remedium poteſt eſſe ſimile morbo, contrarium cauſæ, hæc niſi diſtinxeris, laberis opinatus a ſimilibus morbos aſpelli; ſimilemque erroris occaſionem præbere poſſunt quædam remedia ingenita qualitate ſimilia affectui, operatione, & acquiſita virtute contraria. Sic aqua frigida ſimilis eſt convulſioni, quæ affectio frigida putatur, operatione tamen opponitur, quatenus intropellit calorem,

roboratque, a quo convulſionis medela. Niſi cum Paracelſo hiſce acquieſcas, finge aliquem morbum a ſimili profligari: alterutrum certe ſequetur, aut quod vim infert morbo non eſſe contrarium, aut morbum corrumpi ſine vi a corruptore illata. Sed hæc certiora, illuſtrioraque ſunt, quam ut ratione comprobari, & oratione declarari poſſint. Aliquanto obſcurius, & controverſum eſt, in qua menſura debeant morbis admoveri contraria, ſine cujus cognitione, licet cognoverim, duo eſſe contraria, nondum ad curationem paratus ſum certa contrarii quantitate perficiendam. Galenus definite docet contraria morbis æqualia, eandemque æqualitatem approbant Celſus, Fernelius, Valleſius, aliique quam plures. Contra Paulus, Aretæus, aliique ſemper paulo validius morbo remedium aſſumi jubent, quibus videtur non invalida ratio ſuffragari ſpectata duorum contrariorum viribus æqualium natura, quæ invicem luctando debilitari poſſunt, non expugnari. Pauli, & Aretæi Adverſarii reſpondent naturam ægrotantis ſemper adeſſe remediis contra morbos, ſuiſque viribus adjunctis reddere ſuperiora, quæ ſunt ordine qualitatum paria morbis: quod reſponſum non tam probat morbos contrariis æqualibus deleri poſſe, quam inferioribus. Natura modo robuſtior eſt, modo debilior, ejus roboris interdum, ut ſola ſanationem abſolvat; ac conjectura difficulter aſſequi poſſumus, quantum ſit auctura vim medicaminis, ut inde poſſit certo definiri, quantum virium in eo requiratur, ut morbus ſuperetur. Verum non eſt diſputandum de comparatione virium inter morbum, ſuumque contrarium, perinde ac ſi illas exacte metiri poſſemus.

*Artis medicæ cap. 89.*

*Lib. 2. cap. 11.*

mus. Hippocratis teſtimonio difficillimum eſt, Galeni impoſſibile, veram tum morborum, tum remediorum quantitatem mente complecti. Quod nec dici, nec ſcribi poteſt, nec omnino percipi, ait Galenus, id quantitas in quoque eſt. Id tamen generatim decernere licet, remedia vel paulo ſuperiora morbis, vel æqualia, vel paulo inferiora eſſe oportere. Paulo ſuperiora contrariam affectionem inducere nequeunt, interim promptam, & validam opem afferunt. Æqualia, & paulo inferiora, niſi protinus penituſque morbum expungunt, ſaltem impetum frangunt, repetitaque perſanant. Cum tamen non una ſit ratio contrarietatis, neque una tantum regula uſurpandi contrarii ſanciri poteſt. Alia ſunt contrarie oppoſita, veluti calor, & frigus, ex plurium ſententia; Alia privative, ſicuti penuria, & redundantia, hacque intercedente contrarietate inter morbum & remedium, prodeſt hoc eſſe ſuppar, nunquam debet eſſe ſuperius. Exinanito corpori tantum addendum eſt, quantum detractum, & nihil amplius, pariterque repleto tantum adimendum, quantum ſuperfluit, & nihil ultra. Quia vero facilius ſuperflua tolluntur, quam reparantur ablata, & perarduum eſt juſtam ablationis menſuram nanciſci, iccirco in auferendis ſuperfluis expedit ipſa copia minus auferre, & partem aliquam abſumendam naturæ relinquere; quo reſpectu Cous mavult victu paulo pleniore, quam tenui, exquiſitoque delinquere. Itaque ſumma redundantia preſſum corpus extreme exhauriendum non eſt; neque huc attinet tritum illud Hippocratis, extremis morbis extrema exacte remedia optima eſſe. Satis eſt multum eximi, quo dempto copia deſinit

*Lib. de alimento*

*Lib. 3. Meth. cap. 3.*

eſſe extrema, longiuſque ſpatium curationis concedit, ut tuto iterari vacuatio poſſit. At quo pacto tuebimur Galenum docentem immoderatam repletionem immoderata vacuatione curari? Id documentum non leviter Capivacceum, alioſque plures agitat, ut explicent, quid audiat immoderata vacuatio, quæ videtur medicis præſcriptionibus adverſari. Capivacceus eo confugit, ut interpretetur Galenum locutum eſſe non de vacuatione vere immoderata, ſed proxima immoderatæ, ut ſi paulum ultra procederet, ſtatim fieret immoderata. Vera mihi interpretatio videtur, ſi dixeris vacuationem debere reſpondere copiæ vacuandæ, modicæ modicam, mediocri mediocrem, immoderatæ immoderatam, hoc eſt mediocri majorem & comparate, non abſolute immoderatam. Apertiſſimum eſt, plus eſſe detrahendum in redundantia immoderata, quam moderata. Cum autem ob moderatam copiam fiat mediocris detractio, ſequitur ut detractio major mediocri, quæ fit in ſumma copia, ſit immoderata facta comparatione cum copia immoderata, cui opponitur: & hoc reſpectu dictum a Galeno judicem immoderatam plenitudinem immoderata detractione curari, non ut imperaret vacuationem, quæ omne ſuperfluum unica vice tolleret cum detrimento, & periculo ægrotantis; unde vere immoderata redderetur. Quod ſi Galenus juveni palæſtræ perito imputri ſynocho correpto ſanguinem effudit, quoad animus deficeret, ex pulſu vehementi, & maximo, aliiſque indiciis providit vires conſtaturas, febremque extinctum iri; quod ita feliciter contigit, ut qui aderant, dixerint per jocum a medico febrem jugulatam eſſe. Neque

*In arte parva cap.94.*

*Lib. 1. Apho. Hippo. Lec.18.*

*Lib. 9. Meth. cap.4.*

que vero Priſci ſanguinis detractionem uſque ad animi deliquium formidarunt, ut ſolemus in præſens, quo tempore, ut queritur Jachinus, evirata eſt medicina.

In oppoſitis contrarie, quando morbi vehementiſſimi ſunt per immodicam exuperantiam qualitatum, confugiendum ad contrariam, & fortiſſimam exuperantiam, ſi cætera permittunt, recteque dixit Celſus congruenter ad effatum Hippocratis vehementi malo niſi æque vehemens auxilium ſuccurrere. Etenim ſive contrarium agit in contrarium, ſive tantummodo in ſubjectum, ut aliquibus placet, vires tamen contrarii præparaturi ſubjectum ad novam formam, neceſſe eſt ut valeant inferre excluſionem oppoſiti agentis; quod tanto difficilius excluditur, quanto vehementius alteri contrarium eſt: & iccirco requiritur juſta quantitas virium inter morbum, & remedium morbum expugnaturum, quam multi æqualitate menſi ſunt, niſi præceps impetus morbi tempus iterandi medicaminis concedit. Sæpe tamen extremis morbis, non æquali, ſed efficaciore remedio opponimur, exempli gratia ictibus venenoſis, carbunculis, aliiſque peſtilentibus tumoribus igne, qui, ut ait Dioſcorides, viribus cætera præſtat. Verum ſæviente morbo propter vehementiam qualitatum non tam in iſtas pugnandum eſt, quam in fomentum earundem; uti faciunt plures in curatione febris ardentis, cujus æſtum non ſola aqua frigida reſtinguere conantur, ſed evacuatione bilis caloris fomitis, atque ſecurius eſt hoc diverſo contrariorum genere incendio febrili occurrere, quam magna vi frigoris. In morbis porro non extremis, ſed magnis, idque ſpatium habituris, ut poſ-

Lib. 6. cap. 3.

poſſint eligi tutiora auxilia, hæc eſſe judico, quæ non intenſione, & ordine qualitatum ſuperiora ſunt, vel illis paria, ſed talia evadunt repetitione. Univerſim, *Lib. 2. Apho. 51* ait Hippocrates, & repente vacuare, vel replere, vel calefacere, vel alio quovis modo corpus movere ob nimietatem naturæ inimicam periculoſum eſt, tutumque quod paulatim fit. Ac dubitari quidem poteſt utrum repetita remiſſiora auxilia poſſint æquare vim fortiorum, vel æqualium morbo, non de majore ſecuritate, & jucunditate curationis factæ per remiſſiora. Nequit natura ferre valentium contrariorum actiones ſine moleſtia, & aliquo detrimento; eaque tentanda victoria eſt, quæ eandem utilitatem afferens minus exercet victricem naturam, & ſi paulo longiore tempore contingit. At poteruntne imbecilliora pharmaca robuſtiorem ægrotationem debellare? Id plane controverſum eſt, negantque hi phyſici, qui contendunt non poſſe debilius agere in potentius. Cum enim, ut ratiocinantur, actio ſit ab vincente in victum, infirmiuſque vincatur a potentiore, quod vincitur nequit agere in ſuum victorem. Idem enim eſſet vincens, & victum, potentius, & impotentius eadem re, quod repugnare credunt. Multum huic *Lib. 1. cap. 4.* quæſtioni Valleſius inſudat, tueturque ſententiam Ariſtotelis, & Galeni, omne agens pati etiam a patiente, & potentius aliquantum debilitari ab imbecilliore, quod communiter approbatur, & ſolum explicare difficilius eſt apud eos philoſophos, qui qualitates a materia diſtinguunt, huic tantum inhærere affirmant; quibus abdicatis removetur omnis difficultas explicandæ mutuæ actionis inter remiſſius, atque in-

ten-

tenſius. Aquæ tribus numeris calidæ affunde frigidam duobus numeris. Hæc, ut docet experientia, incaleſcet, calor alterius paulum obtundetur. At quo pacto aqua frigida imbecillioris potentiæ aget cum aliqua victoria in calidam majoris? Democriti, & Epicuri aſſeclæ id paucis, nitideque exponunt. Nimirum particulæ calidæ immiſcentur frigidis, frigidæ calidis; unde exiſtit miſtura neque tribus numeris calida, neque duobus frigida; ſicuti ex miſtione dulcis, & amari exurgit ſapor medius inter exquiſite dulcem, & amarum; in quo non eſt difficilius intelligere, quo pacto infirmius parumper contundat vires robuſtioris, quam quo diverſarum partium commiſtio fiat; idemque in aliis eadem claritate explicabis, ſi ſolo motu, & materia uteris, non nudis, & ſimplicibus qualitatibus a ſubſtantia fuſis. Sequitur itaque ex præmiſſis morbum magnum debilioribus ictibus identidem repetitis convelli poſſe; quem lentum curandi modum non ſolum optabilem exiſtimo ob minorem naturæ laborem, & moleſtiam, ſed ſummam difficultatem conjectura aſſequendi exactam morborum & remediorum quantitatem, in qua obſcuritate qui omnia ſenſim & paulatim, dum licet, gerit, vel ægrotanti opitulatur, vel minime nocet; ultra quod nihil medico deſiderandum, nec ipſe Hippocrates, quem divinum appellant, deſideravit. Debilius medicamentum, niſi reſpondeat effectus, demonſtrat ſine noxa fortius convenire. Fortius vero quam requiritur, non niſi diſpendio naturæ demonſtrat imbecillius uſurpandum eſſe, & relinquit, quod præter morbum præcedentem corrigatur. In medicina ſicut in aliis rebus, ut

*De Oratore ad Brutum.* ut cum Tullio concludam, plus offendit nimium, quam parum. Illud autem obſervandum eſt in lenta medela, & repetitione medicaminum ad gravem morbum diruendum tutius aſſumi, quæ natura debilia ſunt, quam fortia extenuata per detractionem quantitatis. Namque remedium vehementi qualitate præditum, quodve majori quantitate ſuſpectum habemus, timendum eſt, ne ſæpius repetitum etiam exigua portione vel copiæ vires æquet, tandemque ejuſdem noxam importet, vel ſi nimium tenui portione præbeatur, cito reſolutum nullum commodum afferat. Morborum leviorum facilior eſt medicatio, & ſecura tum æqualia, tum aliquanto ſuperiora uſurpando remedia, ſive ſolum alterandum ſit, ſive vacuandum; ut *De Loc. in homine. n. 46.* expreſse Hippocrates: *Si quis in morbis quid permutaturus eſt forti quidem ægroto, debili autem morbo, tum quidem confidenter fortiore, quam morbus eſt, medicamento utendum eſt. Nam etiam ſi quid de ſano abducat una cum debili, ac ægroto nullum detrimentum eſt.* Pariter in correctione qualitatum parum a mediocri recedentium contrarius receſſus parumper ſuperans morboſum omni vacat periculo, imo ad feſtinandam ſalutem requiritur in iis qualitatibus, quæ pari numero imbecilliores oppoſitis creduntur, uti frigus calore, pluribus phyſicis aſſerentibus calidum, puta, duobus numeris eſſe minus actuoſum, & efficax pari numero frigoris.

Expoſito curationis principio, contraria contrariis expelli, reſpondet aliud conſervationis, ſimilia ſimilibus conſervari æque certum & perſpicuum ob contrariorum contrariorum effectum. Undenam quæremus conſervationem? Certe vel a ſimilibus, aut contrariis.

riis. At exploratum, compertumque eſt, contrariis nos deſtrui. Ut igitur conſervemur, ad ſimilia confugiendum eſt. Cum autem curatio miſtum opus ſit conſervatione, appoſite utrumque hoc loco exponitur. Dum medicus in curatione alia contendit corrigere, & auferre, ad alia reſpiciat oportet, quæ ſui conſervationem poſtulant; quo nomine proſequuti ſumus indicationes rerum naturalium, eodemque ſervandarum principium penſitamus, quod tametſi natura ſua clariſſimum ſit, videtur obſcurare Galenus, dum cauſas conſervantes conijcit in genus corrigentium, quæ corrigendis contrariæ, non ſimiles exiſtunt: ex quo, quaſi ſequeretur conſervationem fieri oportere per contraria non ſimilia, occaſionem prolixe diſceptandi Villacorta, ut mos eſt Hiſpanorum, deſumpſit. Meo tamen judicio in hac controverſia quærendum erat, de qua conſervatione loquatur Galenus, non vocandum in dubium, utrum ea debeat fieri per contraria, an ſimilia; de quo neque Galenus dubitavit, neque apertiſſima ratio dubitari permittit. Ergo duplex eſt conſervatio phyſica, & medica, ſive ſtrictius, & laxius accepta. Phyſica eſt actio quidpiam in eodem ſtatu conſervans ſine ulla immutatione, & a philoſophis continuata productio vocatur, quam omnes ad unum per omnino ſimilia fieri ſentiunt. Ab hac diſtat aliquantum medica, quæ notabilem mutationem excludit, cum levi convenit, diciturque medicus conſervare, & ſi aliquidpiam novet. Hinc orta litigia de inſtrumentis medicæ conſervationis, & contentiones, utrum hæc conanda ſit per ſimilia, an contraria, in quibus plures antiqui ſibi negotium exhibent potius

*Artis medicæ cap.85.*

ex verborum ambagibus, & generalibus cogitationibus, quam rei difficultate. Paucis igitur rem convenire poſſe exiſtimo. Galenus eos vellicat, qui ſanitatem, eucraſiamque citra omnem latitudinem, & unicam eſſe contendunt, tanquam ea de re diſputent, quæ nunquam viſa ſit in animantis corpore, aut ſi aliquando viſa eſt, ne minimum quidem tempus perduraverit. Adeo multis, diverſiſque circumdamur cauſis nos aſſidue, atque inevitabiliter alterantibus. Ut reliquas ſileam, aer magna pars vitæ quantum pollet ad nos alterandos? qui eadem celeritate corpus noſtrum permutat, qua ipſe mutatur, quo nihil inſtabilius. Quicunque igitur ſanitatis cuſtodiæ invigilat continuis alterationibus expoſitæ, eandemque ab illa ſumma perfectione deducentibus, quam mente concipere poſſumus, vix punctum temporis poſſidere, ut arceat graviores lapſus, a quibus noſtrum corpus vel morboſum, vel neutrum redditur, incipientes inclinationes per contraria corrigat oportet, vel ſaltem obſtet incrementum capturis. Etenim ſi quis, exempli gratia, uſu calidiorum ciborum calidius temperamentum acquiſivit, ſed intra ſanitatis confinia, ut ſanus conſervetur, atque inhibeat majorem receſſum ab medio, proculdubio neceſſum eſt, ut vel frigidioribus cibariis tollat partem ſuperadditam caloris, vel ſaltem abſtineat a calidioribus, quibus utebatur, & tantummodo temperata ſumat. Medicus vero hanc diætam præſtituens dicitur conſervare, & præſervare, non curare, quod inclinationes emendat lineam ſanitatis non excedentes, vel impedit quo minus gliſcendo excedant: quo reſpectu Galenus conſervantia in ordinem corrigentium

*Lib. 1. de ſanit. tuenda.*

tium repoſuit, ſervavitque communem nomenclationem conſervationis, qua leves, lentæque correctiones fiunt pro latitudine ſanitatis. At Villacorta pugnat, ut medica conſervatio modicos receſſus tollens omnino ſimilibus utatur; abs quo peto quid adhiberet, ut eos conſervaret? Certe ſimilia; ex quo ſequitur idem ſimilibus deſtrui, & cuſtodiri, quod Villacortæ devorandum relinquo. Hæc videntur ſufficere componendo litigio iberis profeſſoribus admodum moleſto, lubenterque ſuperſedeo examine tot diverſarum opinionum, quas hac de controverſia hiſpana ſubtilitas excitavit altius evecta, ni fallor, quam res medicæ patiuntur. Pauca tantum addo de conſervatione in ægrotantibus efficienda, quæ pertinet ad vires, unde manat indicatio vitalis. Ea vere conſervamus, quæ qualia accepimus immutata tuemur, quo pacto vires ægrotantium non conſervantur. Ita enim vi morbifica exigente tenuem victum præſcribimus, identidem evacuamus, aliaque multa cum virium diſpendio molimur, eo tamen fœnore, ut ſperata refectio præſentem ſuperet jacturam. Quinimmo cum vires in morbis eſſe ſoleant imbecillæ, ſcopus, & officium conſervatoris eſt eniti, ut in priſtinum reſtituantur.

*Meth. Meden. cap. 12.*

## CAPUT XIV.

### *De reliquis curationis, & conſervationis principiis.*

EXpoſita principia, licet dictione, ut loquar cum Galeno, tam brevia ſint, poteſtate maxima cognoſcuntur, & univerſæ medicinæ fulcimentum; unde

omnis operatio medica inchoatur, & ad finem uſque perducitur. Superſunt tamen alia tum curationis, tum conſervationis communia minus quidem ampla, neque tantæ dignitatis, atque ſuperiora, ſed nihilominus inſignis utilitatis, attenteque perpendenda, quorum alia ab aliis facultatibus deſumuntur, ſive ad alias etiam pertinent, alia propria ſunt medicinæ. Primi generis ſunt: *Non poteſt auferri effectus, niſi ablata cauſa, a qua producitur, & conſervatur. Idem manens idem ſemper facit idem reſpectu ejuſdem. Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur. E duobus malis minus eſt eligendum*. Forſitan alia ſuperſunt hujuſmodi, quæ in præſens mihi non occurrunt. Interim ea verſabimus, indicabimuſque inde derivata documenta ad medendum, & conſervandum. Ergo non poteſt auferri effectus niſi ſummota cauſa, a qua producitur, & conſervatur, itemque non poteſt conſervari effectus niſi conſervata cauſa, a qua producitur, & conſervatur, duo axiomata certa, & evidentia. Docet primum ordinem agendorum in legitima curatione, in qua morbum profligaturi prius ejuſdem cauſam abolere contendimus, vel porrigimus remedia cauſam ſimul, effectumque abolentia. Quemadmodum autem in effectu aſpellendo prius ad cauſam reſpicimus; ſimiliter cauſæ conſervanti attentos eſſe oportet, cum de conſervando effectu cogitamus. Fac conſtare ex data quantitate perſpirationis ſanitatem conſervari. Hanc ſane minime ſervaveris, niſi ad eam ſervandam primo animum intenderis.

*Idem manens idem ſemper facit idem reſpectu ejuſdem.* Actio refert naturam agentis, quod immutatum permanens

tiens eandem pariter edit actionem, & effectum, dummodo patiens idem ſit, ex cujus diverſitate videmus ab eadem omnino cauſa diverſas efficientias prodire, ſicuti ex igne ova denſari, liquari ceram, & alia multa. Cæterum idem patiens ab eodem agente ſemper eodem modo afficitur; atque ex hac veritate omnium mentibus inſculpta initium duxit empirica medicina, quæ in eodem numero, vel ſpecie homine alias expertum utile remedium ſimili morbo adhibet ſperans ab eodem eundem effectum, quo non impetrato continuo culpat aliquam diverſitatem vel in morbo, vel in temperamento ægrotantis, vel in medicamento, vel in aere, aut alia re fortuita. Ex eadem ſcaturigine fluxit celebre inter medicos adagium: *Quæ ſemel juvant, repetita ſanant*. Sanant autem idem, quod antea, efficiendo, eundemque effectum iterando, qui pluribus vicibus abſolvit, quod unica nequiverat.

*Quicquid recipitur per modum recipientis recipitur*, quod effatum ſequitur ad expoſitum, dum vidimus ex differentia patientis inſigniter permutari ejuſdem agentis efficientiam. Calor diverſis miſtis implicatus diverſa præſtat appoſite ad naturam recipientis. Idem alimentum ita differentium animantium naturæ aptatur, ut fere nihil ſuæ retinere videatur. Idem etiam experimur in uſu medicaminum, a quibus pro diſſimilitudine corporum inopinatos effectus non raro contingere videmus, quorum nullam aliam congruam rationem reddere poſſumus, niſi ignoratam indolem ægroti eorum effectum alterantem. Hinc diſcant, quam temere arti ſuæ fidunt, ſuaque jactant remedia empiricæ profeſſores, qui totum curandi artificium in eo ponunt,

ut

ut remediis utantur in eiſdem ſpecie ægrotationibus olim commode uſurpatis. Cum enim ægrotantium diverſitas, cujus indaginem Empirici negligunt, medicaminum actionem admodum immutet, liquet, eorum opem fortuitam eſſe, planeque incertam, paucis, vel forſan nullis ſuppetentibus remediis in omnibus temperationum differentiis expertis, & pro quolibet diſſimilium accidentium concurſu. Hac ipſa de cauſa non omnino certa pariter eſt medicina rationalis, ſed tanto certior empirica, quanto diligentius inveſtigat, quæ retroponuntur ab empirica. Semper igitur ſecum ipſe cogitet oportet ſectæ rationalis profeſſor præſcribenda pharmaca pro modo ægrotantis eſſe actura. Unde monetur quid in quaque curatione obſervandum ſit, quænam convenientia quærenda inter medicamentum, & ægrotantem; neque ſatis eſſe, ſi noverit generatim facultatem medicaminum, ſed omne ſtudium adhibendum, ut conijciat, qualis ea futura ſit ad ſingulos ægrotos relata.

*Ex duobus malis minus eſt eligendum*; quod diſcimus a natura, non præceptoribus. Quis enim in eas anguſtias lapſus, ut detrimentum aliquod pati debeat, minus, ſi cognoſcat, non amplectatur, gravius evitaturus? Quod non ſolum medicis, ſed rebus in omnibus ſequimur; idque non eſt tantæ ſapientiæ, quantæ ſtultitiæ foret, ſi quis oppoſitum ſequeretur, ac mallet, puta, utroque oculo, quam uno carere, vita, quam digito, vel alia corporis parte. Quocirca, dum inter medendum eam affectionum copulationem offendimus, ut uni ſuccurrentes alteram auxilio deſtituere cogamur, ex quo multæ curationes coactæ vocantur,

axio-

axioma morale dictat leviore parumper poſthabita, magnopere incumbendum eſſe in demolitionem gravioris.

Eſt celeberrima Hippocratis ſententia, naturam eſſe morborum medicatricem, miniſtrum medicum, quam ut pote perſpicuæ veritatis, inſignisque utilitatis ad omnia artis opera, mihi viſum eſt inter propria medicinæ principia collocare. Ergo natura eſt morborum medicatrix, hoc eſt, plerumque primaria cauſa ſalutis, medicus ſecundaria medicamenta opportune miniſtrando, quæ iccirco bonæ valetudini reparandæ commodant, quia natura eorum vires eruit, ſibique applicat ad opus moliendum, cui propterea primas in curatione tribuimus; quod adeo certum eſt, noſtriſque animis ingenitum, ut romana conſtantia tandiu medicis carere voluerit ſoli naturæ confiſa; imo hæc ſola, ſi placet ſincere loqui, plures, & graviſſimos morbos felicius debellaret, niſi a medicis, quibus univerſus orbis malo fato, ut queritur Helmontius, redundat, perturbaretur. Excipias morbos, qui manu curantur, quorum medelæ primas medicus gerit, uti quando copiam ſanguinis vaſe pertuſo minuit, luxatum os reponit, corruptum membrum reſecat, aut comburit; quæ opera artificis ſunt, non naturæ; quæ tamen, quod deeſt ad perfectam ſalutem, molitur. Cæterum, cum ſuppurat materies in inflammationibus, coquitur, & ſeparatur in febribus, reproducuntur conſumpta in tabidis, vel in cavis ulceribus, rupta ferruminantur, conſolidantur labantia, idque genus alia fiunt, horum natura effectrix eſt, medicamen tantum auxiliare, ut ſi hoc deſit, identidem ſola opus abſolvat. Itaque noſcens medicus ſe tantum-

*Lib. 2. Morbo. popu. ſec. 5.*

mo-

modo eſſe ſanitatis adjutorem, effectricem naturam, inde perſpicit, quæ ſuæ ſint partes, quando promovendum opus naturæ, & quo conatu, quando ceſſandum. Unde manarunt Hippocraticæ præceptiones: *Quæ judicantur, & judicata ſunt integre, neque movere, neque novare, neque pharmacis, neque aliis irritamentis, ſed ſinere. Quæ ducere oportet, quo maxime natura vergit, eo ducere per conferentia loca. Cocta medicari oportet, & movere non cruda, nec in principiis, niſi turgeant. Cum morbi incipiunt, ſi quid videtur movendum move. Cum vero vigent, quietem agere melius eſt*; & aliæ hujuſmodi, quarum intima ratio inde colligitur, quod natura ſuæ conſervationi ſtudens principium eſt reparandæ ſalutis. Icirco, dum humorem noxium valida natura extrudit, externa irritamenta, & motiones prohibentur, quod ſe ſola opus perficere poteſt, & rectius, quam medici inſtigatione: atque ductum ejuſdem in excretionibus urgendis ſequimur; quia ſcimus noſtram, & illius operam, ſi aliter fecerimus, perituram. Cur cocta medicanda, movendaque? Quia natura præparavit ad expulſionem. Cur in ſtatu quieſcendum? Ut ſinamus operari naturam, quæ maxime hoc tempore operatur, moliturque criſes. Ex quo efficitur, quod ſuperius deliberatum eſt, indicationem naturæ, & virium ſemper anteferendam eſſe indicationi affectionis. Ut enim Hippocrates proxime ſubdit expoſito effato, *natura invenit ſibi ipſi vias non ex cognitione. Partim quidem ut connivere, partim quidem, ut lingua ſubminiſtrat, & quæcunque alia hujuſmodi inerudita natura exiſtens, & cum nihil didicerit, facit quæ expediunt*; idemque preſſius ſignificat hac brevi dictione paſſim a Galeno repetita;

&c mi-

& mirifice commendata: *Naturæ omnium ſine doctore*. Sive quis ſciat, ſive ignoret quemadmodum clauduntur palpebræ, vertitur lingua, aliaque opera fiunt; nihilominus hæc omnia probe efficit inſtinctu naturæ, quæ non cogitatione, non doctrina, modum & vias invenit, quæque expediunt, perficit; ſed ea neceſſitate, qua omne agens naturale ſuos motus, & effectus edit; recteque dixit Hippocrates de natura, quod Virgilius de fato: Fata viam invenient: immo illum ordinem, nexumque cauſarum, quem Cicero fatum appellat, non temere naturam dixeris, quæ duo pariter Fracaſtorius conjunxit. *Sive aliam vim fata illi, & natura dedere*: loquitur de virtute hydrargyri. Itaque ſicuti natura ſatis eſt inſtructa ad opera animantis præſtanda ſine documentis, & præceptis; ſic ad ſe ſe defendendam, morboſque fugandos; ſcienterque Tullius omnem naturam ſui ſervatricem non dubie appellavit. Hanc autem efficacem naturæ providentiam nemo frequentius medico comperit, qui ſæpe videt in curationibus morborum naturali conatu inopinata, artique impoſſibilia fieri, uti quando furor ſedatur humore mali effectore in crura detruſo, & varicibus excitatis; ſanatur pleuritis expulſo pure per urinas; idque genus alia contingunt, quæ demiratur ars, moliri nequit. Quis enim, licet ingenio, artis documentis, operibuſque præſtantiſſimus, eas ſe munire vias ad ſalutem ſperet, quas parat natura docta ſine doctore? Cum vero eveniunt in ægrotationibus ſpontaneæ vacuationes vel loco inconvenienti factæ, vel tempore, vel eorum, quæ expedit retineri, inde argui nequit naturam ſibi conſentanea non efficere, pro-

*Lib. 3. Æneid.*

*Lib. 2. Syphil.*

*Lib. 5. de Finibus.*

priamque cuſtodiam negligere. Conſiſtit illa in quadam rerum mediocritate, atque temperatione, qua vi morbi perverſa, nequit pro more, ſolitoque inſtinctu ſibi cavere. Unde oritur indigentia medicinæ, & auxilii, cum natura a morbo aggreſſa non ſemper ſe ſola vim poſſit repellere. Neque vero cum inculcamus, illam eſſe morborum medicatricem, artis opem excludere intendimus, ſed modum auxiliandi præfinire, ne medicus ſibi vendicet, quod eſt naturæ; in quod peccatur ab iis, qui magis medicamentis confidunt, quam naturæ, eorumque vires magis explorant, quam alterius.

## CAPUT XV.

### *De Præceptis Medicis.*

MEdicina, quæ omnibus ſuis notionibus ad praxim tendit, atque in opere verſatur, præcepta, ſicut artes reliquæ, tradit appoſita ad meditatum opus conficiendum ſolerti naturæ rerum contemplatione cuſa. Quemadmodum enim experientia inventrix eſt primaria remediorum materiæ; ita ratio præceptorum, quibus eorum recta uſurpatio comprehenditur; idque iccirco conſtat, quod cujuslibet præcepti conveniens ratio reddi poteſt, & ſine ea nullam publicam exiſtimationem promeretur. Itaque cum medicinæ tot viri ingenio doctrinaque præſtantiſſimi tot ſæculorum excurſu laborem impenderint, morborum curandorum indolem, cauſas, motus, viciſſitudines, exitus, auxiliorumque facultates diligentiſſime commen-

mentantes nec in uno tantum ægrotante; ſed pluribus ſimilis, diſſimiliſque temperaturæ, multas ſanxerunt notiones de uſu remediorum, quibus ars medica, utenſque methodus continetur. Quicquid igitur induſtris meditatio majorum obſervatione adjuta univerſim, aut privatim in morborum curatione decrevit, non ſola ſui inventoris auctoritate, ſed ratione magis ſuffultum medicum præceptum appello. Nec enim, ut monet Galenus, ad medicum attinet inſtar legislatoris condere præcepta, ſed demonſtrare, aut ſaltem efficaci ratione communire, ſi omnia nequeunt demonſtrari. Vera itaque ſint oportet medica præcepta, perpetua, utilia, jactiſque principiis cohærentia: quibus conditionibus cujuslibet artis præceptiones donari neceſſum eſt. Si quis enim inſcius imperituſque, ut ait Tullius, mortifera pro ſalutaribus conſcripſerit, medica præcepta vere dici non poſſunt; uti lex dicenda non eſt, quæ populo ſit perniicioſa. Atque ſicuti Tullius legem definit juſtorum, atque injuſtorum diſtinctionem; ſic non minus apte vereque dices præceptum medicum eſſe ſalubrium, & inſalubrium diſtinctionem ad naturam immutabilium principiorum expreſſam; ac licet Hippocrates, Galenus, aliique medicinæ optimates animadverterint nullum præceptum medicum perpetuum eſſe, non ideo medicina ex artium numero expungenda eſt, quaſi foret incertarum, atque inconſtantium præceptionum coacervatio ea utilitate carentium, propter quam artes inventæ excultæque ſunt. Præceptum medicum natura ſua verum & utile permutari, falſum, & pernicioſum evadere nunquam poteſt. Enim vero cum in omnibus, vel pleriſque minime ex-

*Lib. 1. Meth. cap. 4.*

*Lib. 2. de Legibus.*

primantur omnes conditiones, & circumſtantiæ, quæ
requiruntur ad rectum eorum uſum, ſcite admonue-
runt Majores præcepta medica non eſſe perpetua, hoc
eſt, nullis exceptionibus obnoxia. Nullum frequen-
tius verſatur in ore medicorum præcepto de medicatio-
*Sec. I. Apho. 22.* ne materiæ coctæ: *Cocta medicari oportet, & movere non*
*cruda, nec in principiis, niſi materies turgeat*: quod ta-
men iccirco perpetuum non eſt, quia non indicat
omnes caſus, in quibus ſecus faciendum eſt. Vetuit
Hippocrates motionem, ſive purgationem materiæ cru-
dæ, ſolamque turgentem excepit, videlicet jactatam,
*Lib. I. Fen. 4. doc. ſcap. 3.* & furentem. At vide quot alii addiderint exceptio-
nes. Avicenna evacuat acerbos humores, quando cer-
to non cognoſcit virtutem conſtaturam uſque ad ma-
*Lib. 3. Meth. cap. 10.* turitatem; itidemque Fernelius aſſerit prudentis non
eſſe concoctionem expectare, quando fortaſſis futura non
*Lib. 3. de imped. magno. aux. cap. 12.* eſt. Hinc Sanctacrux ab ea lege eximit humorem in
totum putridum, malignum, virulentum, vel alia ra-
tione non coctibilem, quod natura eos non retinet, ut
corrigat, ſicuti humores crudos, ſed benignos, &
*Lib. 13. Epiſt. 1.* coctibiles, imo ſemper obnititur expellere. Manardus
ferrarienſis minime refugit a purgatione crudorum in
principiis morborum, quando præter modum redun-
*Lib. 3. Contro. cap. 13.* dant, ac perſuaſum habet eorum vacuationem pericu-
loſius omitti, quam materiæ turgentis. Tandem Val-
leſius, aliique plures inchoantibus morbis immaturum
ſuccum revulſionis gratia educere conantur, ejus mo-
tu in aliquam partem principalem deprehenſo. Super-
vacuum, & intempeſtivum non erit aliis etiam non-
*Lib. 4. Meth. cap. 4.* nullis exemplis hocce argumentum proſequi. Eſt anti-
quiſſimum præceptum, conſenſuque, ut teſtatur Ga-
lenus,

lenus, non ſolum Hippocratis, ſed Platonis, Ariſtotelis, Dioclis, Praxagoræ, Pliſtonici, veterumque omnium dogmaticorum, & empiricorum comprobatum, recte non curari partem ante totum, puta, oculum ante caput, caput ante totum, itemque de aliis; quod etiam a Cornelio Celſo ſic confirmatur: *Ac ſi quando morbus non in toto corpore, ſed in parte eſt, magis tamen ad rem pertinet vim totius corporis moliri, quam partis, cum per eam ægræ partes ſanentur*. Solus Theſſalus hunc ordinem invertere auſus eſt, partique calida & acria imponere, his male vertentibus poſtea toti providere, ideoque a Galeno graviter correptus. Verum enimvero tam celebre præceptum, tamque protritum, non levium errorum anſam prætendit univerſe ſumptum, neque morborum, neque remediorum facta diſtinctione; imo inde Sanctorius arripit occaſionem oſtendendi, quamlibet medicam ſententiam eſſe cenſura methodi moderandam. Videndum igitur quibus remediis, & quibus in morbis partis curatio interdicitur ante totius medicationem. Illud profecto certum eſt, atque indubitatum, non poſſe partis affectum productum ex conſenſu totius corporis probe tractari, niſi obſervato præcepti ordine, ſcilicet ea ratione, qua conſtat non poſſe demi effectum, niſi adempta cauſa, a qua producitur, & conſervatur. Cum oculus, exempli gratia, inflammatur, adeſtque plenitudo ſanguinis in univerſo corpore morbum fovens, nemo provide dubitaverit, utrum ſit prius tollenda univerſalis copia, an ea relicta, admovenda oculo medicamenta, hucque ſumma curationis convertenda. Eodem ordine procul dubio medeberis ulceri orto a vitioſis ſuccis totum inquinantibus, quos

*Lib. 5. cap. 2.*

*Lib. 15. cap. 12. de Meth. vitan. err.*

quos prius detrahes, ut poſtea ulceratam partem tergeas, & validis reſicces. Fac aliter: omnes nervos intende, ut cures ulcus, antequam ſentina longe lateque fuſa vacuetur. Plus totum ſufficiet, quam ex particula eroſa detrahetur, e qua perperam paulatim eximere ſtudebis, quod e toto ſemel magna poteras utilitate; qua cautum eſt, ne partem offenſam tractemus ante totius medelam; & hoc reſpectu præceptum verum eſt, perpetuumque, quo tamen non comprehendi exiſtimo levia quædam, omniſque irritamenti expertia remedia in quolibet corporis ſtatu ſecura. Sin autem morbus progignitur ſine conſenſu totius corporis, vitioque ſolo partis, ad hanc ſanandam incumbe abſque totius evacuatione præmiſſa, exemplo tamen, ductuque Galeni, qui phlegmoni glandularum jubet prima die lanam oleo calente madentem imponi, dummodo nulla ſubſit humorum copia. At idem Galenus non audet glandulas vehementer diſtentas ſcarificare, licet nulla interſit plenitudo, quin prius moderatam ſanguinis quantitatem educat, veritus in morbo magno ne ſcarificatio illato dolore humores ad locum affectum concitet, quod non metuit ex lana, oleoque calente, ſi deſit ſuccorum redundantia. Diverſitas igitur morbi ratione magnitudinis, & adhibendi remedii loco affectionis argumento eſt Galeno vel præmittendi, vel relinquendi univerſalis remedii. Quibus jactis fundamentis alias ejus præcepti exceptiones deprehendere potes, lapſumque multorum cavere, qui aliquibus in affectibus partium, nihil fructuoſe apponendum habentes ſedi morbi, generalibus remediis frequenter ægrotum affligunt.

*Lib.13. cap.5.*

Mo-

Modicum humoris in cerebrum, puta, vel in oculum fuſi, quod in alia parte nullam prorſus curationem exigeret, cur tot univerſalia remedia præſertim cum afflictione totius poſcet? Morbificum duntaxat ex loco evadit, e quo pariter ſalus primario quærenda eſt maxime in morbo facto. Aliud non minus celebre, & quotidiano ſermone tritum præceptum eſt, quod vetat humores trahi ad partem affectam; quod tamen grave peperit inter doctos viros diſſidium, indigetque diſtinctione. Galenus ejus legis diligens cuſtos ad declinandum incitamentum humorum affecta membra verſus inhibet purgationem inteſtinis phlegmonem patientibus, utero inflammato provocationem menſtruorum, & urinæ ſimili morbo obſeſſa veſica: quod decretum Alexander Maſſaria traducens ab inflammationibus ad alias fluxiones intente pugnat ut in dyſenteria temperandum ſit a purgantibus; a quo vehementer diſſenſit Valleſius perſuaſus dyſenteriam non melius curari, quam purgatione, ſi ſubeſt pravorum humorum copia, nondum exulceratio magna. Illuſtre, & fortaſſe magis, quam par eſt, hujus medicationis exemplum habemus apud Galenum, qui narrat a quodam multos dyſentericos validis pharmacis, acerrimiſque infuſis ſic fuiſſe perſanatos. Cæpas uno die comedendas cum pane dabat, tum potum parcum: poſtridie mane muriam acerrimam infundebat, ſecundum hanc etiam pharmacum validum, quibus celerrime reſtituebatur æger, ſi robuſtus erat. Debilior autem teſtimonio Galeni, occidebatur. Extat etiam apud Hippocratem medicatio filii Eritolai dyſenteria cum febre detenti circa autumnale æquinoctium, cui pro-

*Lib. 3. cap. 2.*

*Lib. 4. Morbo. popu.*

*Lib. 12. Meth. cap. 1.*

propinavit Cous quaſi novem atticas cotylas lactis aſinini excocti, quo facta per duos dies bilioſa, vehementique purgatione, ceſſarunt dolores, acceſſitque ciborum appetentia. Utebantur Antiqui eo lactis genere ad purgandam bilem. Satis igitur ex hiſce conſtat neque omnibus medicamentis, nec in omnibus morbis abſtinendum eſſe a movendis humoribus ad partem affictam. Recte Galenus abſtinet inflammatis inteſtinis a purgatione. Recte non abſtinet Hippocrates, totque alii in dyſenteria non obſtatura vacuationi commoti humoris, quam interpellaret inteſtinorum phlegmone. Vetat Hippocrates in febribus fortibus uſum purgantium propter caliditatem viſcerum impedientem eorum actionem, quo liquet magis impeditum iri in tumentibus phlegmone inteſtinis, & ferventibus magis, quam in febre forti. Quem lateat quantum adverſetur motui purgationis tumor, & diſtenſio inflammatæ partis? Cum itaque non omnis affectio partium æqualiter opponatur concitationi humorum eas verſus, ſcite pro diverſitate morborum aut eam molimur, aut cavemus. Molimur autem hoc ſcopo, ut quicquid ad locum morboſum adductum eſt, protinus educatur; cujus medelæ omnis dubitatio tollitur, ſi per ea fiat commotio, quæ commota mitigent, uti vidimus feciſſe Hippocratem uſu lactis aſinini in dyſenteria evacuantis, & corrigentis quod evacuat. Non committam hoc loco, ut ſilentio prætercam egregium nuperæ ætatis experimentum de alliciendis humoribus ad partem vitiatam, & utiliſſime per eandem eliciendis. Sermo eſt de uſu hydrargyri in ulceribus gallicis tonſillarum, linguæ, aliarumque circum os partium, qua liquata lue, &

*De Medic. purgant.*

uber-

uberrime ad partes ulceratas delata, & per eas educta: *liquefacta mali excrementa videbis Aſſidue ſputo immundo fluitare per ora. Et largum ante pedes tabi mirabere flumen*; ulcera feliciter ſanari ſæpenumero comperimus. Anno 1717 mulier patavina annum agens quinquageſimum ſextum temperamenti melancholici, proceræ ſtaturæ, gracilis habitus, morboſique capitis, celtica mariti labe inquinata pene ad ultimum vitæ diſcrimen redacta erat ob moleſtiſſimam deglutitionem ab eroſione tonſillarum vehementer dolentium, cum febri continua, dolore capitis, vigiliis, frequenti ſcreatu, & copioſa ſpuitione pituitæ partim liquidæ, partim viſcoſæ, identidem etiam purulentæ. Cæteris incaſſum uſurpatis confugi *ad inventum medicamen numine Divum*, ut loquar cum Fracaſtorio, ſcilicet hydrargyrum more Riverii apparatam, & ſexies ignem paſſam, impetrato etiam ſuffragio Marci Navaræ egregii noſtræ Academiæ Profeſſoris. Vix incœpit animabile metallum ad fauces ferri, provocare ſpuitionem, cum imminuit dolorem in deglutiendo cibo, & reliqua ſymptomata; quorum finem intra dies plus minus quadraginta attulit, & inſigne argumentum prodeſſe noxios humores ad læſas partes perducere, quando idoneis remediis perducti exportantur. Satis, & quatenus noſtra inſtitutio deſiderabat productis exemplis declarata eſt natura præcepti medici, & ratio in eam inquirendi. Reliqua ex data opportunitate ponderato, ac certe pauca invenies, quæ nulli pateant exceptioni, aut ab aliis indicatæ, aut quam ipſe diligenti rerum contemplatione invenire poſſis. Qua, ut arbitror, animadverſione Hippocrates judicavit *non eſſe poſſibile*

*Fracaſt. Syphil. Lib.2.*

*Lib.1. de loc. in homine num. 5.*

Aa *me-*

*medicinam cito diſcere, quod impoſſibile eſt ſtatam, certamque doctrinam in ipſa fieri.* Quo nomine dixerunt alii medica ſcita perpetua non eſſe, dixit Cous medicam doctrinam non eſſe ſtatam, certamque, videlicet expeditam difficultatibus occurſuris in ejus uſu, qui fit in particularibus. Unde generalia diſtinguendi, contrahendique neceſſitas exurgit. Verum enim vero licet medica præcepta, quæ plurimum elata preſſius ſunt, in pluribus rerum differentiis, quas prima ſpecie complecti videntur ſine delectu, minime vera ſint, aut ſatis firma, in aliquibus tamen indubitata reperiuntur, quarum reſpectu conſtantia, perpetua cenſeri merentur, omnibuſque conditionibus adornata debitis artis conſtitutioni, atque utilitati. Quid igitur, inquies, medicina in conjecturis poſita exiſtimatur, ſi ſtabilibus legibus, jactiſque principiis conſentaneis, certaque methodo donatur? Ars quælibet præſcriptionum ſuarum naturam ſequitur, & refert. Hanc difficultatem prolixe agitat Cardanus, utque diſſolvat, mirum in modum agitatur: omnia tamen, adnotante Fuchſio, potius obſcurat, quam illuſtrat, explicatque. Paucis more noſtro evademus. Fatemur medicinam conjecturalem eſſe, inficiamur talem eſſe propter dubiam methodum, inconſtantia præcepta, artiſque fundamentis diſſentanea. Quanquam enim non omnibus ægrotantibus opitulatur medicus rationalis, totque inſuperabiles morbi ſuperſunt, nullo huc uſque efficaci remedio detecto, tamen id tribuendum non eſt inconſtantiæ præſcriptionum, methodique vitio, ſed rerum obſcuritati cælanti morbi naturam, impedientique, quo minus per indicationes auxilium acquiratur.

*Lib. 1. Inſtitut. Medic. cap. 4.*

ratur. Plures etiam morbi inſanabiles ſunt, etſi clare cognoſcuntur, vel propter partis affectæ naturam, vel motum, vel alterum impedimentum remedii, uti evenit in ulcere pulmonum, cujus clara cognitio curationem minime fortunat, ſed motus laborantis viſceris, viarumque longitudo vim medicaminum enervans aut impoſſibilem, aut difficillimam reddunt; vel tandem morbus cognitus expelli nequit, quod deeſt opportuna remedii materies, neque reſpondet indicationi. Inſuper concedimus non omnia remedia methodo acquiſita certa eſſe, atque indubitata, ſed plura tantum probabilia, & dubia, quibus tamen methodus neque dubia, neque tantum probabilis niſi ratione materiæ reputanda eſt, uti liquet ex arte ſyllogiſtica, qua evidentes quidem ſyllogiſmi conflantur, ſed plures etiam tantummodo probabiles; ex quibus fallax, & dubia non judicatur. Servatis enim traditis ab arte regulis ſemper rectus efficitur ſyllogiſmus, cujus concluſio ambigua arti vitio non datur, ſed naturæ præmiſſarum tribuitur perſpicua veritate carentium; ſimiliterque medendi methodus via certiſſima ſemper eſt, qua per cognitionem nocentis juvans invenitur, etſi non omne inventum manifeſtæ veritatis eſt. Aſſume duos morbos cognitos eſſe, alterum manifeſte, evidenterque, alterum obſcure, & ſolum probabiliter. Ad utriuſque cognitionem remedii cognitio conſequitur, ejuſdemque naturæ, cujus eſt cognitio præcedens, eodemque fundamento innixa, quive morbus tantum probabiliter cognitus eſt, tantum probabile remedium denotat, qui evidenter certum, perſpicuumque. Si exploratum, demonſtratumque habeas morbum eſſe tri-

bus numeris calidum, vel frigidum, inde certo ſtatues convenire auxilium tali ordine calidum, vel frigidum; ſi duntaxat opineris, ſola pariter opinione, non ſcientia illius ordinem determinabis. Utrumque tamen remedium eadem certiſſima methodo colliges, cujus forma ſemper eſt eadem, nulliſque vicibus expoſita, quamvis materia diverſa, aliaque opinionem, alia demonſtrationem ſubijciens. At Bohnius exiſtimat per obſervationes, atque experimenta methodum, atque indicantis indicatique connexionem ſatis firmam hactenus viſam aliquando dubiam reddi, niſi omnino everti, allegatque uſum corticis peruviani in febribus intermittentibus ſalutarem, *methodo, cujuſvis hypotheſeòs de natura, & cauſa febrium legibus ſuperiorem*. Quibus ſi velit Bohnius formam methodi dubiam eſſe, atque fallacem, manifeſte labitur, nempe quæ continet vim ſyllogiſmi, cujus forma nulla rerum novitate, noviſque obſervationibus in dubium revocari poteſt, multo minus everti. Materiam vero methodi jam animadvertimus non eſſe unius modi, neque ſemper neceſſario evidenterque veram, ſed etiam probabilem. Porro ſimiliter judicandum eſt de connexione indicantis, indicatique, ut de connexione conſequentis, & præmiſſarum, quibus ad regulas logicas concinnatis, & conceſſis, quod inde ſequitur non exponitur negantiæ, neque in dubium verti poteſt, niſi propter ambiguas præmiſſas; itemque indicatum dubium ſolum reddi poteſt ex ambiguo indicante, quo pro vero habito de indicato ambigi nequit. Perſuaſum habens, exempli gratia, præter modum copiam ſanguinis excreviſſe, morbique effectricem eſſe, nequit dubitare de indicato, hoc

*Cap. 9. de officio medici agentis in genere.*

eſt,

eſt, de adimenda noxia redundantia, cujus conjunctionem cum indicante nulla nova periclitatio, & notitia laxare poteſt, aut dirimere, niſi oſtendat indicans fuiſſe ambiguum, aut falſum. Quoad perdurabit veritas jacti principii, contraria contrariis curari, quæ æterna eſt, permanebit nexus inter indicans, indicatumque, qui proxime ab eo principio pendet. Solum materia indicati ambigua eſſe poteſt, deque ea diſputari, ſicut in propoſito exemplo de nimia ſanguinis redundantia, de qua cadere controverſia poteſt, utrum ſit auferenda per ſanguinis detractionem e vena, an per victum tenuem, an alio ex modis, quibus adimi poteſt. Optarem nunc cognoſcere a Bohnio, quo pacto uſus corticis peruviani in febribus intermittentibus ſit ſuperior methodo, & præceptis cujuſvis hypotheſeos de natura, cauſiſque febrium. Namque, meo judicio, Majores noſtri methodo uſum corticis prævenere, qui multa excogitarunt remedia ad febres cum rigore repetentes, quæ duabus horis ante acceſſionem cum vino inſtar indici pulveris propinabant, cujuſmodi ſunt ſemina ſmyrnii, flores chamæmeli. Alia præterea non pauca collegit Aetius ex variis compoſita, ſed præſertim amaris quædam veluti proludia quinquinnæ, quæ poſterorum fortunæ a nova mundi parte parabatur. *Serm. 5. cap. 88.* Verum concedamus Antiquos non ita clare noviſſe naturam intermittentium, ut invenire potuerint tam efficax, expeditumque remedium, cujuſmodi eſt quinquinna. Id ſolum probat aliquando per experientiam in lucem proferri, quod ſpeculatio non protulerat; quod ultro damus, neque derogat immutabili firmitati, & dignitati methodi. Itaque poſſidet medicina evidentia

prin-

principia, certiſſimam methodum, vera & ſtabilia præcepta: nihilotamen ſecius eſt, ut omnes ſentiunt, conjectrix, ſed aliis de cauſis, ac potiſſimum ex ea parte, quæ vocatur ſemejotica, agitque de ſignis cognoſcendarum ægrotationum, quam Galenus inter exactam notitiam, abſolutamque ignorantiam mediam fecit. Genera morborum non magno labore identidem cognoſcimus, ſed tanto majore ſpecies, & quantitates, quibus cognitis propria, & peculiaria remedia declarantur, ignoratis ſolum communia quædam præſcribi queunt. Accidere igitur poteſt, ut ab obſcuris, ambiguiſque ſignis deceptus artifex methodo, præceptiſque abutatur, noceatque inſtructu auxiliandi, in quo caſu accuſanda eſt rerum obſcuritas, vel humanæ potius mentis imbecillitas impar earum præſcrutationi, non methodus, non præcepta. Multa, certæque rationi innixa Hippocrates præſcripſit de expurgatione, victuque vel augendo, vel minuendo in febribus pro variis earundem ætatibus, ſive temporibus, quorum tamen ſecernendorum indicia non ita certa, & evidentia exiſtunt, ut ſemper demonſtrent indubitatam, & germanam occaſionem exequendarum præſcriptionum, ut nunquam hallucinari queat apparentium explorator. Quis ita clare dignoſcat temperamentorum differentias, varias morborum complicationes, fortuitaſque cauſarum copulationes, ut ſemper in perſpicua ratione verſetur, & omnem in arte exercenda errorem evitet? Huc adde, quod ſæpe cogimur uti experientia, & analogyſmo, ex quibus nequimus arripere demonſtrationem eorum, quæ uſurpantur in curationibus morborum, ſine certa indicatione. Ex quibus habes
un-

unde medicina conjecturalis maxime redditur, idque vitio præceptionum aſcribendum non eſſe; de quarum veritate, & firmitate ab effectu certam ſententiam ferre nequimus, ut in aliis artibus, quarum opera artifex molitur. Quippe medicus eſt ſolus adjutor operis, ſola natura effectrix, cujus imbecillitas opportuna præcepta, & medicamenta identidem fruſtratur.

Cognita præceptorum natura, ea dividimus in communia, & particularia, qua diviſione uſus eſt Celſus in partiendis curationibus, quibus rite inſtituendis præcepta adhibentur, vel recto uſui ſex rerum non naturalium ad bonam valetudinem tuendam. Præcepta communia curationis ſunt, quæ vel omnibus morbis, vel pluribus horum ſpeciebus abolendis conferunt. In omnes morbos valet quod tradit Cous: *Morbos a principio curare oportet, & ſi quidem a fluxionibus fiunt, primum fluxiones ſedare, ſi vero ab alia cauſa, principium morbi ſedare, ac curare.* Hiſce docet morbum principio curandum eſſe, ut etiam cecinit Poeta: *Lib. de loc. in homin. num. 44.*

*Principiis obſta, ſero medicina paratur,*
*Cum mala per longas convaluere moras:*

deinde curationem inchoandam a ſedanda cauſa, quod in qualibet curatione obſervandum eſt tum ordinaria, tum coacta, in qua, ut vidimus, nequit mitigari ſymptoma niſi quadantenus mitigata cauſa: ſed hujuſmodi generalia præcepta pauca exiſtunt; multo plura ſunt, quæ diverſis ſpecie affectionibus ſed non omnibus opitulantur, quæ nihilominus cum Celſo communia vocamus. Hujus generis ſunt, quæ faciunt ad medendum omnibus tumoribus, aut vulneribus, aut intemperiebus, aliiſque ægrotationum generibus. Propria, &

par-

particularia dices, quæ uni tantum morborum differentiæ aptantur, veluti quæ ſoli febri tertianæ, non quartanæ, non quotidianæ; quæ vulneribus nervorum, non carnis, aliiſque affectibus ſingulatim. Quemadmodum igitur alia remedia pluribus diverſis morbis communia ſunt, uti purgatio, venæ ſectio; alia propria, & unico morbo, vel unicæ morborum ſpeciei; ſic præcepta, quæ remediorum uſum præſcribunt.

## CAPUT XVI.

### *Unde deſumenda ſint Medica præcepta.*

POſtquam medicina, quæ olim pars erat ſapientiæ, rerumque omnium contemplationi conjuncta a doctiſſimis viris, ut ait Celſus, propriæ valetudinis cauſa inventa privatis laribus incluſa eſt, atque ſepoſita ab communi Sapientiæ ſtudio, duæ potiſſimum floruerunt rationalium medicorum ſcholæ, altera græcorum, cujus parens Hippocrates arte & facundia, ut loquar verbis Celſi, inſignis; Arabum altera, cujus princeps Avicenna. Illa cultior, nitidiorque, hæc obſcurior, ſpinoſaque ex horrido, & barbaro ſermone ſui auctoris, qui nequit ſatis apte in Latium traduci, ut videatur Avicenna Alcorani obſcuritatem affectaſſe, cujus adeo ſtudioſum fuiſſe accepimus, ut decimo ætatis anno memoria tenuerit univerſum, ob id Turcis, Arabibus, Mauritanis, reliquiſque Mahometi propugnatoribus plurimi habitus. Tanto item in honore, cultuque apud aliquos medicos ejus præcepta fuere, ut pugnaciſſime tuerentur ſine illis neminem ſatis præmuniri

*In Præfatione.*

poſſe

poſſe ad medicinam proſpere faciendam. Revera tametſi Avicenna Galeni nitore, & facundia careat, quibuſdam etiam graviſſimis erratis fœdetur, quæ a clariſſimis viris collecta ſunt, vulgataque; eum tamen & nobilem philoſophum, & medicum fuiſſe liquet, meritoque in academiis exponi principum juſſu antiquitus ſancitum eſſe. Quamvis enim a Græcis plurima, & præſertim a Galeno acceperit, eadem tamen in præſtantiſſimum ordinem redegit, qui docentibus oppido commodat, & addiſcentibus; aliaque non pauca praxi utiliſſima adjecit e proprio penu deprompta. Itaque nolo, quod quidam volunt, Avicenna retrohabeatur, e ſcholis exulet, imo dignitatem, & faſtigium illud retineat, quo majorum ſuffragiis collocatus eſt; cui tamen Hippocratem, & Galenum præſtitiſſe doctrinæ copia, claritate, gravitate notius eſt, quam ut pluribus debeat comprobari, quorum vexilla ſequi juvat, hiſque præceptoribus erudiri, qua nobis arte ſit cum morbis luctandum, reliquis etiam præclaris auctoribus non neglectis. De Galeni cultu, & obſervantia non ita convenit inter Recentiores, ſicut Hippocratis, cui non immerito tanquam Herculi tributos eſſe ab tota Græcia honores in dies poſteritas comprobat, quæ ejuſdem documenta, dum tanta ſervet opinionum varietas, & diſcrepantia, dum fere reliquorum Priſcorum fama extabuit, veneratur, & obſervat. Neque tantummodo antiquum decus Hippocraticæ doctrinæ uſque in præſens perſeveravit, ſed ea cepit incrementa, ut de eadem colenda, ſervandaque latæ leges fuerint. *Penes Hippocratem*, inquit Baglivius, *ſumma poteſtas eſto. Ad eundem cuilibet provocare jus eſto. Et ſi quid in his legibus obſcurum*,

*perplexumque ſiet, communi Hippocraticorum conſultis peritioribus inter medicos more majorum interpretandi, ſupplendique jus eſto, & in perpetuas medicinæ tabulas redigitor.* Hinc igitur tanquam e caſtalio fonte copioſe quantumlibet hauriendum exemplo Galeni, qui tanti præceptoris doctrina apprime imbutus, & fultus univerſam medicinam egregie adauxit, illuſtravit, & ſtabilivit. Quanquam enim non pauca prolixius, repugnantia nonnulla, jactanter quædam ſcripſit, ſæpe etiam concepto ſermoni indulſit; attamen tantæ amplitudinis auctor eſt, ut ea, in quibus offendere videtur, laudanda non obruant, neque tantæ molis pulchritudinem deturpent. *Verum*, inquit Horatius, *ubi plura nitent in carmine, non ego paucis Offendor maculis.* Multas tamen ſubiit vices fortuna, & gloria Galeni, quæ paulo poſtquam florere incæpit, quaſi planta ſine radicibus pene inaruit, ejuſque documenta negligi, animis medicorum ad lucrum potius, quam artis præſtantiam intentis, pertæſiſque longum laborem, quem requirebat rationalis via Galeni veſtigiis impreſſa, adornataque. Exinde tamen fato bonis artibus arridente caput extulit Galenica doctrina, quæ diu quaſi ſepulta latuerat, atque ex rogo glorioſior revixit, omniumque pene medicorum ſtudium ad ſe ſe convertit; quem apicem, cultumque tandiu poſſedit, quandiu immenſus novitatum amor permiſit, nec ei vim intulit, & poſſeſſione dejecit, uti ante paucos annos contigit. Veruntamen ſi multa ex plurimis, quæ ſcripſit Galenus, minus Recentiorum palato ſapiunt; certe fieri, ut arbitror, nequit, quin placeant libri de methodo medendi locupletiſſimi ad praxim bene fortunandam; nempe quibus non fortuitas præceptiones, aut quaſ-

*In arte poetica.*

quaſdam ex arbitrio medendi leges condit; at ſolertiſſime inveſtigat, oſtenditque tenendam rationem ad nanciſcenda auxilia morborum. Docet perſpicue quot, & quæ ſint in illis penſitanda, quo gradu a primis ad ultima proficiſcendum, quo pacto inter ſe ſe diverſa conferenda, atque ex omnibus naviter expenſis eliciendæ indicationes, derivandaque curationum theoremata, quibus medicinam rationalem intra proprios fines redegit, ſecrevitque a factionibus Theſſaliorum, atque Empiricorum. Has igitur hortor lucubrationes diu, attenteque pervolutes, ſi tibi cordi eſt humanæ ſalutis procuratio, quibus ſive acquieſcas, ſive ſecus, inde tamen ad ratiocinandum in re medica erudieris, in quo magnus eſt ad medendum apparatus. Nolo enim Te ita Galeno addictum, ut quicquid refert, quicquid judicat, præcipitque tanquam de cœlo lapſum conniventibus oculis adores, nilque melius in rerum natura exiſtimes, uti viſum eſt non paucis Antiquis, quibus unica cura fuit Galenum diu noctuque verſare, interpretari, omnes ſententias, imo verba pugnaciſſime tueri; quo genere contentionum valde ferbuit Horatius Augenius contra Alexandrum Maſſariam ambo noſtræ Academiæ Profeſſores primarii. Quid mirum Galenum in tot libris, tam diverſis temporibus, ætate, & locis editis aliqua invicem pugnantia ſcripſiſſe, falſa quædam, multa dubia, & ambigua, diverſiſque interpretationibus accommoda? ut minime operæ pretium ſit tantum temporis, & laboris in contentioſas verborum, & ſententiarum explicationes inſumere, quaſi vir doctus nequeat ulla in re ſibi contradicere. Nil animis, inquit Tullius, confidere oportet. Labamus, mutamuſque *Lib. 1. Tuſcul. quæſt.*

 que

que ſententiam clarioribus etiam in rebus. Eſt ſuus modus in cultu præſtantiſſimi præceptoris, abs quo apertiora, & probabiliora petenda ſunt, dimiſſis litigioſis ambiguitatibus, ſemperque majore habita veritatis, quam auctoris obſervantia. Verum cum nullus uberiore dialecticæ, rerumque phyſicarum inſtructu methodum medendi Galeno felicius ediderit, ejuſdemque modum exercendæ in ſingularibus ægrotationibus pro diverſitate temperamentorum, & cauſarum demonſtraverit, meo judicio, quicunque humanæ ſalutis cuſtodiæ, & reparationi vacat, inde ſui muneris obeundi formam addiſcat oportet, tot doctiſſimos viros imitando, qui exactis ſæculis Hippocratis, & Galeni placitis dediti magna cum laude, nec minore lucro artem fecerunt. Non defuerunt alii doctiſſimi viri, qui hanc provinciam obiere, inter quos creditur eminere Valleſius, qui certe plures, veras, utileſque notiones pro curatione morborum editis quatuor libris de methodo medendi coacervavit, non tamen germanam illius naturam ſatis expreſſit, nec eam tractavit juxta diviſionem a ſe traditam. Operis initio methodum divîdit in generalem, & ſpecialem, alteramque ponit in præceptionibus ſpectantibus ad morbi ſimpliciter curationem, omnique morbo accommodam; alteram in iis, quæ ad ſingulos morbos pertinent, unique tantum aptæ, propriæque ſunt. Veruntamen methodus in præceptis non conſiſtit, ſed intellectus inſtrumento, quo præcepta, & remedia inveniuntur; neque ullo modo referri poteſt ad præcepta, niſi facta illius diſtinctione in docentem, & utentem, ex qua ſuperius utentem in præceptis collocavimus. Porro non ſatis per-

percipio, quam methodum exponere Valleſius voluerit generalem, an particularem. Generalem docere velle videtur, ſed multo plura complexus eſt, quam ea petit ex propria interpretatione, qui ait generalem methodum comprehendi præceptis de morbo ſimpliciter, omnibuſque morbis communibus, quæ, ut ſupra animadverſum eſt, pauca exiſtunt, eaque non valde artificioſa, cujuſmodi etiam ſunt generales indicationes. Neque ſane Valleſius tot paginas repleviſſet documentis medendi, ſi duntaxat rationem morbi ſimpliciter expendiſſet, cujus nomine nihil aliud intelligo niſi morbum cunctis differentiis amctum; idemque crederes intellexiſſe Valleſium, dum præceptiones de morbo ſimpliciter omnibus morbis communes facit; ſed opere quippiam diverſum intellexiſſe ſe probat complectente theoremata de differentium affectionum curationibus. Illud etiam in ejus codicibus incommodum expertus ſum (fortaſſis alii non experiuntur) quod tanta, tamque varia rerum copia hinc & illinc ſumpta, & in arctum concluſa ſæpe mentem huc, illucque nimis celeriter jactat, & fatigat, neque continuata cognitionum ſeſe conſequentium progreſſione tenet. Ad Galenum igitur tanquam ad uberrimam ſcaturiginem confugiendum eſt, unde omnia copioſe, nitide, docenterque profluxerunt, quæ attinent ad artificium curandarum ægrotationum. Præcipuis morborum organicorum, ſimilarium, & communium differentiis immoratur, nec inde diſcedit, donec modum oſtenderit, quo a primis ad ultima in adeptione remedii procedendum ſit. Tertio, quarto, quinto, & ſexto commentario declarat, quemadmodum quis ulcera methodo ſanet, Lib. I. cap. 4.

non

non ſolum eorum generalem naturam veſtigans, & inde natam indicationem, ſed hanc, & diſcrimina accepta ex parvitate, magnitudine, cavitate, profunditate, malignitate, partium ſolutarum diverſitate, atque conjunctione cum aliis affectibus; parilique diligentia, & particularium inquiſitione ſex ſequentibus libris agit de corrigendis intemperiebus; reliquis duobus de tumoribus præter naturam: quibus omnibus niſi omnia comprehendit noſtris actionibus incommoda, eorumque medelam; tamen fundamenta jecit, quibus fretus unuſquiſque ſibi comparare poteſt, ſi quid amplius deſideret. Cum igitur Galenus tantum opus abſolverit, nec aliquidpiam melius me additurum conſiderem, profeſſus ſum ab initio non methodi partes, ſeu particulares methodos expoſiturum, ſed conſtitutionem generalem, quam Galenus peculiari libro, vel capite non concluſit, ſed ſparſit, ut ſe obtulit occaſio ſingulares methodos edocenti. Alio enim in loco eſſentiam methodi deſcribit, ejuſque formam, alio naturam indicationum explicat, alio numerum, dignitatem, originem, alio moderamen in contrariis. Quamobrem non pauci colligentes quæ Galenus ſparſit, occaſionem ſumpſere conſcribendæ methodi, mihique pariter viſum eſt multa commode, ac ſine faſtidio, & nauſea recoctæ crambes iterum cudi poſſe ad univerſalem conſtitutionem pertinentia. Verum, cum manifeſtum ſit, non eam ſolam addiſcendam eſſe, ſed ejus ſpecies, parteſve, has nemo funditus, nemo melius addiſcet, quam Galeni commentarios conſulendo, ſe ſeque cum eodem in ſingularium indicationum veſtigatione exercendo; quo pacto & præcepta, quæ Gale-

nus

nus inter ratiocinandum de variis morborum differentiis, ſancit, ediſcet, & modum, quo ſibi alia ſancire valeat. Quod ſi multa ſunt a Recentioribus inventa Priſcis ignota, ſcilicet ſanguinis circuitus, ſuccus lymphaticus, pancreaticus, diverſus trames chyli, novus effector ſanguinis, ſecretiones humorum, & ſi qua ſunt alia; ſi novæ excogitatæ morborum cauſæ, appoſitæque ad nupera reperta; non ideo putes deſerendam eſſe galenicam methodum, quaſi ſenior reddita effæta foret. Nullis illa patet vicibus, nec ulla rerum novitate amittere poteſt fæcunditatem notionum ad cujuslibet affectionis medicationem temperandam. Si abs Recentioribus alicujus morbi cauſa melius cognita eſt, eaque diverſa a veteribus placitis, mutabitur quidem indicatio, non ratio eliciendæ indicationis in libris galenicis expreſſa, quam qui apprime poſſidet, ſatis eſt ad omnia nova communitus. Teſtatur Galenus, ſe viam a ratione monſtratam ſecutum per ſe ipſum octo diverſas curationes imbecilli ventriculi inveniſſe, aliaque particularia deprehendiſſe: idemque facilius accidet in ejus methodo, & rationum comparatione exercitato, qui prompte ſciet eruere indicationes novis inventis conſentaneas. Mandat Galenus in phlegmone jecoris exquiſitiſſimum victum ratus chylum ad illud viſcus deferri, ejuſdemque temperamento in ſanguinem commutari, cujus præcepti ratio ceſſat ex nova patefacta chyli via, & cauſa converſionis in ſanguinem. Qui tamen exemplo Galeni hepatis officium, quod, ut pluribus placet, in ſecretione bilis poſitum eſt, conſiderabit, quantumve impedimenti ad idem exequendum afferat inflammatio, ac per victum exquiſitiſſimum minus impedimenti ſuper-

*Lib. 7. Meth. cap. 4.*

per-

pereſſe, idem atque Galenus concludet, quanquam ex diverſo munere jecoris. In omni rerum varietate, & novitate Galenum æmulatur, quem cognita natura mali dirigit, & ducit ad medelam conſequendam, ſive hæc cum Galenica conveniat, ſive ſecus. Pro diverſitate ingeniorum, & cultionis fieri poteſt, ut alter altero clarius morbum cognoſcat, melius curet; fieri non poteſt, ut methodus diverſa ſit, neque Galenicæ conſentiens, cujus peritum certum eſt multum in arte profeciſſe. Sin autem Recentior aliquis plus ingenio, & ratiocinio pollet Galeno, ſi diligentius cuncta indaganda in ægrotis propoſuit, & aptius digeſſit ad indicationes curatorias depromendas, atque rectius deprompſit, tanquam optimus præceptor ſummo ſit in honore, cultuque, poſthabeatur Galenus. Nec enim me cœcus amor antiquitatis inceſſit; quamvis fatear apud me veterem doctrinam plurimum valere; in qua, ut loquar verbis Tullii judicium ferentis de claris oratoribus, non potius requiro quod deeſt, quam laudo quod adeſt, qui multo majora judico quæ ſunt, quam quæ deſunt. Quinimmo profiteor me, ſi quid meis ægrotantibus profui, aut niſi nocui, quo ſæpe debet eſſe contentus medicus, id maxime referre acceptum Priſcorum monumentis; quibus dirutis pro certo habeo longe graviora vulnera paſſuram eſſe medicinam, quam recens extructis. Si quis nuper ſcripſiſſet de ratione medendi, quæ Galenus ante tot ſæcula, non dubie omnium admirationem, nedum plauſum illico promeritus eſſet, & in omni ephemeride ſummis, veriſque laudibus celebratus. Nemo tam doctis commentariis carere voluiſſet, frequenterque legendis abſtinere: ſed hiſce vetuſtas

*In Oratore.*

pre-

pretium adimit, decuſque, jacentque una cum tot aliis avitis lucubrationibus pulverulenti, & carioſi non alia de cauſa, quam propter antiquitatem. Recentia excogitata bene multi ſitiunt impenſius, aviditſſime legunt, quæ tamen nihil habent ſæpe novi præter deteriorem partem. Ferax quidem eſt humana mens, ſed fortaſſe minus, quam perſuademur, eoque identidem revolvitur, unde diſcedere ſtudebat; ac licet multa novare valeat, certe non valet differendi rationem, qua nullum methodi ſcriptorem Galeno præſtantiorem hactenus offendi.

## C A P U T XVII.

*De comparatione rationis cum experientia.*

QUantum ſecta Rationalium medicorum præcellat Empiricis ſoli experientiæ confiſis, ſatis oſtendit Galenus, omnibus cordatis viris perſuaſum eſt, nec attinet ex præſenti inſtituto pluribus inculcare. Mihi res eſt cum medicis rationalibus, iiſque, qui præcipiunt ex data occaſione deſerendam rationem, ſequendam experientiam; quos opinor de re imaginaria, & nunquam futura laborare. Ab iſtis igitur peto, qualis experientia ſit anteponenda rationi, congruens ne, an eidem repugnans? In earum congruentia nulla ſubeſſe poteſt occaſio alterutram anteponendi, aut poſtponendi, ſed ea comperta firmiſſimum argumentum habemus de re quacunque judicanda, & facienda. Solum igitur quæri poteſt, utrum præſtet experientiæ parere, quam rationi ab ea diſſidenti: in quo

*De Officio medici agentis in genere.*

ſenſu Bohnius faciens cum Sennerto decernit generatim *in medicina facienda, atque in præſidiorum artis exploratione experientiæ præ ratione fidendum eſſe*; provocatque ad experimentum miſturæ ex ſpiritu therebintinæ, & vini factum a Paræo in punctura nervi cum magno dolore, & periculo Caroli noni regis Gallorum, cui loco venæ nervus punctus erat. Ante Paræum, inquit Bohnius, omnes Chirurgi tradiderant ab vulneribus nervorum acria minime ferri; ideoque illud remedium ſatis acre, contradicente ratione, applicatum fuit, & ſalutare compertum. Ergo cum Bohnius, aliique malunt experientiæ fidere, quam rationi, hanc ut ei reluctantem poſtponunt. At quænam ratio eſſe contraria poteſt experientiæ, recta ne, an vitioſa? Mihi nihil durius videtur, quam rectam rationem adverſari experientiæ; quando inter utramque perpetuum eſt conſortium, perficiturque experientia ratione, ratio experientia confirmatur; eſtque vulgata ſententia Galeni experientiam, rationemque recte inventis fidem facere. Sola igitur ſophiſtica ratio differre poteſt ab experientia, quæ non ſolum huic poſtponenda eſt, ſed explodenda; atque fautores experientiæ nihil contendunt, quod concedendum ab omnibus non ſit, ipſique plebi manifeſtum, ſi docere velint amplectendam eſſe experientiam præ vitioſa ratione. At fortaſſis eos aliquid amplius velle putem, ſcilicet eſſe anteferendum experimentum rationi, quando hæc probabilis apparet, ut hoc pacto ductum experimentorum commendent, tutioremque declarent. Verumtamen, cum probabilis ratio ad quidpiam deliberandum offertur, quænam experientia ſuadere pote-

rit

rit contrarium? Non omnis ſane, ſed certa indubitata, atque perſpicue cum omnibus circunſtantiis cognita; quibus dotibus plura experimenta non adornantur, aptaque proinde ad fallendum; aſſeritque Celſus medicinæ non ſolum conjecturam, ſed etiam experientiam plerumque non reſpondere. Quocirca tam exponitur errori, qui dubiæ rationi obſequitur, quam qui experimento non bene perpenſo; neque poteſt hiſce comparatis decerni, utri obſequendum ſit, niſi alterutrinque veritas clarior eluceſcat. Porro ſuppetente experientia omnem dubitationem præcidente, per hanc ipſam conſtat contrariam rationem falſam eſſe, rejciendamque ſine monitu Sennerti, Bohnii, aliorumque. Nunc reliquum eſt, ut expendamus curationem puncti nervi factam a Paræo, productamque a Bohnio in commendationem experientiæ: in qua quidem mihi videtur apud Paræum plus valuiſſe ratio experimento, nihilque adverſus eam molitus eſſe regius Chirurgus. Si enim contra documentum Chirurgorum, acria nervis vulneratis non convenire, primus infudit ſatis acre medicamentum, certe id nullo motus experimento fecit, ſed ſubtiliore ratiocinio nactus occaſionem. Nec enim refutat communem Chirurgorum doctrinam de medicatione icti nervi, imo docet illi retecto eſſe adhibenda deſiccantia ſine morſu, cujuſmodi eſt therebintina cum bolo armena. Cum autem nervus punctus Regis obtectus eſſet, ſuſciperetque Paræus deſiccandum virulentum humorem, quem nervorum vulnerationes ſolent exudare, injecit oleum therebintinæ cum ſpiritu vini aptum penetrationi per anguſtias punctionis, conjiciens per medicamentum

*In Præfat.*

 ſen-

ſenſim illabens, mitigatumque a circumpoſitis partibus faucium nervum minus irritatum iri. Sua itaque meditatione animatus Paræus, non periclitatione adverſa rationi primus ita curationem inſtituit, perfecitque. Quis enim credat virum circumſpectum, nec arte abutentem tentare velle, quod vel experimentum non oſtendit, vel probabile conjectura non reddit? Caruit aliorum experimento Paræus, ſi primus illud medicamen uſurpavit, ut Bohnius aſſumit; & iccirco ſolam conjecturam ſectari potuit. Quemadmodum autem in hac curatione nullum fuit diſſidium inter rationem, atque experientiam; ſic nullus mente fingi poteſt caſus, in quo reperiatur. Hoc enim ipſo, quod experientia demonſtrat rem aliter evenire, atque per ratiocinium viſum erat, liquet illud rectum minime fuiſſe. Quare qui nollet in præſens in nervi punctura uti Paræi medicamento veritus acrimoniam ab aliis Chirurgis forſitan indiſcriminatim formidatam, veræ rationi non obtemperaret cum experientia conjunctæ. Omnis notitia rerum ab ipſis ſenſibus orta eſt, atque ut novæ ſunt obſervationes, novæ quoque rationes ſuppeditantur. Dum vero jam cognita iterum mente agitamus, & revolvimus novis factis rerum comparationibus, inde inſtigamur ad novas obſervationes faciendas, quibus ſæpe detegimus veritatem, & ſophiſticæ rationis errores. Atque ne diſcedam a Chirurgia, experientia oſtendit quotidianam frequentemque vulnerum ſolutionem prius excogitatam ad ſordes extergendas minus utilem eſſe rara a romanis chirurgis inventa, & a Cæſare Magato illuſtrata; ſed hanc ipſam tentandam eſſe diligens conſideratio eorum, quæ in vul-

vulneribus acciderant, ſuaſit; aliaque plura uſu ſtabilita ſunt, quæ a conſilio cœperunt. Multa quoque in univerſa medicina, quæ uſu, & periclitatione vulgo ſtabilita creduntur, ratio aut corrigit, aut delet, & apponit meliora. Peto facultatem, ut aliquid poſſim de me ipſo narrare. Mos eſt apud medicos puerperii purgamentis vel ſuppreſſis, vel imminutis ſanguinem e talo fundere ſemel, iterum, & etiam aliquando tertio; idque tam alte multorum animis inſedit, ut quidvis malint, quam ab iſta medicatione recedere, ut putant, rationi, & quotidianæ experientiæ conſentanea, quæ tamen non ſemel a me prætermiſſa puerperis bene vertit. Ante annos circiter ſeptem fœmina annorum 24 uxor veneti aromatarii poſtquam laboravit plures menſes Venetiis, & Patavii tertiana duplici omnibus remediis invicta, circa medium decembrem fæmellam peperit, parceque fluentibus lochiis, febrique perſeverante juſſu Medici detractus eſt ſanguis e ſaphena, ſed nullo conſecuto uberiore fluxu, imo paulo poſt coercito, cogitabat medicus de iteranda malleoli vulneratione, uti feciſſet, niſi a parentibus ſententiam meam rogatus obſtitiſſem, cauſando lochia non eſſe retenta, ſed pauca fuiſſe propter conſumptionem ſuccorum factam a calore febrili, modicoque cibo, quo prægnans uſa erat, uti apparebat ex totius corporis magna extenuatione. Altero igitur diſcrepante medico, qui metuebat infortunia a ſuppreſſis lochiis impendentia propinavi corticem peruvianum cum aqua cerefolii, quo mitigatum eſt frigus valde moleſtum tertianæ, ipſaque deinde febris addito auxilio naturæ reſtincta, licet nihil amplius ex utero manaſſet; quod meæ conjecturæ

reſ-

reſpondit, contra expectationem alterius perſuaſi, me repugnaſſe medicationi uſu quotidiano confirmatæ. At ratio nacta eſt opportunitatem omittendæ venæ ſectionis contra experientiam non bene ponderatam; nec aliunde oriri poteſt diſcrepantia inter rectam rationem, atque experientiam, niſi ex nobis male cogitantibus, deceptiſque a diverſitate occaſionum, in quibus uſurpantur remedia, quæ dicuntur experta; eademque de cauſa medicina, quæ conſtat ex occaſione, ut advertit Hippocrates, aliis artibus incertior eſt. Quamobrem minime diſputandum cenſeo, utrum rationi potius, quam experientiæ parendum ſit, quaſi hæc duo eſſe poſſent diſcordia; ſed ſi eveniret, ut altera alteri opponi videretur, pro certo habendum eſt, aliquem errorem ſubeſſe, & diligentius in utramque perquirendum. Si conjectura deprehendero remedium aliquod, puta, ulceri cavo nociturum: alterque affirmet, ſe idem utile comperiſſe, protinus eam non deſeram, & niſi omnes eventi circumſtantias accurate perpendero; cum ex ipſis experimentis plures errores in medicinam irrepſerint; unde, ut loquar verbis Fernelii, tot experimentorum undis, & procellis demergimur, quas ſola ratione duce declinare poſſumus. Quinimmo aliquando magna ingenii ſolertia, promptaque ad conjecturam etiam experimentis deſtituta admirabili præſidio fuit ad medendum, uti Aſclepiadi, qui, cum ætate Pompeii Magni, referente Plinio, orandi magiſter eſſet, nec ſatis in arte ea quæſtuoſus, ad medicinam ſe ſe repente convertit, & ſagaci, quo pollebat ingenio, ad cauſas omnia revocando, ſine prævia exercitatione, & notitia oculis, uſuque parta univerſum pro-

*Lib. 2. de abditis rerum cauſ. cap. ultimo.*

*Lib. 26 natur. hiſt. cap. 3*

pe

pe humanum genus circumegit in ſe, non alio modo, quam ſi cælitus emiſſus adveniſſet; eodemque medico Tullius ipſe uſus eſt. Illud autem maxime declarat conjecturæ eximiam facultatem, quod extemporalis ille medicus tantum aliis, ſibique profecit nova medicinæ ratione condita, veterique abdicata, quæ ſeculorum uſu fulciebatur. Non ideo exiſtimem quenquam ſola ratione ſatis eſſe ad medendum communitum; quicquid Aſclepiadi contigerit, cujus perſpicacitas rara eſt, unica felicitas, ac tanta, ut Plinius indignetur hominem obſcurum ortu vectigalis ſui cauſa leges ſalutis humano generi repente dediſſe. Requiritur experientia, requiritur exercitatio in particularibus. Siquis enim, ut ait Ariſtoteles, rationem abſque experientia teneat, & univerſale cognoſcat, quod autem ſub eo particulare eſt ignoret, ſæpenumero errabit a ſanando; de quo pariter monemur ab Galeno aſſerente, non tam eſſe neceſſaria generalia præcepta, quam multiplicem in ægris ſingulatim exercitationem, qua comparatur experientia, & ſingularium cognitio, eorumque, quæ neque ſcribi, neque doceri poſſunt, tamen uſus perfectionem continent, ut accidit quoque in arte oratoria ex ſententia Roſcii, qui ut habemus apud Tullium, ſolebat dicere caput eſſe artis decere, quod tamen id unum eſſe, quod tradi arte non poteſt. Ad ea porro internoſcenda plurimum valet cultura rationis, & conſtat viros univerſali doctrina præditos, atque in dialecticis probe verſatos paucorum annorum periclitatione longe antecellere alteros, qui plures annos inviſendis ægrotis inſumpſerint, imo conſenuerint, minus doctrina, & ratiocinio polleant. Nimirum

*Lib. 1. Met. phi. 1.*

*Lib. 9. Met. cap. 6.*

*Lib. 1. de Oratore.*

par-

particularium obſervatio, atque experimentum poteſt multa, & ſecretiora rerum diſcrimina, in quibus poſita eſt praxeos felicitas cognoſcenda ſubiicere, ſola exculta ratio poteſt diſcernere; idque in cauſa eſt, cur aliquando ex duobus medicis eundem ægrotum, eadem ſymptomata conſpicientibus, alter alteri præſtet in dignoſcendo expeditius morbo, cognitique curatione felicius proponenda. Experimentum igitur exhibet ſpeculanda, mens ſpeculatur, quæ rectius de rebus repræſentatis judicabit, ut cultior erit: atque dubitari nequit, quin experimentum per ſolam rationem proximum, & ſecurum inventionis inſtrumentum, agendique argumentum evadat; ſapienterque ait Fernelius experientiæ fidem, & conſtantiam ſola ratione conquiri. Ac ſane quemadmodum medicina orta eſt a ſummis Philoſophis, & totius naturæ contemplatoribus; ſic majora incrementa ſuſcepit ab ejuſdem familiæ viris, omnique litteratura præſtantibus, non ab empiricis omnia ſenſu potius, quam ratiocinio metientibus; ſine quo nequit curatio dirigi, ſicuti navis ſine clavo, remiſque. Neque ſperandum eſt poſſe empiricam a ratione, & dialectica proprio colore tingi, exornarique, niſi adhibita ea ſerie cognitionum, quæ theoria medica vocatur, unde mens illuſtratur ad cognoſcendas cauſas occultas; ad recte judicandum de initiis, progreſſionibus, atque mutationibus morborum; ad ſecernenda neceſſaria a fortuitis, & adventitiis, effectuſque medicaminum abs ſpontaneis, naturæque; ad colligenda præterita, introſpicienda præſentia, præſagienda futura. Edita quidem eſt ante paucos annos Patavii diſſertatio inſcripta: *Pro Empirica*

*ſecta*:

*ſecta adverſus Theoriam medicam*; ſed ſolus titulus diſſertationis in theoriam medicam univerſe pugnat, non diſſertatio, quæ ſolidam germanam theoriam ab veteribus excultam excipit, tantum caſtigat quoddam genus ſæcularis theoriæ, quod per ſummam fraudem in rem medicam irrepſit. Illud autem optimum theoriæ genus judico, & tuendum ſuſcipio, quod res naturales, non naturales, præterque naturam ſpeculatur, ſicque verſat, & tractat, ut cuncta ad ſuas cauſas referat, & probabiliora diſcernat: quo ſolo diſcrimine rationalis ſecta diſtingui poteſt a vetere empirica deſtituta dialectica, ſive theoria medica. Manat, & funditur, ut ait Tullius, per omnes partes ſapientiæ dialectica; & iccirco theoria medica nihil eſt aliud, quam exercitatio dialecticæ iis in rebus, quæ pertinent ad humanum corpus, vel ſanum ſervandum, vel ægrotum vindicandum, omnes ab illo triplici fonte ſcatentes. Profeſſor rationalis ſuas partes ſuſtinet ex cognita rei natura medendo, nec alter eſt modus progrediendi ad notitiam eorum, quæ ſenſum effugiunt, nec effectu poſſunt oſtendi, quam artificium, uſuſque logicæ inſtrumenti acquirendarum ſcientiarum, quo perficitur omnis theoria. Nulla intercedere poteſt differentia inter theorias de iiſdem rebus; niſi quam parit diverſitas ingeniorum, quorum alia perſpicaciora, politioraque in ratiocinando recta pergunt alia obtuſiora, minuſque exculta oblique feruntur. At Sydenhamius, unde quidam noſtrates ſuas ideas carpendæ medicæ theoriæ hauſiſſe videntur, ſolum Hippocratem commendat exponentem aperte cujuslibet morbi phænomena, nulla hypotheſi adſcita, & in partes per vim

*Lib. 5. Tuſcu. quæſt.*

*In Præfatione.*

adducta; reliquas ſpeculationes deſpicit, quibus neotericorum volumina referciuntur, deſumptas, ut ait, ab irrito laſcivientis phantaſiæ conamine. Ergo Sydenhami tibi ſola Hippocratis arridet theoria, quam ſtatuis nihil aliud eſſe, quam exquiſitam naturæ deſcriptionem. Quibus autem in libris eam exquſite deſcribit? Allegas libros de morbis, de affectionibus, coacas prænotiones, aphoriſmos, & ſimiles, quos non nominas. Reliqui porro Hippocratis libri, quos Erotianus vocat cauſativos, & naturales, peto num ſint retinendi, an una cum poſterorum contemplationibus rejiciendi? Si rejicis, vide ne quem Romulum medicorum appellas, cum plebe confundas, deque faſtigio medicinæ, quod aſſecutum dicis, in imum deturbes. Sin autem retines, utileſque pendis, non eſt cur univerſe aliorum theorias vellices, explodaſque. Namque in eis libris multa generalia documenta tradit Hippocrates, quæ a doctiſſimis viris e ſuis ducta principiis, ex ordine propoſita, amplificataque magnam partem theoriæ ſcholarum conſtituunt, in qua, ſiquid ineſt, quod minus Tibi placeat, triticum lege, lolium relinque, neque totam reſpue meſſem ex minore quantitate lolii. Quod ſi theoriam ſolam demonſtratione ſeptam velis, egregia quidem deſideras, ſed ſupra humani ingenii aleam poſita, cui vix paucæ demonſtrationes conceſſæ ſunt. In omni arte, inquit Tullius, ſtudio, & ſcientia, vel in ipſa virtute optimum quidque rariſſimum eſt. Nemo profecto in ſe recipiet demonſtraturum tot phyſicas ſpeculationes Hippocratis congeſtas in libris naturalibus, & per alios ſparſas: nec ideo tanquam ſupervacuas deſpicatui habebit, expungetque. Sciat autem,

*Lib. 2, de Finibus.*

tem, me judice, ſe quiſque in phyſicis, & medicis tanto pauciores evidentes rationes acquiſiturum eſſe, quanto longius aberit a perquirendis probabilibus, & controverſiæ obnoxiis. At Sydenhamio diſplicent conatus laſcivientis imaginationis, quæ nihil habent commune cum praxi, de quibus, quatenus non indicavit, quænam ſint, nihil habeo dicere. Certum tamen eſt alia eſſe proxime conducibilia praxi, alia remote, alia magis neceſſaria, alia minus, quæ nihilominus medico contemplanda ſunt, modo id ſobrie fiat, utque convenit tendenti ad opus, non ſoli ſpeculatori. Vitium eſt, monitu Tullii, quod quidam nimis magnum ſtudium, multamque operam in res obſcuras, atque difficiles conferunt, eaſdemque non neceſſarias, quod gravius eſſet in medico, quam in mero ſpeculatore. Verum Tullius non omne earum rerum ſtudium reprobat, ſed prolixum, nimiumque. *Lib. 1. de officiis.*

## CAPUT XVIII.

*De uſu experientiæ apud medicos rationales.*

MUltiplex eſt uſus experientiæ apud medicos rationales, qua modo ad judicandum utuntur, & generalia documenta elicienda, modo ad acquirendum remedium, modo ejuſdem materiam; quæ majori ex parte obſervatione, uſuque reperta fuit. Frequenter profeſſor rationalis per experientiam ex effectis cauſas inveſtigat, colligitque rationes univerſales: imo Hippocrates videtur principia univerſalia medicinæ ab experimentis eruiſſe, condidiſſe præcepta; quem Varro,

Strabo, & Plinius ferunt medicinam in lucem revocaſſe poſt crematum Æſculapii templum exſcriptis remediis innumeris, quæ in tabellis templi notata invenerat. Is enim mos fuerat, liberatos morbis ſcribere in templo ejus diei quid auxiliatum eſſet. Quibus perſpicaciſſimo, quo pollebat, ingenio diu recogitatis inſtituit medicinam, quam profitemur multis rationibus univerſalibus exornatam. Haud me latet contendi non poſſe per experientiam obtineri, demonſtrari, & neceſſario concludi univerſale. Tamen fatentur omnes inde nos adjuvari ad illud cognoſcendum. Sed hæc ad philoſophos attinent, non ad medicos, nec ad meum inſtitutum. Animus eſt in præſens duntaxat oſtendere quando, & quemadmodum debeat uti medicus experientia. Itaque cum ita clare innoteſcit morbus, ut certas indicationes ſubminiſtret, quidve agendum, nihil habet experientia quod neceſſario præbeat, præter remedii materiam: ignorata vero morbi propria natura ipſum remedium, ſeu quid agendum ſuppeditare poteſt. Ut enim vidimus, duo tantum ſunt omnis inven-
*Lib. 3. Meth. cap. 1.* tionis inſtrumenta, ratio, atque experientia; ac licet profeſſor rationalis pro ſuo inſtituto ſemper per indicationes ad curationem accedat, in quo conſiſtit inventus rationis; quando tamen hic deeſt, neque propter affectionis obſcuritatem ſpecificum, propriumque indicans apparet, reliquum eſt, ut conſulat experientiam; quo reſpectu, & etiam quia ſæpiſſime ab eadem remediorum materiam ſumit, non tantum rationalis, ſed etiam empirici partes gerit, ut appoſite vocetur rationalis empiricus, ſicuti duntaxat empiricus appellatur, qui ſolius experientiæ pediſſequus eſt. Sic

Ju-

Julius Cæſar Claudinus ſuum ampliſſimum opus inſcripſit empiricam rationalem, quod per materias remediorum curationes inſtituendo empiricum agit, proponendo omnes indicationes ex natura rei petitas, rectumque uſum præſidiorum rationalis munere fungitur. In præſens exponimus modum, quo decet medicum dogmaticum adhibere medicamentum per experientiam inventum, cum ab explorata, compertaque mali natura non exhibetur. Eſt vero experientia, ut definitur a Galeno, comprehenſio, ſive memoria ejus quod ſæpius, eodemque modo viſum eſt; atque, ut placet Boetio, collectio exemplorum, quibus cognoſcimus cauſam effectus ignorata ſpeciali aptitudine inter hunc, cauſamque, ſi nobis apparet idem ab eodem in eadem rerum concurſione identidem contigiſſe. Acre tamen ingenium requiritur, quodve ratiocinio plurimum poſſit ad decernendum, an idem a ſimili ſemper cauſa profectum ſit, abſque ulla prorſus mutatione; cum exigua rerum differentia neglecta tentamentum fruſtrari poſſit, creduliſque imponere. Porro multa difficilis diſtinctionis ſunt obſervanda in morbis, multa in ipſis medicamentis. Aliæ ſunt cauſæ manifeſtæ, aliæ occultæ morborum, quos alia fortuito comitantur, alia neceſſario, quæ non ſemper eodem tempore apparent, nec ejuſdem ſunt magnitudinis; qua rerum varietate, & ambiguitate fieri poteſt, ut ſimilis videatur affectus facies, ſit eſſentia diverſa, ſitque compoſitus affectus, qui ſimplex videtur, vel ex oppoſito: & idcirco nos admonuit Hippocrates, magna uti oportere navitate in contemplandis ægrotantibus, ne rerum varietate, & multiplicitate

*De ſectis*

fal-

fallamur. *Sunt autem*, inquit, *aſpectus multi ægrotantium. Quare animadvertendum eſt medico, ne aliqua manifeſta cauſa ipſum lateat, neque ulla earum, quæ per ſyllogiſmum agnoſcuntur, neque quæcunque ad numerum parem, aut imparem apparere oportet*. Medicamenta vero interdum agunt in morbum acquiſita ex accidenti qualitate, non ingenita, ingenitaque non qualibet occaſione agunt. Quædam illorum ſubito virtutem ſuam expromunt, alia tardius, de quorum effectu difficile judicatur, præſertim quando clarus, evidenſque non eſt ad ſentiendum; aliaque multa incidunt facilem occaſionem erroris prætendentia, & potiſſimum iis, qui parum expendunt quod amant, optantque, quodve commendat præſumptam opinionem. Liceat mihi paulum immutare, atque ad experimenta transferre, quæ dixit Tullius de cauſis, hoc eſt plura multo homines judicare aut cupiditate, aut ſpe, aut errore, aut aliqua mentis permotione, quam diligenti veritatis inveſtigatione, & conſecutione. Atque ex hoc fonte non in ſolam rem medicam, ſed in omnem, quæ pendet ab humano judicio, tot abſurda fluxere. Pluribus itaque de cauſis evenit, ut ſæpenumero aberretur a vero in experimentis, atque indicetur in vulgus tanquam experientia comprobatum remedium, quod vel alium a credito morbum fugavit, vel adventitia virtute, vel ſponte diſceſſurum: & licet Avicenna multas proponat regulas ad nanciſcendum auxilium periclitatione, ſæpe tamen difficile judicium eſt, etiam præparatis ad recte judicandum, omniaque accurate perpendentibus. Quocirca oblata occaſione uſurpandi empirica remedia, ſi quis uſu longo explorata non habuerit, ſed

*Lib. 4. Acut.*

*Lib. 2. de Oratore.*

*Lib. 2. tract. 1. cap. 2.*

ab

ab aliis debeat accipere, opus eſt, ut eligat quæcunque non ſemel, iterum, & tertio, ſed ſæpius intento animo obſervata ſunt, atque ab induſtriis ſinceriſque viris, qui tulerint ætatem. Occaſio vero horum auxiliorum, ut ſupra diximus, eſt occulta ægrotationis natura, quæ alias contigerit, neque denotans ſuccurrendi rationem. Itaque ſi per ſymptomatum concurſum alicuius morbi præſentia ſignificetur, eſſentia, & cauſa index remedii occultetur, ſuppetias experientia venit. Nec enim poteſt eſſe aſſertio, idem in eodem morbo ab eodem remedio pluries accidiſſe, niſi per ſymptomata innoteſcat, conſtet eundem vere morbum fuiſſe. Ejuſmodi eſt epilepſia, quæ adeſſe manifeſtis ſignis declaratur, cauſa medullitus nondum eſt inſpecta, crediturque a clariſſimis viris venenum intus genitum, ſe ſeque ex intervallis effundens. In eodem numero ſunt uteri ſtrangulatus, aliaque accidentia hiſterica, mira, varia, & ab Hippocrate judicata incomprehenſibilia, præterea lues venerea, elephantiaſis, peſtilens febris, carbunculus, ſphacelus, omneſque morbi geniti ab veneno vel hauſto, vel ictu, morſuque communicato, quorum omnium propriæ cauſæ deliteſcunt, & humano corpori, ſi placet loqui cum Fernelio, tota ſpecie vim inferunt, non ſolum temperamentum immutando, ſed ipſam corrumpendo ſubſtantiam, contra quas inventa ſunt remedia ſimilis actionis, ſcilicet abs tota ſubſtantia proficiſcentis, quæ ſpecifica, & ſecreta vocantur, quod eorum effectum admiramur, certam rationem reddere non poſſumus, neque aſſignare contrarietatem, qua morbum expugnant, quemadmodum aſſignamus in remediis, quæ opponimus morbis

*De Morbis Virginum.*

*Lib. 2. de Abditis re. cauſis.*

cali-

calidis, vel frigidis, vel alterius notæ qualitatis. *Mirari licet*, inquit Tullius, *quæ ſint animadverſa a medicis herbarum genera, quæ radicum ad morſus beſtiarum, ad oculorum morbos, ad vulnera, quorum vim, atque naturam ratio nunquam explicavit, utilitate ars eſt, & inventor probatus.* Sic etiam Galenus præceptorem ſuum Pelopem vellicat, quod reddere vellet rationem, ob quam cinis cancrorum fluviatilium demorſis a cane rabido ſubſidio ſit. Verum enim vero Robertus Boyle conatus eſt vim ſpecifici remedii exponere convenienter ad phyſicam Epicuri, ut ait, corpuſcularem philoſophiam, ſexque modos præcipuos agendi producit, aſſerens ſpecifica prodeſſe vel reſolutione, atque expulſione noxiarum particularum per communes corporis ductus, poroſque cutis; vel earum correctione, atque impeditione pravi effectus: vel ſeparatione, & peſſum itione ſonticæ materiæ: vel corde roborato: aut ſanguine ita diſpoſito, ut natura evadat par hoſti ſuperando: aut nova facta miſtione facilioris expulſionis cauſæ morbificæ cum particulis remedii: quos tamen modos non contendit eſſe veros, & genuinos, ſolum poſſibiles exiſtimat. Qua ſpeculatione Boyle nihilo nos ſcientiores reddit virtutis ſpecificorum, inter quæ, phyſicamque Epicuri nulla prorſum eſt diſcordia, quæ duntaxat intereſt inter Epicurum, eoſque phyſicos, qui affingunt compoſitis, miſtiſque nudas, ſimpliceſque qualitates a materia diſtinctas; quibus in præſens medici vale dixerunt, nec utuntur ad declarandam medicaminum efficientiam, ſed affectionibus mechanicis, quibus pariter attribuunt vim ſpecificorum: quam quidem ſi loqui ſincere velimus, æqualiter ignoramus,

*Lib. I. de divinat.*

*De Simplici medicina.*

*In tractatu de ſpecificorum remediorum concordia cum corpuſculari philoſophia.*

mus, ſive cum pluribus Antiquis e forma, & ſubſtantia rei derivemus, ſive cum Recentioribus ex affectionibus mechanicis, qui nequimus id mechanicum circumſcribere, ac determinare in quo poſita eſt. Non defuerunt tamen ex Antiquis, qui abditas rerum potentias ad numerum, ſitum, figuram, magnitudinem ſubſtantiæ corporeæ, quam nos materiam appellamus, retulerunt, non ad reconditam totius ſubſtantiæ proprietatem, ut eſt videre apud Sanctorium, qui Hieronymo Cardano obtrudit lapillum Pontificis Clementis ſeptimi, in cujus ſuperficie erat nævus, ſive macula, quæ ſpatio viginti quatuor horarum in orbem ſolem imitata movebatur. Cardanus ignarus artificii eum motum lapilli proprietati aſcripſit, cujus cauſa erat ſpira chalibea in cavitate affabre collocata, & operculo tecta. Concludit igitur Sanctorius contra Cardanum, & Fernelium artificio numeri, ſitus, magnitudinis, & figuræ ea fieri poſſe, quæ ſubſtantiæ proprietati aſſignabant. Quid Ariſtotelicus aptius excogitare poterat ad phyſicam Epicuri, quidve deſiderare Boyle pro ejuſdem concordia cum ſpecificis remediis? Quæcunque vero ſit eorum cauſa, nomine ſpecifici intelligo, quod particularibus morbis repugnat, nullamque perſpicuam perhibet repugnantiæ rationem, neque materies eſt indicati. Exiſtunt in re medica multa, quæ obſcura facultate quoſdam evidentes effectus præſtant, & nihilominus materies indicati ſunt, veluti purgantia, quorum vim neſcimus, in quo vere conſiſtit, efficientiam aſpicimus; ideoque quotieſcunque tenemus indicationem purgandi noxii ſucci, purgantia ſubjiciuntur indicato, de quibus modo non loqui-

*De Meth. vitand. erro. lib. 8. cap. 9. & 10.*

Ee mur,

mur, ſed tantum de iis, quæ ſub indicato non continentur, atque experimenta caſu favente invenerunt, quem Plinius numeroſiorem magiſtrum ipſa natura vocat, & tanquam Deum plurimarum rerum inventorem adorat. Ariſtolochia, quæ morſibus ſerpentum medetur, teſtimonio Tullii, nomen ex inventore repe- *Lib. 1. de Divina.* rit, rem ipſam inventor ex ſomnio. Corticem peruvianum, in quem plures medici in præſentiarum magnam medicinæ partem contraxerunt, quid nobis obtulit niſi caſus, ut aliqui narrant? Quidam religioſus e ſocietate Jeſu in mari americano navigans cum febris invadentis frigore premeretur, omni deſtitutus remedio, nautæque tranſituri algidum tractum ſeſe adverſus frigus eo cortice munirent, ſuaſu ſociorum periclitandæ fortunæ cauſa eundem accepit, febremque depulit, renovaturque in dies cum pari ſucceſſu experimentum, quo plus nobis contulit india, quam argenti, aurique copia, qua vitia hominum aluntur, angores valetudinis non minuuntur. Quidam tamen aſſerunt eum corticem fuiſſe Peruvianis antiquiſſimum remedium pro quartanis febribus in ea regione frequentiſſimis, & ſolum eſſe traductum ab Europeis ad tertianas. Quæcumque porro fuerit tanti remedii origo, multa certe caſus detexit, & multa quoque obſcura conjectura, & quædam animi concitatione tentandi gratia in uſum vocata deſiderio reſponderunt; eodemque modo exiſtimo theriacen in plura venena efficacem tot, tamque diverſis rebus temperatam eſſe, atque compoſitam; quam proinde Avicenna non perſpicacitati humanæ aſcribit, ſed proxime inſpirationi divinæ, vel rei inſpirationi ſimili; ſicuti Plinius perſua-

*De Viribus Cordis, cap. 4.*

*Lib. 37.*

ſum

ſum habet numinum munus fuiſſe inventionem, vim invictam adamantis, ignis, ferrique contemptricem hircino ſanguine calido, recentique maceratam ſuperari, frangique; experimentum, ut ait, immenſi ſecreti. Itaque morbi natura nullum patefaciente contrarium ſupereſt medico rationali experientiæ auxilium, uſuſque ſpecificorum non tamen empiricorum more, ſed ut decet Hippocratis, & Galeni ſucceſſorem. Empirici ſubtiliore cauſarum indagine prætermiſſa in cujuſque ægritudinis curatione magna remediorum ſilva comparata, quodlibet nullo delectu adhibebant. Id ſi forte parum profuiſſet, continuo ad alterius opem confugiebant, dum morbus vel caſu, vel naturæ potius beneficio ſaneſceret, quam remedio, poſtremo adhibitum totius curationis cauſam fuiſſe perſuaſi. Longe tamen ab hiſce veſtigiis incedat medicus dogmaticus oportet vel morbum experientiæ ſubſidio curaturus, cujus munus eſt neque ſine delectu, neque inconſiderate facta mutatione, ac ſine ulla corporis præparatione latentis qualitatis contraria adminiſtrare. Multa proponuntur ſpecifica ad comitialem affectum, cuius medelam ſuſcipiens ſubito non præſcribet experta pharmaca inſtar Empirici, ſine diligenti conſideratione, utrum ille ex conſenſu totius corporis, an vitio partium oriatur; neque negliget cauſas, quæ malum aliqua ratione fovere poſſunt, cujuſmodi ſunt ſanguinis craſſities, pravorum humorum colluvio, viſcerum obſtructiones, idque genus alia. Interdum in morbis ea cauſarum eſt multiplicitas, nexuſque, ut aliæ manifeſtæ ſint, evidenteſque, obſcuriores aliæ, ſed ab evidentibus motæ, altæque, quæ prius amovendæ

ſunt, recteque corpus præparandum, deinde porrigenda remedia, quæ ſuggerit experientia, nihil utilius oſtendente ratione. Nonne ipſa manifeſta remedia porrecta ante corporis præparationem ſæpe ſpoliantur effectu, ad quem apta, nataque ſunt? Idem igitur evenire poteſt de ſecreta dote ſpecificorum, ſi ſimili incuria propinentur. Quodvis remedium ut ſuam vim efferat, diffundatque, opem naturæ requirit, vias expeditas, parteſque recepturas probe diſpoſitas. Niſi hæc concurrant, timendum eſt, ne vel impediatur effectus, vel minuatur, vel depravetur, uti accideret, ſi quis præberet arcanum crudo ventriculo, aut alio pravo humore onerato, & inquinato. *Syncerum eſt* *1. Theſſit. cap. 1.* *niſi vas, quodcunque infundis, aceſcit*. Audi quid requirat Avenzoar, ut prodeſſe poſſint ſpecifica. Qui theriacam, inquit, vel ſmaragdum ſumpſerit, non recipiat cibum niſi poſt ſeptem horas, & non exhibeatur cibo in ſtomacho exiſtente. Porro inter arcana exiſtunt alia, quæ præter ſecretam virtutem, ſolaque periclitatione compertam manifeſtas habent qualitates ordine non remiſſo, aptoque ad corpus non leviter alterandum, propterea congruentia ægrotantibus mutatione primarum qualitatum indigentibus. Unde oritur cauſa delectus, & adhibendæ methodi etiam in medicamentis empiricis, atque ſpecificis. Sat notum, quantum decantetur a Galeno pæonia nomine maſculi *De Occult. Natur. mirac. Lib. 2. cap. 3.* deſignata, cujus ſemen nigricans, & orbiculatum Levinus Lemnius præſtantiſſimum judicat adverſus plures cerebri affectus, atque non ſolum abdita facultate, ſed qualitate elementari, caliditate, & ſiccitate; quod proinde videtur accommodatius temperaturis pitui-

tuitoſis, puerisque, quorum cerebrum humidius petit exſiccari, hincque docemur, quibus ægrotantibus parcius, quibus uberius ſemen illud præbendum ſit. Alces item animal galliæ tranſalpinæ aſſimile, ut placet Levino Lemnio, Rupicapreis, quibus Judæis veſci fas erat, ſufficit celebre ad epilepſiam remedium, & quaſi alexipharmacum propriam ungulam, in qua nulla qualitas inſignis apparet oppoſita illis, quæ morbum alere poſſunt, nec altera, quæ poſſit importare noxam etiam debilioribus corporibus; quam propterea licet in omnibus experiri, iiſque ſpeciatim, in quibus nullam ex notis qualitatibus alterandam eſſe cognoſcimus; uti ſi comitialem pateretur, qui totius corporis temperatura, habituque bonitatem ſuccorum præſeferret. Plurimorum ſententia contra venena, & febres peſtilentes egregie pollent ſcordium, dictamnum, gentiana, veronica, theriacen, mithridatium, terra lemnia, bolus armena, ut alia plura omittam; eaque magis ex peculiari proprietate, ſive inexplicabili virtute, quam ex manifeſtis qualitatibus vim ſuam mutuantur; quæ tamen ſine delectu, & methodo adminiſtranda non ſunt. Vide, quæſo, quantum interſit inter bolum armenam, & theriacen, febris peſtiferæ antidotos. Illa frigida cenſetur ordine ſecundo, theriacen inſignem habet caliditatem. Quocirca qui alterutram diverſis naturis eadem febri peſtilenti vexatis indiſcriminatim exporrigeret, ab via certe rationali aberraret, neque Galenum imitaretur, qui theriacam vehementis caliditatis, & actionis omnibus laborantibus ſine exceptione minime præbet. Ejus igitur uſum cum Galeno timerem in pueris, temperaturis calidioribus,

ribus, bilioſiſque ſuccis redundantibus, & maxime æſtivo tempore, aut ea præbita caliditatem vehementem temperarem ſubinde propinata aqua borraginis, vel cichorii. Contra hiſce ægrotantibus omnino utilis ſecuraque foret bolus armena fortis ad hebetandum virus febrile clandeſtina virtute, atque ingenita frigiditate aliis indicantibus accommodata. Exploranda inſuper in uſu omnis ſpecifici, & in quocunque ægrotante propenſio, atque concitatio naturæ ad fomitem febrilem per certam viam exterminandum, eligendaque ex multis ſecreta vel monſtratam, aut inchoatam vacuationem adjutura, vel minime impeditura aliqua ex notis qualitatibus. Reliqua circumſpice ſpecifica ad alios morbos, ac ſi diligenter attendes, pro diverſitate ægrotantium, & accidentium cauſam electionis comperies, & rationalis adminiſtrationis; ad quam etiam pertinet, ut obſerves, *quo morbi tempore ea ſint adhibenda, pleno, an vacuo ventriculo, unica, an pluribus vicibus, quove intervallo, eorumque effecta; quibus naviter animadverſis longe felicius uteris experientiæ auxiliis, quam purus empiricus. Sat conſtat ex epiſtola Joannis Cratonis trium Imperatorum archiatri, in quos ſcopulos Paracelſus inciderit, imo ſuos ægrotos impegerit, quem ferunt dicere ſolitum, ſe ſuos ægrotos pleno ventre curare, eaque neglexiſſe, quæ ſectatores Galeni religioni habent; a quibus etiam in præſens multos deſciſcere judico in uſu corticis peruviani, cujus efficacia in pluribus febribus abunde comprobata eſt, non ſatis ratio efficaciæ. Empiricum igitur remedium eſt, purumque empiricum agit, qui nulla facta temporum morbi diſtinctione, nulla conſideratione

quan-

quantitatis, & qualitatis noxiæ materiæ, nulla expectata ejuſdem correctione, nulla corporis præparatione præmiſſa in omnium febrium cum frigore, & horrore adorientium medicationem ad indicum pulverem confugit, in eoque iterato conquieſcit. Contra ſuſtinet rationalis officium, qui ejuſdem remedii uſum ex eorum omnium ſolerti obſervatione, quæ vidimus ab altero retro poni, moderatur: ſine quo regimine, quod idoneum erat reprimendæ febri, extinguendæque, vel hanc contumaciorem reddit, vel alios infligit affectus diuturnitate, vel periculo graviores. Quamquam igitur remedium ab experientia petitur, ejus tamen conveniens adminiſtratio methodo ſubeſt: atque ex iis, quæ adnotata ſunt de recto uſu corticis peruviani, ſtatuere licet quid requiritur ad ſimilia experientiæ medicamina fructuoſius uſurpanda. Sin autem Galenus facultates, quæ totius ſubſtantiæ proprietate fiunt, non ſemel dixit a ratione, methodoque alienas eſſe; id dictum intellige, quantum ad earum inventionem, non adminiſtrationem pertinet. Nec enim per indicationem mihi apparet eſſe uſurpanda ſpecifica, & ſingulari quaſi privilegio ornata remedia, quemadmodum cognoſco refrigerandum eſſe, vel humectandum, vel aliam notam qualitatem excitandam: ex qua notitia deinde auxilii materiam colligo ab exploratis ſtirpium, herbarum, aliarumque rerum facultatibus. Uſum tamen arcanorum ratio temperare poteſt, ac niſi ſtatim ac ab experientia prodita ſunt, certe poſt repetitas periclitationes, & logica ſtatera perpenſas; quo præſidio carentes, ut ſcienter Galenus, aut iis fide præſtita, quæ ſine demonſtratione enuntiata ſunt, aut vitioſis de- *Lib. 2. Meth. cap. 6.*

mon-

monſtrationibus decepti non ſolum nihil boni excogitant, ſed etiam quæ per experientiam ſunt cognita, corrumpunt. Fas iterum mihi memorare de quinquinna. Cum cœpta eſt in febribus intermittentibus tentari, & antequam conſtaret per eam multo difficilius fugari quartanam tertiana, & hanc non ſemper exitu æquali, ſed fugatam ſæpe reverti, aliquando in longiores morbos permutari, aliaque accidere pro ægrotantium diverſitate, ratio nihil certi, compertique habebat, quo in diverſis ægrotis veram, ſecuramque illius uſurpandæ occaſionem nancisceretur: quam tamen in præſentia facile reperiet, ſi præterita experimenta ponderet, totque diverſorum effectuum cauſas perſcrutetur; eandemque ſecuritatem obtinebit in aliis ſpecificis adminiſtrandis, ſi pluries, atque in naturis diſſimilibus experta fuerint. Hinc animadvertendum occurrit, auxilia per experientiam reperta frequentius eſſe ſubſidio poſſe in unico morbo, quam pluribus complicatis, in quibus conſilio deliberandum eſt, cui prius vincendo danda ſit opera, eligendumque remedium, quod uni proſpiciat, alterum non augeat, imo ſi fieri poſſit, mitiget. Peculiares enim morborum complicationes rariores ſunt, quam ut poſſint demonſtrare ſecuritatem empirici medicaminis pro varietate accidentium, ſicuti demonſtratur in ſolitariis ægrotationibus, quæ frequentiores ſunt complicatis, & obſervatu facilioribus.

Non ſolum in morbis aliqua ratione obſcuris, & penetratu difficilibus offertur medico rationali opportunitas adhibendi medicamenti empirici, ſpecificique, ſed etiam in manifeſtis, nilque admirandi præſeferentibus, ad majorem medicationis ubertatem, aut celeri-

tatem.

tatem. Quædam exiſtunt ſpecifica, in quibus nihil apparet oppoſitum indicationibus ſuppeditatis a cognitione morbi, quibus licet uti, dummodo non prætermittantur indicata. Angina ſimplex eſt, & manifeſta inflammatio, cujus medelam ſuggerit perſpecta ejuſdem natura; in qua tamen licet in uſum revocare, quæ recondita dote parti affectæ ex repetitis experimentis idonea creduntur, cujuſmodi ſunt cinis uſtarum hirundinum, albique canis ſtercus, quæ poterunt immiſceri aliis reſolventibus exterius admovendis. Similiter in aſthmate vulpeculæ pulmones uſurpabo, in anthrace ſapphirum, in colico dolore cingulum e lupi inteſtino, in ſanguinis profluxu ſelenitem, aut lapidem in capite carpionum repertum, aliaque hujuſmodi in aliis morbis; quibus tamen ſolis non confidam ſed adminiſtrabo indicata a cauſis comprehenſis, & eſſentia ægritudinis; iiſque primas tribuam, præſertim in morbo evacuationem aliquam flagitante. In manifeſtis ægrotationibus communia remedia ſatisfaciunt indigentiæ, ſpecifica reddunt uberiorem artem, eaque ſolum neceſſaria ſunt, quæ materiam indicati continent; cum poſſit idem evidenti qualitate, & abſtruſa proprietate malis adverſa ditari. Rarum autem eſt, ut ſpecifica ſuppleant vim communium medicaminum ea felicitate, qua videmus aliquando ſuppleri, imo ſuperari a pulvere indico, ideoque etiam in affectibus aliunde ſanabilibus frequenter adhibetur ad feſtinandam curationem.

# CAPUT XIX.

## *De uſu Analogiſmi apud medicos rationales.*

DUo tantum eſſe inventionis inſtrumenta, rationem, atque experientiam præter Galeni aliorumque auctoritatem, res ipſa præclare oſtendit. Analogiſmus igitur ab Empiricis, & Rationalibus tanquam inſtrumentum curationum uſurpatus ad rationem, vel experientiam referatur oportet. Neque putandum eſt Galenum affirmantem tres eſſe curationum modos, indicationem, experientiam, & analogiſmum, hunc quaſi tertium inventionis inſtrumentum conſtituiſſe diſtinctum a ratione, atque experientia. Eſt analogiſmus, eodem auctore, comparatio, & perceptio cauſarum juvantium per ſimilitudinem, ſive tranſitum ad ſimilia, quem ad rationem ſpectare exiſtimo, ejuſque modum peculiarem eſſe, non experientiæ, uti placet Henriquez de Villacorta; quippe quo utentes proxime ab experientia non ſuadentur, ſed probabili ratione conſecuta ad comparationem duorum, quorum unum altero notius eſt. Unde Sanctorius probat analogiſmum dogmaticorum eſſe valde ſimilem indicationi, Empiricorum eſſe paralogiſmum ratione materiæ, formæque. Brevius dicas Dogmaticos uti recte analogiſmo, Empiricos abuti prætermiſſo accurato examine eorum, quæ faciunt ad deprehendendam ſimilitudinem probabilitatem argumentationis allaturam. Itaque analogiſmus, ut inſtrumentum curationis, eſt acquiſitio auxilii ex cognitione nocentis habita per ſimilitudinem,

*De optima ſecta ad Thraſib.*

*De Nat. Medic. cap. 4.*

*Lib. 12. Meth. vitand. erro. cap. 2. & 3.*

nem, in quo cognitionum complexu ſimilitudo ſuſtinet vices indicantis patefaciens aliqua ratione naturam nocentis. Sic enim ratiocinatur utens analogiſmo. Quod unum ſimilium curat, & aliud curat, ſcilicet propter ſimilitudinem cauſæ; ſed exempli gratia, remedium aſtringens curat unum ſimilium. Ergo pariter aliud curat. Quod ratiocinium ſequitur ad collationem factam inter duo, quorum unum cognitum, & curatum eſt, alterum ignotum, nec antea curatum, & duntaxat per collationem proferentem ſimilitudinem quadantenus deſignatum. Aſſequimur igitur remedium analogiſmo ex nocente cognito per ſolam cognationem, ſicut in indicatione per ſpecificam, propriamque naturam.

Trifariam fit analogiſmus, ut tria ſunt, abs quibus fit translatio remedii per ſimilitudinem, ſcilicet affectus, partes affectæ, materies remediorum. Interdum transfertur a morbo ad morbum, quemadmodum ab ereſipelate ad herpetem, a dolore colico ad nephriticum, abs tertiana febre ad quartanam: interdum a loco ad locum, uti a brachio ad femur, ab capite ad ventriculum: nonnunquam a remedio cognito ad ſimile, veluti cum ab cotoneo malo in diarrhea ad uſum meſpilli, vel alterius conſtringentis devenimus. Potiſſima omnium translatio, quæque majore indiget artificio eſt prima, quæ fit ejuſdem remedii ad diverſos morbos ſpectata ſymptomatum aliqua cognatione. Hujus peragendæ occaſio præcipua eſt exortus novi morbi, incognitique. Quemadmodum enim aeris mutationes ex variis primordiorum copulationibus factæ, aliarumque rerum non naturalium vices quoſdam morbos aboluerunt, in-

Lib.26. Nat.hiſt. ter quos teſte Plinio, gemurſam inter pedum digitos naſcentem; ſic novos quoſdam invexerunt, aut ſaltem perdiu occultatos extulerunt, uti elephantiaſim, lichenem, gallicam luem, canente Fracaſtorio:

Lib. 2. Syph.

*Sic elephas ſacer auſoniis incognitus oris,*
*Sic lichen latuere diu*
*De genere hoc eſt dira lues.*

adverſus quæ recens orta nihil ſat meditati, certique habet in promptu ratio, nihil experimentum habere poteſt, acciditque quod ait Plinius, ut tot medicinæ contra mala excogitatæ novitatibus vincantur:

Lib. 7. Natur. Hiſt. in proœmio.

*Quippe nova cum ſe attoniti multa irrita primum*
*Tentaſſent* cecinit Fracaſtorius de morbo celtico. Idem contigit, cum ſævire cępit ſudor anglicus, qui novitate magis, quam veneno tot edidit interneciones. In hiſce anguſtiis unde nam quæremus perfugium? Nil ſane ab experientia ſperandum eſt, quæ nulla ſuppetit in rebus novis, neque remedia in veteribus ægrotationibus experta adminiſtrari poſſunt novis, niſi prius deprehendatur, quam hæ ſimilitudinem habeant, atque cognationem cum veteribus. Cum igitur erumpunt novi morbi ita obſcuri, reconditique, ut earum cauſa detegi nequeat etiam ab exercitatis ingeniis, ex obſervatione concurrentium ſymptomatum indagandum eſt, ad quam ſpeciem ex cognitis revocari aliqua ratione queat, atque ex deprehenſa affinitate inſtituenda curatio, cujus inventio opus eſt analogiſmi. Simili modo reperta fuit curatio luis venereæ, ſcilicet ex hujus ſimilitudine cum fœda ſcabie indicante uſum hydrargyri prius uſurpatæ, ut luculenter habemus apud Arnaldum de Villanova, ad contumacem, ulceroſam-

Breviar. Lib. 2. cap. 43.

ſamque ſcabiem expugnandam. Alias pariter attulit curationes analogiſmus, ac plurium ferax eſt, dummodo rite adhibeatur, non more Empiricorum, qui confuſe ſymptomatum concurſum obſervantes, neque accidentia utilia ab inutilibus, communia a propriis ſeparabant, neque ſimilia ſyllogiſmo, ſed ſenſu ſolo explorabant, judicabantque: unde ſumpſit argumenta Galenus ad eos inſectandos, refellendoſque. Itaque opportunus uſus analogiſmi ad dignoſcendam, ſtatuendamque inter morbos ſimilitudinem eſt, ut quæ ſenſibus apparent, ſolerter ponderentur, & ſingula ad ſuas cauſas referantur; quo pacto omnis ſymptomatum confuſio ad imponendum apta evitabitur. In hunc finem Galenus ſecernit utilia ſymptomata, ab inutilibus, utiliaque judicat, quæ virtutis ſunt, cauſarum, & locorum affectorum; inutilia, quæ ſunt patientis. Omnia certe ſymptomata patientis ſunt; at ſolum tanquam patientis conſiderata, neque ad ſuas cauſas revocata nequeunt exhibere ſimilitudinem pro recte analogiſmo conficiendo: quatenus eadem ſymptomata, ut ſenſui repræſentantur, interdum diverſis cauſis oriuntur, interdum diverſa ab eiſdem. Quis neſciat ſputum ſanguinis alias fieri propter eroſa vaſa pulmonum ab acrimonia contentorum; alias propter impetum, & copiam rupta; alias a tenuitate penetrata? Quis neſciat urinam ſupprimi poſſe a materia viſcoſa, diſtenſione, calculo, inflammatione? Contra certum eſt tetanum, emproſtotonum, opiſtotonum eſſe ſymptomata diverſa; tamen omnium eſſe unam naturam, cauſamque, convulſionem. Quemadmodum igitur erraret, qui opiſtotonum diffideret ſe curare poſſe

*De opt. ſec. ad Thraſib. cap. 18.*

poſſe remediis emproſtotoni ignorata diverſitatis ratione; item in graviorem errorem incideret, qui confideret ſe poſſe manantem e pulmonibus ſanguinem compeſcere, ſuppreſſamque urinam provocare, non immutato remedio pro diverſitate cauſarum, vel ſanguinem incitantium, vel urinam ſupprimentium. Huc adde, quod idem morbus non eadem parit ſymptomata, ſi occupet partem exquiſiti ſenſus, & publici muneris, ac ſi alteram hebetem, nec reliquis operantem; ſi frigidam corporis conſtitutionem, ac ſi calidam, uti obſervamus de podagra, quæ in naturis impenſe calidis, vehementem dolorem, febremque parit, minime in frigidioribus. Sicuti ſtirpes herbæque variant propter ſoli diverſitatem; ita morbi, & ſymptomata ex diverſis naturis totius, & partium. Fraudolenta igitur eſt ſimilitudo, vel diſſimilitudo apparentium ſymptomatum, niſi quod ſenſibus offertur, mente perveſtigetur, & unde ducit initium, & augmentum perquiratur. Quocirca Empiricis, quos Galenus redarguit tanquam faſtidioſos laboris in perſcrutandis cauſis ſymptomatum, ſecernendiſque utilibus ab inutilibus, analogiſmus ſæpe eſt inſtrumentum aſperandæ ægrotationis, non leniendæ. Ac niſi quis hiſce omnibus internoſcendis aſſueſcat, in occurſu novarum ægritudinum non poterit elicere ex cognitis cognationem cum novis probabile remedium ſuppeditantem. Verum aſſuetus hæc omnia attente obſervare, ſcienterque diſcernere, qualem ſimilitudinem deſiderare debebit inter cognitos, ignotoſque morbos, ut ex aliis ad alios, pro dignitate medici rationalis, auxilium traducat? Illud quidem certum eſt, neque omnium

ſym-

ſymptomatum ſimilitudinem, neque perfectam requiri, quæ præſumi animo nequit inter duos affectus diverſos, & maxime cum alter pro manifeſto habetur; alter pro recondito. Sufficit eam reperiri inter quædam ex præcipuis ſymptomatis ſub eodem genere contentis, ejuſque conditionis eſſe, ut quantum licet, ad naturam ſpecificam accedat; quamvis ſubeſſet differentia ratione majoris, vel minoris, vel alio nomine. Quod autem dicimus de puris ſymptomatis, intelligendum eſt de aliis præter naturam affectibus, qui ſub aſpectum, ſenſumque cadere poſſunt, & a quibus movemur, dirigimurque ad res occultas perſcrutandas comparationis faciendæ gratia. Reliquum eſt ut ſuperiora exemplis illuſtremus. Principio copioſiorem, & ſæviorem habebat comitatum celtica contagio, quam fœda, & contumax ſcabies, ſed in utraque puſtulæ, cutiſque ulceratio conſtituerunt cognationem indicem ejuſdem medicaminis. Ac ſane puſtulæ, ſub eodem affectionis genere comprehenduntur, ſimiliterque ulcera, quod genus aliquatenus limitat pars affecta cutis. In utroque pariter affectu erat pertinacia, & magna moleſtia validum remedium expoſcentes; ideoque facta obſervatione vires eſſe eidem ferendo pares, ad uſum deventum eſt. Interdum quoque morbus eſt ſimilis alterius ex cauſa, & ſymptomatis; alias ex ſola cauſa: ex cujus tamen ſimilitudine ſola licet transferre remedium; uti ſcimus translatum ab morbo venereo ad paraliſim, quorum ſymptomata maxime inter ſe differunt; ac nihilominus Vvilliſius, Junchenius, aliique conſiderata generica ſimilitudine cauſæ, hoc eſt, craſſitudine, atque lentore humoris longas, difficileſque curatu affectiones efficien-

cientis nil deterriti a diverſitate ſymptomatum inſtabile argentum in paraliſi periclitari non dubitarunt. Aliis quoque pluribus morbis per eandem ſimilitudinem adhibitum eſt idem remedium, veluti lepræ incipienti, iſchiadi non gallicæ, arthritidi, & podagræ a materia craſſa, amauroſi, aliiſque ortis ex liquanda denſitate humoris. Magnum in hiſce morbis rerum diſcrimen; nec omnium unica, ſimplexque cauſa eſſe poteſt humorum craſſities, ſed hæc cum aliis qualitatibus conjuncta, inque partes diverſas propulſa. Cur igitur idem remedium in omnibus aliquando profuit, comprobavitque analogiſmum? Nimirum curatio per hydrargyrum facta non pendet ex peculiari contrarietate inter illam, certamque materiem, ſed ex vi communi diſſolvendi, liquandique in ſalivam craſſos humores, licet aliis qualitatibus imbuti ſint, quibus in gallico varie corpus exercent, & aliquando oſſa exedunt, in paraliſi nervos obſtruunt, in lepra cutem aſperant, ſquamiſque defœdant, in arthritide articulorum vincula, membranas, aut tendones implent, diſtenduntque. Quocirca per comparationem morborum medelam venaturus ſciat ſe frequentius ſcopum aſſecuturum, ſi queat obtinere remedium communi virtute præditum, quam ſingulari. Præter morbi novitatem, quam ſanximus præcipuam ex occaſionibis utendi analogiſmo, alia occurrunt ejuſdem uſum ſuadentia, uti pertinacia ægritudinis, difficultas curationis, qua vidimus in morbis indicatis, licet antiqui forent, atque in certam ſpeciem conjecti, poſtulatas eſſe ſuppetias ab hydrargyro. Ut autem quiſque in medicina facienda diligentius obſervaverit quam habeant inter ſe morbi ſimilitudinem.

nem, paratior erit aliquo commodo propoſito ad remedia per eandem comparanda.

Ad deſcriptum analogiſmi modum non ſolum attinet translatio remedii a morbo ad morbum, ſed etiam ab alteratione naturali ad præter naturam. Voco alterationem naturalem, quæ producitur ab cauſa externa, nec habet permanentem cauſam internam, cujuſmodi eſt alteratio facta a frigore, vel calore externo ambientis aeris, vel alia ſimili cauſa; qua ratione inventum eſt, ut ab aliquibus narratur, celebratiſſimum remedium quinquinna, cujus adminiſtrandæ in febribus cum frigore invadentibus occaſio capta eſt a frigore externo, abs quo, ut vidimus, ſe ſe eodem præſidio tuentur nautæ peruviani frigidum maris ſpatium prætergreſſuri.

Secundus analogiſmi modus poſitus in translatione remedii de loco ad locum facilior eſt, frequentiorque. Quod enim ingenitam vim habet calefaciendi, vel refrigerandi, conſtringendi, vel laxandi, vel alias ſimiles qualitates excitandi in certis partibus, idem poteſt efficere in omnibus; dummodo cætera conveniant: & idcirco quædam cautiones adhibendæ ſunt, & primum ſervandus ſitus partium, neque temere tranſeundum ab externis ad internas, vel ex oppoſito, cum propter diverſitatem externi, internique idem diverſa moliatur, uti de vino notat Plinius, quod hauſtum vim habet *Lib. 14. Nat. hiſt.* calore viſcera accendendi, foris infuſum refrigerandi. *cap. 5.* Aqua, quæ bibitur ad reſtinguendum viſcerum æſtum, utitur Hippocrates in partibus externis ad revocan- *Sec. 5. Aphor. 21.* dum calorem, eaque frigida perfundit diſtenta membra ſine ulcere in juvene bene carnoſo, & media æſtate.

Credunt aliqui ſcammonium, & alia quædam vehementiora purgantia bilis foris admota dyſenteriam perſanare, quam augerent intus accepta, aliaque multa hujuſmodi extant diſſimiliter in partes internas, externaſque agentia. Alia per ſe ſe medicamentum efficit, alia ex accidenti, ejuſque actionem patiens, cauſæque concurrentes immutant. Cum igitur partibus exterioribus admotum habeat rerum comitatum valde diverſum ab eo, quod ingeritur, mirum non eſt, ab eodem propter hanc diverſitatem diſſimiles effectus prodire. Præterea cum tanta ſit partium diverſitas propter ſtructuram, vel ſenſum, aut miniſterium, quod certæ parti profuiſſe conſtat, inconſiderate omnibus adponendum non eſt, ſed animadverſis indicationibus ſumptis a loco affecto. Quis ex dogmaticis medicamen laxans, emolliensque utile ſedando dolori brachiorum, ſimiliumque partium admoveat ori ventriculi? Quis inflammatis oculis exquiſitiſſimo ſenſu donatis medeatur indiſcriminatim remediis uſitatis in inflammationibus aliarum externarum partium? Galenus proponit acetum cum oleo roſato miſtum tanquam optimum remedium aurium inflammationi; idemque tanquam noxium declinari oculis inflammatis jubet. Eodem auctore oleum roſatum in vulneribus capitis concoctionem promovet, in aliis corporis partibus repercutit humorem. Demum in traducendis de membro ad membrum auxiliis attendenda eſt ſingulorum dos peculiaris, cujus nomine inveterato medicorum conſenſu partita ſunt medicamina in tot claſſes, quot exiſtunt præcipua membra, aliaque capiti ſunt deſtinata tanquam cum eo ſpecialem congruentiam, & aptitu-

*Lib. 8. de ſectis.*

di-

dinem habentia, alia ob eandem rationem pulmonibus, alia cordi, alia reliquis hujus generis partibus. In unaquaque claſſe varia, permultaque ſunt, quorum copia licet alia, atque alia experiri: Si tamen quæ uni parti peculiariter accommoda, & convenientia cenſentur, in alterius auxilium adhibere placet, requiritur inter ipſas partes cognatio, qualis reperitur inter cerebrum, & ventriculum, quibus multa æqualiter opportuna comperta ſunt, uti ſalvia, baccæ lauri, nux moſchata, ejuſque macer, & alia. Neque vero huc attinet diſceptare utrum hæc medicamina manifeſtis qualitatibus, an tota ſubſtantia conferant ad ea viſcera, ſi conſtat majorum obſervatione conferre; idque ſatis eſt in argumentum habendi delectus proprietatis. Namque internoſcere nequimus ad unguem complexum, & ordinem qualitatum, quæ manifeſtæ vocantur, modo peculiari certas partes afficientem, ut ſimilem poſſimus in rebus non expertis certo nanciſci.

Ultimus analogiſmi modus, per quem tranſimus a remedio cognito ad ſimile, nihil eſt aliud, niſi acquiſitio materiæ remedii per ſimilitudinem eadem facultate retenta. Iccirco, exempli gratia, quia ſcimus in alvi fluxu exigi adſtringentia, roborantiaque, ſi lubet loco cotonei mali, aliorumque, quæ in eo effectu adhiberi ſolent, devenire ad uſum non uſitatorum, licet id periculum facere, dummodo facultatem adſtringendi perſpectam habeamus, nec alium effectum præter conſtrictionem deſideremus. Gradus inſuper, & qualitatum complexus explorandus eſt, ne vel effectu optato fraudemur, vel diverſus ab optato effectus contingat. Cum autem in præſentia magna ſit copia me-

dicaminum in quolibet morbo obſervatione approbatorum, rara occurrere poteſt occaſio loco remedii cogniti ſimilis experiundi: qua tamen oblata ſimilitudinem non ſola veſtigatione odoris, ſaporis, ſubſtantiæ tenuitatis, craſſitudinis, lævitatis, atque aſperitatis, aliarumque ſimilium qualitatum rimari oportet, ſed experimento, quod Eudoxus apud Fernelium potius ratione judicat ad ſimplicium vires explorandas; eoque plus fidei, & auctoritatis habet Dioſcoridi, qui eas puris, nudiſque verbis, nulla conſequente ratione, enarrat, quam Galeno tot rationibus inſtructo. Certe ſapor inter alias qualitates videtur efficax ad expromendam facultatem ſimplicium, quo tamen ſolo fretus nova non præſcriberem nulloque experimento communita ob metum noxiæ, incompertæque qualitatis ſolo effectu comprehenſibilis. Locuples teſtis eſt Fernelius affirmans ſe multa vidiſſe, quæ cum ſapore crederentur profutura, aut nihil certe nocitura, ſumpta, vel admota, tacitis viribus, ſolaque obſervatione noſcendis in ſummam perniciem, exitiumque miſeros præcipitarunt. His ipſis animadverſionibus monemur, quam caute procedendum ſit in compoſitione medicaminum, ne labamur in ſimilia errata, in quæ ſolebant Empirici, dum ex una materiam aliam remedii colligebant. Qui enim miſcent ſimplicia rati ſervari facultatem in miſtione, quam habent ſeparatim, ſic ratiocinari opineris. Simplex retinet virtutem in miſtura, quam poſſidet ſolitarium: ſed, ver. gr., abſinthium ſolitarium virtutem poſſidet roborandi: ergo etiam in miſtura. Quantum autem propoſitum, ſive major propoſitio aberret a vero multa particularia præclare

*Lib. I. de Abditis rerum cauſ. cap. 17.*

*In præfatione lib. 5. Meth.*

clare oſtendunt. Purgantia, ut advertit Proſper Martianus, in parva quantitate exhibita, admiſtaque majori aperientium vim acquirunt ſudoris, vel urinæ provocandæ, amittunt quam habebant purgandi. Petroſelinum, referente Boyle, remedium alias ophthalmicum, cum aliis intermiſcetur, oculorum inflammationes auget, & dolores. Anagallidis flore purpureo decoctum, teſtimonio Hartmanni, ſine omni additione maniacorum ferociam compeſcit; ſecus in compoſitione. Radix conſolidæ ſolitaria eximium eſt remedium oſſium fracturæ, qua facultate, ſi credimus Paracelſo, ſpoliatur per additionem boli, aceti, aliorumque. Alia non pauca hujus generis obſervata jampridem fuerunt; quibus nondum ſatis edocti ſunt plures etiamnum pruritu laborantes quotidie novas ex pluribus miſtiones excogitandi, exercendique pharmacopolam; neſcio utrum melioris remedii obtinendi gratia, an oſtentandæ peritiæ. Quicquid autem animo præſumant, non leviter falli exiſtimo, qui neque morem naturæ gerunt ſimplicioribus delectari ſolitæ; neque commendationem niſi apud parum peritos aſſequuntur. Oblata occaſione componendi medicamina, ut caute procedamus, reſpiciendum eſt ad veteres compoſitiones, quorumve effectum jamdudum exploratum tenemus, & inde diſcenda ratio compoſitionis, ſemper tamen numeroſa multiplicitate evitata. Ars vera componendorum medicaminum, eademque facilis, brevis, nec Apollinis afflatu indigens, quo ſentit Avicenna theriacam compoſitam fuiſſe, eſt paucorum commiſtio; meritoque Petrus Poterus tria tantum, aut quatuor ſimplicia ad compoſi-

*In Comment. Hippoc. l. 2. de morbis.*

*In praxi Chimiatrica.*

*Lib. 1. Pharmac. Spog. cap. 2.*

poſitionem admittit, quibus plerumque plus effici ſolet, quam ſi univerſa materies medica Dioſcoridis, ut loquitur Balthaſar Brunorus, ægroto exhiberetur. Hæc obiter dicta ſufficiant de componendis medicamentis, ne longius e via digrediar.

In Conſil. 21.

## C A P U T XX.

### *De curatione ignoti morbi.*

IGnotum morbum appello, quem neque alias obſervavimus, neque ab aliis obſervatum accepimus, neque per ſimilia ſymptomata referre poſſumus ad aliquem ex manifeſtis, atque experientiæ, vel analogiſmi ope curare. Cum igitur hujuſmodi morbos tum ab cauſis generalibus, cujuſmodi aer eſt, tum particularibus ſingulatim homines afficientibus aliquando produci experientia oſtendat, inquirimus, quo pacto a medico rationali curatio ſit capeſſenda, de qua pariter ſcriptum eſt ab Hippocrate. Fruſtra vero ad hanc accerſeretur medicus Empiricus, qui nihil habet præſidii adverſus ea, quorum nullam habet obſervationem, aut ſimilitudinem cum obſervatis. Avicenna porro, etſi rationalis nihil audet moliri ad incompertam ægritudinem, jubetque relinqui naturæ, quæ, ut ait, aut eam ſuperabit, aut declarabit: qui eventus ſi certus eſſet, ut ſibi pollicetur Avicenna, negotium confectum foret, neque cogitandum a medico de curatione abditæ affectionis. Id autem deſiderare poſſumus, vix poſſumus ſperare. Cujus enim vi, & imperio impelletur natura, vel adjuvabitur ad morbos,

Lib.1.Fe. 4. Doc. 5.cap.1.

bos, quos ab initio velavit, aut ſubigendos, aut opportune explicandos? Nec enim ſatis eſt ut quocunque explicet tempore, ſed remediis idoneo; neque quiſquam in ſe recipere poteſt id eſſe futurum. Quando morbus ſe ſe prodet jam principio tranſacto aderit ne occaſio remedii, quæ magna pars eſt curationis, ſed adeo velox, ut arte nulla retardari poſſit, aut revocari? Hac vero præterita quid proderit in lucem proferri morbum, nullum deinde ſupereſſe ſubſidium? Propterea Celſus, qui mavult anceps remedium experiri, quam nullum, redarguit & nobiliſſimos ſui temporis medicos, qui nova in ægritudine, & prorſum incognita, qua laborans ex naturalibus carne prolapſa intra paucas horas expiraverat, nihil omnino erant moliti. Ipſe pariter Hippocrates Avicennæ cunctationi opponitur aſſerens non decere medicinam inopem, dubiamque hærere circa morbos minus manifeſtos. Accidit quidem aliquando ut, dum animis pendemus, & medicamentum differimus propter obſcuritatem ægrotationis, hæc aperiatur, aut mitigetur; idque ſibi non ſemel contigiſſe teſtatur Sydhenham in febribus, quæ vel ſenſim evanuere, vel manifeſtum typum ſuſcepere, indicaruntque quibus eſſet armis pugnandum, dum pugnæ ineundæ opportunitati invigilabat. Fatemur etiam multa in exortu obſcura eſſe ad cognoſcendum, quæ creſcentia patefiunt, veluti perplures herbæ. Verum inde capiendum argumentum non eſt vacandi ab omni medicatione in morbis clandeſtinis præſertim acutis, quorum celeritas, & magnitudo ex quibuſdam ſignis communibus, cujuſmodi ſunt virium dejectio, magna ægrotantis inquies, & jactatio,

*In Præfatione.*

*Lib. de arte.*

tio, inſignis principalium actionum mutatio; idque genus alia, conjectari poteſt, licet eorum intima cauſa profunde lateat. Itaque credo ex arte magis eſſe auxilium aliquod, fortunamque periclitari, quam nihil prorſus conari; atque periclitandi modum Hippocrates generatim edocuit: *Morbum ſi quis non cognoſcat medicamentum præbeat non forte. Si itaque levior inde fiat, demonſtrata via eſt qua gracilitatem inducendo curandus eſt. Si vero non levior reddatur, ſed prius habeat, contraria facienda ſunt. Si non profuerit gracilem facere tumidum facere oportet, & frequenter permutare, ita ut hoc conſilio utaris.* Nomine medicamenti purgans intelligendum eſſe notius eſt, quam ut pluribus debeat probari, confirmantque ſequentia verba de inducenda gracilitate, quam brevi ſola purgantia parere poſſunt. Ante tamen eorum adminiſtrationem veſtigandum cenſeo, ſi præceſſit notabilis evacuatio, inedia, aliæque cauſæ inanientes, abs quibus conjicientes corpus ſatis eſſe inanitum, medelam a purgante non auſpicabimur, ſi ancipites, a ſolo emolliente clyſtere. Enim vero niſi conſtet de prægreſſa corporis evacuatione capeſſendum Senis conſilium hac, ut opinor, fultum ratione. Duobus potiſſimum modis medicina opitulatur, addendo, aut adimendo, ſive, ut ait Senex in textu, gracilem, aut tumidum ægrotum reddendo. Cum autem plerique morbi a ſuperfluis producantur propter errata in ciborum quantitate, quæ illectu gulæ uberior eſſe ſolet, & ſupra indigentiam, plurimum evenit, ut curatio per ablationem perficienda ſit; eodemque nomine Cous medicationem indidem inchoandam præcepit, addidit tamen non copioſe purgandum eſſe, quod in obſcuris, dubiiſ-

De Loc. in ho. num. 46.

dubiiſque verſatur. Ad illud etiam reſpexiſſe Hippocratem exiſtimo, quod morbi ſana corrumpunt, quæque erant utilia, reddunt ſuperflua, ideoque abducenda. Purganti non forti bene vertenti adjicienda ſunt attenuantia, aliaſque vacuationes promoventia, & maxime inſenſilem perſpiratum, hiſque omnibus cibi reſtrictio. Ab exhibito purgante vel creſcente morbo, vel minime decreſcente mandat Hippocrates, ut contraria remedia ſuccedant, quæque tumidum faciunt ægrotantem, ſcilicet craſſefacientia, roborantia ſuccorum diſſipationem prohibentia, & optime nutrientia. Utilitas purgationis intra breve tempus ſolet apparere, qua non comparente, quia morbus deliteſcit, ejuſque indoles per juvantia, & lædentia indagatur, protrahenda non eſt ſuſcepta ratio curationis, ſicuti protraheretur in morbo perſpicuo, etiam dilato levamine. Senſim tamen mutatio facienda eſt, ſervatoque modo dictato ab præpoſita victus ratione ægrotantis, temperamento, ætate, aliiſque manifeſtis circumſtantiis.

Illud remanet inquirendum, cur Hippocrates ignotæ ægrotationis medelam auſpicatus ſit a purgante, minime a ſanguinis effuſione, de qua nullam mentionem expreſſe fecit. Multiplex ratio patrocinatur Hippocratis conſilio. Purgatio plurium morborum commune remedium eſt, pauciorum venæ cæſura. Omnes fere morbi, quibus ea convenit, aliquam expurgationem petunt; plures autem morbi hanc petunt, nullam ſanguinis extractionem. Huc adde facilius ferme tolerari alvi ſolutionem, quam venæ, & hanc majore periculo ſolui, quam alvum; quod quaſi quadam na-

turæ anticipatione conſtare videtur, qua ita comparati ſumus, ut ſtatim ac emanantem ſanguinem aſpicimus, animo percellamur. Quare Galenus purgationem tanquam levius, & ſecurius præſidium venæ inciſioni ſubſtituere ſolet, cum quo facit Valleſius perſuaſus opus eſſe majore virtute ad ſanguinem effundendum, quam expurgandum, & Nicolaus Rogerius Salernitanus ſancit majorem deſiderari magnitudinem morbi, ut vena pertundatur, quam alvus incitetur. Alii tamen oppoſitum pugnant, atque inter Recentiores Laurentius Bellinus, qui judicat periculoſius expurgans ſcalpello, veritus pravam purgantis qualitatem, & conſecuturam fermentationem; quæ controverſia vix utilem, & congruentem ſolutionem habere poteſt, ſi purgatio, venæque vulneratio a ſuis differentiis, & circumſtantiis ſeparatæ conſiderentur, de quibus alias. Nunc tantummodo animadverto non fortem purgationem ab Hippocrate imperatam in præſens obtineri poſſe per medicamenta malignæ qualitatis expertia, neque ſanguinem prave fermentatura, & idcirco tutiora eſſe ſanguinis detractione ſaltem in obſcura ægrotatione. Veruntamen cedo cur Hippocrates ſaltem aliquot ſanguinis uncias non detraxit ad explorandam ejuſdem conditionem, venandaque cauſarum indicia, ut mos eſt in præſens apud plures noſtrates medicos, qui nulla propoſita indicatione ſanguinis effundendi, paucas tamen uncias effundunt has attente inſpecturi, perinde ac ſi eo inſpecto confiderent ſe agnituros quod antea ignorabant, & melius curationem moderaturos eſſe. Tamen id nequicquam quæritur; cum olim remedia minime proſtituta forent, uti noſtris temporibus, & præ cæteris,

*Lib. 7. Contro. cap. 10.*

*In comment. de rat. curan. per ſang. miſ. Galeni.*

*De ſang. miſ. propoſit. 9.*

teris venæ ſectio, quæ in omnibus propemodum affectionibus præſcribitur, nulloque ex illis ſuppetente argumento, ſatis eſt, ut ſanguis eximatur, ſi domeſtici, vel æger id videatur optare, vel ſuſpicio ſit, ne ab alio poſtea fundatur, & ab vulgo vitio detur, effuſionem eſſe omiſſam. In qua frequentia ſanguinis emiſſionis illud acrius redarguendum eſt, quod ſæpenumero ſine indigentia emittitur, cum vero adeſt, parcius, quam opus eſt, nec ea quantitate, qua ſcimus majores noſtros in graviſſimis morbis proſpere occurriſſe. Itaque inter inanes cauſas cruentandæ venæ eſt, ut effuſus humor examen oculorum ſubeat, quod forſan permittendum foret, ſi certas morbi notas præberet, non ambiguas, decepturaſque incautum contemplatorem. Etenim ſive colorem conſideremus, ſive habitum, ſive modum effluendi, nullum indubitatum indicium capere poſſumus multarum qualitatum, a quibus morbos produci imaginamur; cum diverſitas ambientis aeris, inflicti vulneris, excipientis vaſis, aliaque fortuita, atque externa, quæ omnia perſecutus eſt Bohnius, emanantem ſanguinem immutent, & occaſionem erroris prætendant. Teſtatur Helmontius fuſum ſanguinem ducentorum ruſticorum altera Pentecoſtes die ſe ſe examinaſſe, repeririſſe valde diſſimilem, atque in alio ſigna, quæ creduntur eſſe putredinis, in alio atræ bilis, in alio æruginoſæ, in alio alterius vitioſitatis, omnes tamen ruſticos, e quibus effluxerat, optima valetudine frui; ridetque propterea tabulam judiciorum ex aſpectu emiſſi cruoris. Non ideo vellico cum Helmontio nimium in Galenicos percito illius contemplatores, rejicioque contemplationem tanquam ſemper, & omnino inutilem;

*Cap.7.de ſciſcitandis in genere.*

*De febri.cap.2.*

lem; ſolum contendo inde tam certa indicia non perhiberi, ut operæ pretium ſit, nulla propoſita indicatione, hac ſola de cauſa ſanguinem educere, ut de ejuſdem natura conjectemus ad curationem temperandam. Neque vero ulla peti poteſt hujus conſuetudinis approbatio ex Galeno, qui cubiti venam in melancholia perforat, & ſanguinem melancholicum non eſſe compertus abſtinet ab effundendo, talem videns evacuat ea quantitate, quam laborantis habitus declarat. Prius enim quam ſcalprum diſtringit, inquirit notas cumulati ſanguinis melancholici in toto corpore, quem ſtatuit indicem venæ vulnerandæ: neque hanc vulnerat, ut cruoris intuitu indolem cognoſcat, deliberetque, debeat fundi, an ſecus. Omnem adhibet navitatem, ut certior fiat de indicante incidendæ venæ ante inciſionem, & viſione exeuntis ſanguinis cognoſcens non eſſe, qualem imaginatus erat, foramen confeſtim obturat. Ante Galenum idem monuit Celſus, qui tradens generalia præcepta ducendi ſanguinis, præcipit attendi colorem, habitumque exilientis, ac ſi craſſior is eſt, nigerque, effundi; ſi rubet, & pellucet, eveſtigio ſupprimi. Subdit tamen id evenire non poſſe ſub eo medico, qui ſcit, ex quali corpore ſanguis mittendus ſit: tantum abeſt Antiquos pertudiſſe venam ad ſanguinem tantummodo intuendum. Aſt utinam, qui ſic in præſentia abutuntur venæ punctione, ſaltem ſecum ipſi minime pugnarent. Viginti circiter duobus ab hinc annis audivi plures medicos accerſitos ad conſultandum de marchione Rota cremonenſi laborante duro hepatis tumore, ſingulos, antequam ſanguinem viderent, eſſentiam morbi, cauſaſque conſtituiſſe, remedia deliberaſſe,

*Lib. 3. de loc. affec. cap. 6.*

*Lib. 2. cap. 20.*

po-

poſtea conveniſſe inter omnes, uno me juniore tacente, ut ſanguinis videndi gratia modicum hauriretur; admiratuſque ſum doctos viros non advertiſſe ex proprio decreto de reſeranda vena, ut cruorem aſpicerent, ſequi, ut prius is debeat emitti, poſtea conſilium capi, medicatio præfiniri. Vidi pariter Venetiis in fine curationis longæ factæ in ampliſſimo Senatore ob dolores articulares, poſt uſum decoctionis ſalſæ parillæ, motumque humido calore ſudorem educi aliquot ſanguinis uncias ad intuendum: in quo mihi videtur medicus imitatus veteres aruſpices extorum obſervatores, quos miratur Tullius non ridere, cum alter alteri obviam fieret. Sanguine mortalium nugatur, & potius aruſpicem, quam medicum agit, qui nihil aliud habet in cauſa illius effundendi quam intuitum effuſi potiſſimum poſt curationem peractam. Multa comparent in ægrotantibus, quæ naviter obſervata, ſciteque perpenſa morbi naturam patefaciunt, occaſionemque utiliter venæ tundendæ, atque præveniunt fallacem ſanguinis aſpectum. Ergo in morbo novo, ignotoque detrahendum non eſt modicum ſanguinis, duntaxat ejus conditionis explorandæ cauſa. Si tamen ex ſignis communibus appareret morbi magnitudo, & acuties,ægerque robuſtus eſſet, nec ætate provectus, liceret debitam ſanguinis quantitatem educere congruenter ad generale decretum Hippocratis: *In acutis paſſionibus ſanguinem mittendum eſſe, ſi fortis appareat morbus, & qui habent vigenti ſint ætate, & ipſis robur adfuerit*: quod tanquam probabile remedium, ductumque ex analogiſmo, uti placet Sanctorio, recipiendum eſt. Quanquam autem Galenus magnopere dubitat, ſit liber quar-

*Lib. 1. de divinat.*

*Lib. 4. de rat. vic. acut.*

tus

tus de ratione victus in morbis acutis Hippocratis, an alterius, quod multa contineat parum conſentanea reliquis ejuſdem documentis, illud tamen decretum præclare commendat, deprædicatque dignum ſenis auctoritate; idemque nervoſe tuetur Valleſius aſſerens ex accidenti magnitudinem morbi ſcopum eſſe eximendi ſanguinis, ſemper tamen cum ea, viriumque robore conjungi affectum per ſe id remedium poſtulantem; quod licet in aliis ætatibus in dubium revocari poſſit, difficile poteſt in juvenili, & florente, in qua ægre conceſſerim quenquam vehementer ægrotare, viribuſque valere ſine aliqua ſanguinis ſuperflua copia, vel motu vitioſo venæ apertionem primario expoſcente. Quare Senex cruorem educturus ex generali ratione acutorum non ſolum virium robur aliis ætatibus commune deſiderat, ſed proprium juvenilis, & florentis.

Quoniam ex placito Majorum ſancitum eſt in abdito morbo, ſi deprehenditur acutus, feriendam eſſe venam, non inutile judico, alienumque a præſenti inſtituto, ſuperioribus attexere diſceptationem, utrum grandis venæ vulnerationi oporteat præmittere cucurbitulas in dorſo ſcarificatas, quemadmodum præmittere ſolent non pauci in celeberrimis Italiæ civitatibus, qui in febrium incipientium curationibus animum inducentes poſtridie ſanguinem haurire, jubent pridie cucurbitulas affigi tergo, & cruentari; ſin autem eadem die, horis aliquot ante venæ majoris punctionem; idque nunquam prætermittunt, ſi vehemens corporis exercitatio præceſſit: contra quos ſi evicero in febribus etiam cum prægreſſo corporis exercitio vehementiore non eſſe præponendas cucurbitulas cum ſcarificatu, id

abſque

abſque dubio in omnes morbos valebit. Vetuſtiſſimum, clariſſimumque præceptum eſt, generalia remedia præmittenda eſſe particularibus; ex quo ſequitur propoſita indicatione ſanguinis effuſionis e vena magna, & cucurbitularum cruentarum has eſſe admovendas poſt ſectionem vaſis majoris, quæ conſenſu totius antiquitatis generale remedium eſt, citius, & efficacius toti corpori ſubvenit, quam vaſorum capillarium dorſi inciſio poſt cucurbitulas, quos Celſus exiſtimat potius facere ad membrorum vitia, quam totius corporis. *Uſus autem cucurbitulæ præcipuus eſt, ubi non in toto corpore, ſed in parte aliqua vitium eſt, quam exhauriri ad confirmandam valetudinem ſatis eſt.* Interdum etiam ad minuendum ſanguinem apponuntur, ut idem auctor ſubdit, ſi & levari corpus debet, & ex vena ſanguinem mitti vires non patiuntur; uti mos pariter eſt in præſentia. Congruenter ad ſententiam Celſi Galenus, Paulus, Aetius, aliique decernunt non convenire cucurbitulas ſcarificatas, niſi purgato corpore, ſi pravis ſuccis affluat, vel grandi vaſe pertuſo, ſi ſanguine: & diligentiſſimus Alexander Maſſaria animadvertit nunquam a Galeno fuiſſe inſtitutum ſcarificatum, generalis, & communis evacuationis gratia, præterque illius diſciplinam, & rationem eſſe in principiis febrium adminiſtrari. Sed negligant, ſi placet, Adverſarii Veterum documenta. Quod majus emolumentum ſperent a præpoſita ſcarificatione dorſi, & ſequente ſciſſura Baſilicæ, quam ab hac ſola, ſubitoque facta? Si ſcopus eſt tantum imminuere ſanguinis quantitatem, & augere perſpirationem in febribus neceſſariam, venæ amplioris ſiſſio multo celerius hæc præſtat. Sin attractio-

*Lib. 2. cap. 11.*

*Lib. 7. de febri cap. 29.*

ctionem aliquam, excretionemque pravæ materiæ moliri, male ſpem collocarunt. Omnia in principiis febrium confuſa, immerſaque ſunt intimo ſanguini, nec eſt ſperabilis ab cucurbitulis ulla particularis materiæ attractio; quam ſi ſperabilem imaginemur, inde acrius redarguuntur adverſarii, qui cucurbitulas iterare deberent, atque inſtaurare attractionem, non vas grande aperire, cujus apertione ſi ducitur humor ad centrum, primæ intentioni opponuntur; ſi ad ſuperficiem, præparant corpus ad cucurbitulas ante propterea non uſurpandas, prætereaque remedio communi, toti promptius melius conſulunt. Neque vero aptius affiguntur cucurbitulæ, & ſcarificantur in principio febrium adortarum ægrotum laborioſo corporis motu percalefactum. Siquidem, quomodocunque nata occaſio febris putetur, hæc cucurbitulas cum inciſione nullo modo exigere poteſt. Non ſane poteſt ad fervëntem ſanguinem refrigerandum, quem impenſius, & celerius refrigerat amplæ venæ cæſura uberiorem materiam inſenſilis perſpirationis educens, & calidiorem ſanguinem. Non item poteſt ad diſſolvendum, quod hæret in vaſis ſub cute, tollendaſque obſtructiones, quæ promptius cedunt latæ venæ diviſioni. Quanto enim ſanguis impetu majore, & velocitate fertur ad patefactam venam, tanto magis in omnibus cauſis concitatur, dimovetque ſtagnantem in capillaribus. Cum autem deſignato tempore major ſanguinis quantitas exeat e foramine venæ grandis, quam ex ſcarificatione dorſi, ut docet experientia, liquet hinc minore velocitate, & impetu effluere, debilioremque fieri in omnibus vaſis commotionem: quin exiſtimo hac præci-

pue.

pue de cauſa cucurbitulas cum punctione multo tutiores eſſe venæ amplioris vulneratione, quæ auctore Celſo, in impetu vehementis febris ægrotum jugulat, illæ neque in cruditate, neque in media febris vehementia periculoſæ ſunt. Fatendum autem eſt in loco, cui admovetur cucurbitula, inciditur cutis, quod obſtruit, urgeri, excernique cum extillante ſanguine, quo reſpectu ſcarificatus utilis eſt deplendis partibus. Sin autem obſtructio cutis generalis eſt, qualis ſolet eſſe cauſa febrium putridarum, quis non videat eidem auferendæ commodiorem eſſe detractionem ſanguinis ex latiore vena? Quæ ſolet omnes corporis meatus laxare, docente frequenti obſervatione ad eam conſequi alui ſolutionem, ſudorem, aliaſque eruptiones ad cutem. Anno 1721 Patavii menſe martii, vagantibus variolis, virgini annorum plus minus viginti quatuor nondum variolas paſſæ, febrique acuta continua laboranti cum menſtruis ante menſem ſuppreſſis, magna inquiete, & jactatione juſſi ſanguinem e talo educi; tantæque fuit detractio efficaciæ, ut, antequam vena vinciretur, efferri variolæ incœperint, ſubinde menſtrua. Itaque ſi aſſumimus poſt vehementem exercitationem diffuſæ materiæ partem finibus capillarium inhæſiſſe, & inde ſubortam febrim, indubitatum videtur, inchoandam eſſe curationem ab inciſura magni vaſis, communi remedio, non cucurbitulis cruentatis; ſive generalem cutis obſtructionem adimere velimus, ſive ſanguinis quo ad vires, aut ad vaſa redundantiam. Ac ſane, ſi vulnera inflicta ab uſu præpoſtero, atque incongruente remediorum ſubito ſe ſe proderent, profecto tot errata in dies non committerentur, neque commiſſa ſuis

*Lib.* 2. *cap.* 10. *&* 11.

auctoribus quæſtuoſa forent; dum ſæpe numero ægrotantes per ea ſe ſervatos putant, ſine quibus vel citius ſalutem recuperaſſent, vel perfectiorem, conſtantioremque. Sed pauci nequicquam multis obſiſtere conantur, ratione temeritati, virtute caſui, fortunæque, quam idiotæ plurimorum medentium patronam, altricemque fecerunt. Paſſim occurrunt apud doctos viros animadverſiones in errata vulgarium medicorum, quæ parum profecerunt, neque ſpes eſt in poſterum multo plus profecturas eſſe. Duo Hippocratis judicio in lege opponuntur medicinæ decori, & præſtantiæ, ignorantia medicorum, eorumque, qui medicis utuntur judicantes, & habentes pro medicis, qui nihil habent medici præter figuram, & habitum ſimiles perſonis tragædiarum. Tandiu igitur perdurabit abuſus medicinæ, quandiu popularis inſcitia nulla temporum excurſione, nulla humana induſtria ſuperabilis, ſemperque ſui ſimiles medicos nutritura. *Medici fama quidem, & nomine multi, re autem, & opere valde pauci.* Hæc pene iratus Senex ante duo millia annorum edixit in lege, aliique deinde plures repetiverunt, & hodie non minus eſſe vera comperimus, ſufficiuntque novum argumentum ad confirmandam opinionem Joannis Junſtoni de naturæ conſtantia, qui multas rationes producit ad oſtendendum mundum nec ratione ſui totius, nec ratione partium univerſim, & perpetuo in pejus ruere.

CA-

# C A P U T XXI.

## *De curatione morbi ſolum probabiliter cogniti.*

NOn raro morbi ſolitarii, ſæpius copulati nulla perhibent clara, certaque intimæ ſuæ naturæ indicia, ſed tantum probabilia, quorum propterea ſolum probabilem curationem inſtituere poſſumus. Cujus rei, ut ait Celſus, non eſt certa notitia, certum reperiri non poteſt remedium. Aliis vero perficitur regulis curatio morbi clare, aliis tantummodo probabiliter cogniti. Ubi quis evidenter apprehendit ægrotationis eſſentiam, cauſaſque, adminiſtrat remedia inde patefacta, neque deſerit, atque in contrarium mutat, donec eadem permaneat ratio ægrotationis ſecundum illud Hippocratis. *Omnia ſecundum rationem facienti, ſi non ſuccedat ſecundum rationem, non eſt tranſeundum ad aliud, eo manente, quod a principio viſum eſt*: quod interpretor duntaxat de morbis manifeſtis. In iis enim, quos ita cognoſcimus, ut remaneat erroris formido, ea non eſt ſervanda conſtantia, neque perſiſtendum tandiu in eadem medicatione, quandiu in aliis, idque definite docet idem Hippocrates: *Semper non ſanantem variare oportet modum, & ſi quidem pejus reddiderit malum ad contrarium Te converte, ſi vero ad ſanitatem tendat, omnino nihil ab his, quæ adhibentur auferre oportet, neque quidquam aliud addere, aut apponere*. Hæc Cous poſtquam deſcripſit curationem fluxionis pituitæ ad aures cum dolore, cui prius infundi mandat medicamentum natura calidum, apponique oppoſitæ regioni cu-

*In Præfatione.*

*Sec.2. Aphor. 52.*

*De Loc. in hom. num. 20.*

curbitulam ſine ſcarificatione; dolore vero perſeverante ad contraria medicamenta confugit, inſuperque propinat pharmacum dejiciens, quod primo omiſerat; in qua curatione ſumit oppoſita ſuaſus ex dolore perdurante, non creſcente ab uſu calidorum, citius mutationem faciens, quam præcipit in textu faciendam, qui non expectat, dum dolor augeatur. Itaque frequentem mutationem curationis exiſtimo injunctam eſſe ab Hippocrate eam ineuntibus nobis ſubobſcuram lucem, perſeverantiam clarum lumen ſequentibus. Cum enim nulla rei lucida cognitio antecedit, ab effectu quærenda eſt: unde tritum illud, a juvantibus, & lædentibus indicationes deſumi. Sin autem ex præpoſitis non liquet, quid juvet ægrotantem, quid lædat, opus eſt curationem non ſanantem alterare, ut monuit Hippocrates, repetitque Celſus jubens oportere, ubi aliquid non reſpondit, non tanti putari auctorem, quanti ægrotum, & aliud, atque aliud experiri. Galenus quidem affirmat nulla re magis ſanitatem impediri, quam crebra remediorum mutatione; ſed opportune, & cum ratione facta; non more Empiricorum identidem utiliorem modum curationis oſtendit, & ſcopum ferit, eoque commendata ab Hippocrate: *Mutare autem non parum bene habet, ſi recte mutatio fiat.* Porro multifariam curatio mutatur, aut tempore permutato exhibendi medicamenti, aut modo, aut forma, aut materia retenta qualitate, item ordine, ſive gradu qualitatis, quantitate, ſpecie medicamenti, & tandem facto tranſitu in contrarium; quarum mutationum aliæ pertinent ad accidentia curationis, aliæ ad eſſentiam, omnes tamen non levem utilitatem pro data occaſione adferre poſſunt.

*Lib. 1. de diebus crit. cap. 2.*

*De rat. vic. acut. num. 14.*

ſunt. Tempus medicamenti mutatur, ut ſunt variæ ejuſdem differentiæ acceptæ præſertim a cibo, a ſomno, a morbo. Vidi non ſemel ab eodem laxante pharmaco paulo ante cænam, & ſomnum ſumpto uberius commodum reportatum eſſe, quam mane jejuno ventriculo, in aliquibus oppoſitum cecidiſſe. Pluribus variatur curatio circumſtantiis, & cognitu difficilibus, atque dum grandia meditamur, tritum quippiam ſorte, vel conſilio mutatum abſolutorium eſt. Medicina, ut inquit Senex, nunc, & ſtatim non idem facit, cujus proinde porrigendæ diverſum tempus, ut efficacitatem augere poteſt; ſic etiam minuere. Atque inſignior eſt mutatio temporis accepta differentia a morbo. Aliqui continui ſunt, ſed certis temporibus remiſſiores, aliis intenſiores. Aliqui quotidie affligunt, deſinuntque, alii ex intervallo longiore, alii ſine certo circuitu, alii cum certo. Omnes vero clarius, vel obſcurius ſuas diverſas ætates, vel breviores, vel longiores, ſicut animantia percurrunt. Hinc varia propinandi medicaminis tempora cum notabili effectus varietate. Tranquillo, aut mitiore die, quo morbus intermittit, vel remittit, minuſque vires fatigat, ut ait Fernelius, purgatio tutior eſt, perturbato expeditior, quo jactata materies promptius excernitur. Ac vere non nullas tertianas intermittentes longas, difficileſque curatu, dejiciente pharmaco, quod offerebatur die intermiſſionis, præbito tanto ante acceſſionem tempore, quo majorem partem fieri poſſet purgatio, vel confici, feliciter extirpatas vidi; occurſatque nunc animo virginem viginti annorum, robuſtam, durisque laboribus aſſuetam, dum quartana teneretur, me impenſe *Lib. 3. cap. 12.*

ro-

rogaſſe, ut cito ſanaretur, biſque accepto vomitorio ex radice aſari horis circiter quinque ante acceſſionem, poſt quartum circuitum voti compotem redditam fuiſſe. Non alio pariter die Celſus magnis remediis, hoc eſt, vel ſanguinis miſſione, vel alvi dejectione, & nigro veratro inſtituit oppugnationem herculei morbi, quam quo æger prolabitur. Quod vero attinet ad ſanguinis detractionem, hanc diverſis temporibus factam egregie aliquando profuiſſe ſatis oſtendit induſtria Botalli, qui affirmat a ſe curatum eſſe Dominicum Epiſcopum e Sancta Fide Chriſtianiſſimi Regis concionatorem per ſanguinis miſſionem diverſis temporibus iteratam, modo poſtridie ab acceſſione febris, modo pridie, modo etiam ipſamet die acceſſionis: quam curationem non tam iterationi ejuſdem remedii, quam diverſo tempore peractæ aſcribendam judico. Ex quibus vides etiam in aliis remediorum generibus commode mutari poſſe porrigendorum tempus; acceditque teſtimonium Hippocratis aſſerentis alios morbos petere curari mane, alios ſemel in die ſine horarum diſcrimine, alios per tertium, aut quartum diem, alios ſemel per menſem, alios per tertium, alios differentibus anni tempeſtatibus; in quorum curatione magnam utilitatem acquirit remedium ex tempore adminiſtrationis: quod niſi principio nacti ſumus opportunum, vel frequentiore, vel rariore, vel uſu intempeſtivo lapſi facta mutatione nanciſcendum eſt.

*Lib. 3. chp. 23.*

*De cur. per ſang. miſs.*

*Lib. 1. de morbis.*

Modus curationis mutatur, mutato exhibendi medicaminis modo, uti ſi quod olim confertim miniſtrabatur & univerſum, partito id fiat, & pluribus vicibus; vel quod ita exhibebatur, unica vice præſtetur.

In-

Interdum robuſtior cauſa morbifica vim partitam medicinæ ſuperat, quæ collectæ, univerſæque cederet; univerſaque aliquando imparem naturam non allevat, quam diviſa recrearet. Aqua frigida in vehementia caloris febrilis, ut notat Paulus, ſenſim hauſta incendium auget; cumulatim, & unica vice reſtinguit. Frequens etiam eſt obſervatio, alios morbos melius curari forti purgatione ſemel facta, alios debiliore ex intervallis repetita, quam oppido conducibilem experimur in curandis febribus lentis, obſtructionibus jecoris, aliiſque ſimilibus morbis, in quibus ex brevibus intervallis debiliore purgante iterato vim fortioris ſupplemus, nec ejuſdem incommodum importamus. Contra Sidenhamius in hydrope curando reprehendit ſegnem, lentam, & repetitam per infirmiora purgantia dejectionem, experientiæ documento, ut ait, inde uberius ſerum in pedes laborantium congeri, non minui congeſtum.

*Lib. 2. cap. 36.*

Ex forma medicamenti mutatur curatio, ſi loco liquidi antea propinati, ſolidum præbeatur, vel ex oppoſito. Forma ſolida purgantis in morbis diuturnis a clariſſimis auctoribus ſolet anteferri liquidæ, & pilulæ potionibus; ac memini quendam mercatorem armenum Venetiis ſæpius recidivam colicam paſſum, cum a fluidis purgantibus, pro deſiderio non levaretur, a præſtita minore doſi purgantis formæ ſolidæ majus commodum retuliſſe, quam ex uberiore quantitate liquidæ, quod ex forma ſolida profectum crediderim, qua diutius in ventre retentum expurgans plura recrementa, penitioraque commovit, eduxitque. E contrario medicamina demulcentia, anodyna vocata, & reſol-

reſolventia; quorum actio cito requiritur, neque pendet a longa mora in ventriculo, in doloribus colicis, aliiſque ventris inferioris, ut non ſemel animadverti, ſolent eſſe majoris, promptioriſque utilitatis liquida, quam ſolida; nempe quæ maturius ſeſe quoquoverſum effundunt, vimque ſuam expromunt; qua conſideratione monuit Cous indigentibus celerrima adjectione liquidum optimum eſſe ad vires ſarciendas. Fas pariter eſt, ut ægrotantibus obſequamur, pharmaci formam aliquando variare: neque modicæ utilitatis erit, ſi mutatione formæ, moleſtiam declinare, aut minuere contingat; hucque ſpectat illud Hippocratis, *Laborantibus gratiæ*, quibus identidem utilior redditur medicatio, dum jucundior.

*Lib. de Alimento.*

*Lib. 6. morbo. popul. ſec. 4.*

Materiem remedii novabis retenta qualitate, quando diverſam eliges materiam ſimili qualitate præditam, veluti ſi materies calidi remedii prius a fœniculo ſumpta, poſtea de petroſelino accipiatur, aut apio. Multa, inquit Cous, de quocunque recte præcipi poſſunt eadem potentia. Natura fæcundiſſima rerum genitrix, ſuique conſervatrix ſicuti multa nobis large impertivit ad voluptatem; item liberaliter ea, quæ vel tuendæ ſaluti, vel reducendæ deſerviunt, ut in quavis medicaminum ſpecie plura ſimilis qualitatis diſſimilibus rebus inſitæ, quaſi tot ſimiles gemmæ diverſis annulis incluſæ occurrant, quibus licet mutare materiam, non facultatem; & tollere impedimentum curationis ortum quandoque ex recondita diſſimilitudine inter hunc ægrotum, & hanc medicinæ materiam. Rhetori, de quo memorat Galenus, poſt eſum pyrorum, & pomorum auſterorum alvus ſolvebatur, quibus in aliis con-

*Lib. 6. Epid. ſec. 7.*

*Lib. 2. de aliment. facult.*

conſtricta foret, idque ſimiliter animadverſum eſt de cotoneis in pluribus ventrem conſtringentibus, in aliquibus relaxantibus. Quid? Nonne quotidie obſervamus multa edulia pleriſque hominibus jucunda, & utilia quibuſdam non leviter diſplicere & eſſe incommoda? ut mirum non ſit idem evenire in remediorum materia. Recte igitur monuit Celſus non eadem omnibus etiam in ſimilibus caſibus opitulari; quod quædam res ſint, quæ in pluribus ventrem aut adſtringunt, aut ſolvunt, inveniantur tamen aliqui, in quibus aliter, atque cæteris idem eveniat. Narrat Bohnius ſe noviſſe virum doctiſſimum, qui accepto ſcammonio vel ſolo, vel aliis immiſto peſſima ſemper experiebatur ſymptomata, cum tamen ut plurimum innoxie purgationem efficiat præſertim aliorum purgantium temperatione. Rarius eſt multo quod narrat Montanus de caſſia protrito laxante, qui affirmat Venetiis anno 1527 febres quaſdam ſæviſſe ſolum illis exitioſas, qui caſſia utebantur, niſi quis opinetur hanc labem a caſu inflictam eſſe caſſiæ. Diuturnum inſuper ejuſdem pharmaci uſum ſolemus faſtidire, ut etiam eoſdem perdiu cibos comeſtos. Ventriculo autem, quod averſatur, non bene ſubigente, vis medicamenti aut enervatur, aut perit. Quamobrem vel propter peculiarem, ignoratamque diſcordiam inter ægrotum, & materiam remedii, vel damnum faſtidii in eodem diu iterato fas eſt innovare materiam, ſervare qualitatem. Frigidum enim, puta, lactucæ, quod ex ſecreto diſſidio parum ſalutare comperimus, forſitan magis proderit in ſeminibus melonum, aut cucurbitæ; & quoties id incommodum longa ejuſdem uſurpatione importatur,

*In Præfatione.*

 alia

alia ſimilis qualitatis, ſed novitate condita ſurroganda.

Ordo, ſeu gradus qualitatis mutatur, cum eadem ſervata remedii ſpecie, remiſſior, aut intenſior adhibetur, veluti cum calido tribus numeris calidius ſubſtituimus, vel huic calidum remiſſius. Quemadmodum enim veram, exactamque morbi quantitatem conſequi maxime operoſum eſt, imo vix ſperabile; ſimiliter remedii gradum reſpondentem inde definire, quem ab effectu facilius deprehendemus. Proinde ejuſdem mutatione ſors ipſa in ſocietatem conſilii accerſenda eſt, ut diverſos ejuſdem qualitatis ordines experiendo, eo demum perveniamus, quo ſola conjectura nequiverat. Hanc quoque curationis vicem exigit ejuſdem remedii diuturnus uſus, cui aſſueſcens natura minus afficitur, fortioraque hoc nomine requiruntur. Remedium morbo ſit contrarium oportet, ut inter utrumque excitetur pugna, quæ ſolum inter contraria, ut docet philoſophus, prænitenſque ratio, excitari poteſt. Contrarietas vero per aſſuetudinem aut tollitur, aut minuitur, quæque ſibi repugnabant, paulatim ſimilia fiunt. Tanta vis eſt uſus, ut quod venenum erat, denique ſine offenſa ſumatur; uti de Mithridate accepimus maximo ſua ætate rege, vitæque diligentiſſimo, qui quotidie præſumptis remediis venenum bibens manſuefecit, exitioque ſpoliavit, ut regno pulſus cum vellet inde ſibi mortem conſciſcere, nequiverit. Id rarum eſt, ſi verum eſt, ſed quotidiana liquet experientia noſtra corpora conſuetis & ſi deterioribus minus alterari. Cum vero conſtitutum erit ex dictis cauſis augere, vel minuere vim medicaminis, id bifariam præſtare poſſumus, aut addito, aut ablato gradu ejuſ-

dem

dem qualitatis, aut per additionem, aut ablationem certæ quantitatis agentis, cujus certa menſura requiritur ad obtinendos optatos effectus in noſtris corporibus; idque apertiſſimum eſt in purgantibus, quorum actio a definita quantitate dependet; nec aliter res habet in aliis medicamentis, quorum actio & ſi minime circumſcribitur a certa quantitate, uti vis purgandi, tamen roboratur, aut debilitatur, ut major eſt, vel minor quantitas. Major agentis quantitas diutius in nobis conſervatur invicta, efficitque, ut latius ſe ſe fundat, pluresque partes qualitas immutet. Huc compendii gratia refero mutationem externæ qualitatis, caliditatis, & frigiditatis, qua ſola in dies experimur diverſos effectus produci. Liquet eodem cibo diverſe nos affici actu calido, vel frigido, ſimiliterque a medicamento, cui per hanc ſolam alterationem lenitas comparari poteſt, aut aſperitas, ejuſdemque virtus incitari, aut retardari, interdum ad diverſos, imo contrarios effectus aptari. Solemus decoctiones emollientes ad laxandas pectoris anguſtias, & expediendum ſcreatum leniter calentes propinare, quas reperi mulieri triginta plus minus annorum ex aſthmate laboranti nocuiſſe, frigidas profeciſſe. Hinc habent, unde ſuas ſpes temperent, qui adeo confidunt potionibus ad ſenſum calidis; & unuſquiſque diſcat non ſufficere magnum experimentorum numerum, ut remedium tanquam certum, indubitatumque prædicetur.

Aliqua, vel pluribus ex deſcriptis mutationibus ſæpe indigemus, quando curatio minus proſpere procedit, morbique protrahuntur, ſive certam notionem, ſive tantum opinionem ſuppeditent. Namque licet clare

re appareat eſſentiam morbi poſitam eſſe, puta, in calore, non remanet in proclivi determinare gradum, exquiſite deprehendere naturam ægrotantis, eique adamuſſim parare remedia; evenitque non raro ut retardetur ſanatio, quod idoneum medicamentum, convenienſque naturæ ſubalternæ mali, debilius eſt ratione ordinis qualitatis, vel quantitatis agentis, vel minus utile propter formam, aut modum, aut peculiarem repugnantiam inter ægrotum, materiamque remedii, quæ omnia difficulter provideri poſſunt; & idcirco prodeſt ex intervallis ad aliquam ex dictis mutationibus confugere, atque experientia id aſſequi tentare, cujus aſſecutionem meditatio non pollicetur.

Majoris eſt ponderis curationis mutatio per remedium ſpecie diverſum, cujus ineundæ occaſio non infrequens exiſtit. Eundem morbum valde diſſimili ratione curari poſſe docet generatim Hippocrates affirmans multa de quocunque recte præcipi poſſe diverſa potentia; idque ſingulares curationes confirmant. Certum eſt tumores reſolutione, aut maturatione curari poſſe; dolores ſedari ſenſum obtundendo, cauſæque motum cohibendo, vel eam evacuando; pluresque febres reſtingui indico pulvere modo quodam clandeſtino fomitem febrilem ſubigente, vel illius coctione, & evacuatione. Itaque medici circumſpecti eſt, cum dubitat, utrum per reſolutionem, an ſuppurationem exigat tumor curari, prius reſolutionem, conari, faciliorem, atque expeditiorem medicationis viam, nec ſuccedente incœpto, admovere ſuppurantia. In doloribus colicis ſubito ſolemus laxantibus, & evacuantibus in cauſam pugnare, ſed interdum magis ſomniferis

*Lib. 6. Epid. ſec. 7.*

ris proficimus, prodeſtque non ſanantem medicinam hoc pacto mutare. Nec enim cauſa doloris ſemper tam aperta eſt, ut perſpiciamus copia ne magis, an motu lædat, quo magis lædente egregie commodant ſomnifera. Quanti etiam ſit adjumenti mutatio curationis in febribus cum frigore adorientibus quotidianæ periclitationes demonſtrant. Nil cognitu facilius eſt tertiana intermittente, ſed quantum ejus accidentia, & cauſæ variantur pro diverſitate ægrotantium. Hinc in aliis brevi fugatur, in aliis longiore tempore, melius in aliis, & maturius cortice peruviano, in aliis coctione, & excretione: atque ſi nequimus ab initio certo proſpicere, utra curationis ratio profutura ſit, ad mutationem parati ſimus oportet, neque nimium ſuſcepti conſtantes. Menſe Maii anni 1721 vir annorum circiter quinquaginta quatuor ſtudio litterarum deditus temperamenti melancholici, ut ſolent eſſe ingenio quique præſtantes, poſt ſex acceſſiones febris tertianæ intermittentis, in qua paulo poſt excuſſum frigus large ſudabat, corticem indicum accepit ſuaſu alterius medici ob metum gravioris mali; abs quo quindecim dies febris ceſſavit, ſed rediit lenta, & fere continua; ſubitoque uſu corticis renovato poſt ſex circiter dies iterum deſiit, factiſque quindecim dierum induciis cum iiſdem ſymptomatis, eademque hora, qua primo inccœperat, reverſa eſt. Itaque auctor fui, ut cortici valediceret, cauſatus morbo curationem deberi correctione humorum, coctione, excretione; qua ratione medendi paulatim imminuta febris eſt, atque in totum reſtincta. Non ſunt infrequentes hujuſmodi eventus. Anno proxime præterito initio veris Parochus ſuburbanus

nus patavinus annorum circiter quadraginta, temperamenti melancholici febri tertiana intermittente parum moleſta correptus poſt paucas acceſſiones ſuaſu medici corticem accepit. Dies quindecim febris intermiſit, collectiſque hoc ſpatio viribus ſævior rediit cum longioribus circuitibus, & infenſioribus ſymptomatis: iteratuſque corticis uſus fere parem numerum dierum febre vacuum præſtitit, ſed gravioris reditum peperit. Alter igitur medicus, cui ſe noviſſime curandum tradidit æger, alieno periculo cautior factus relicto cortice, ſubſtitutaque repetitione purgantis de morbo recidivo triumphavit. Multum etiam prodeſt in difficili curatione vacuationis viam mutare. Si obſervatum eſt, parum contuliſſe ad ſalutem dejicientia, cur vomitum provocare, aut ſudorem, aut urinam non enitemur? Cum multiplices ſint viæ, per quas natura morbo ſuperior noxios humores extrudit, hinc monemur in eo vacuationis genere diutius perſeverandum non eſſe, quod minime reſpondit, ſi perſuaſum habemus ineſſe materiam exturbandam, & caremus certis indiciis, per quam viam facilius exturbari queat. Videmus etiam morbos, qui per certos aditus extruſa materia ſolent finiri, per inſolitas evacuationes interdum aboleri. Ante paucos annos virgo textrix viginti trium plus minus annorum febre tertiana continua conflictata ſexta circiter die aggreſſa fuit a dolore lateris cum ſputo cruento, aliiſque ſymptomatis pleuriticis, pariterque extracti ſanguinis ſumma parte ejus conditionis, qualis ſolet in pleuritide apparere. Intra paucos dies eo morbus proceſſit, ut parum ab extremo abeſſe videretur; quod tamen periculum avertit ſubita, & valde copioſa facta

per

per alvum excretio, poſt quam in integrum reſtituta eſt patiens nullo prorſus ſecuto ſputo. Si ægram (Hinc pauca adjiciendi occaſionem, ut ſpero, non incaſſum arripio) curaſſem more vulgari ſanguinem pluries educendo, & donec vel anima, vel morbus abiret, probabile videtur vires acciſas fuiſſe, neceſſarias efficiendæ, ſuſtinendæque magnæ per alvum evacuationi. Solent aliqui ſepties ſanguinem e pleuriticis detrahere, & ultima vice paucis interdum horis antequam æger mortem oppetat: adeoque quidam medici cruentæ detractioni in hoc morbo confidunt, ut parum abſit, quin tentandi gratia ipſum cadaver cruentent. Accidit non raro in pleuritide, ut, poſtquam incæpit purgatio per ſputa, quam græci anacatharſim vocant, acceditque inflammatio ad ſtatum, excernantur aliquot ſputa ſanguine recens e vena lapſi reſperſa, quæ aliquibus argumento ſunt venæ ſectionis iterandæ; nec expendunt utrum plus negotii faceſſat, quod fluxit, an quod fluit; utrum præſtet tueri vires ad ſuperandum, expurgandumque quod ineſt affectæ parti, quam imminuere, ut ſupprimatur, quod fluit, dum nullas habemus notas de quantitate fluxuri, habemus ejus, quod fluxit. Obſervavi non ſemel morbum ab inchoato ſalutari curriculo non deflexiſſe, neque recruduiſſe, poſtquam aliquot ſputa recenti tincta ſanguine apparuerunt; aliaque, præter hæc requiruntur argumenta ad venam denuo tundendam in media anacatharſi.

Ultima, omniumque principalis mutatio eſt, quæ fit per contraria auxilia, cui non exponitur curatio ægrotationis evidenter cognitæ, niſi & ipſa ægrotatio in aliam abeat. Si enim rationem in medendo ſequimur,

mur, morbique naturam perſpectam tenemus, licet effectus initæ curationis minime convenire rationi videatur, ineunda non eſt contraria curatio; quandoquidem idem nequit contraria indicare, ac ſibi ipſi repugnare. Solum igitur in morbo conjecturali accidere poteſt, ut deſiſtendum ſit ab inchoatis, ſint oppoſita peragenda, in quo poteſt errari, errorque detegi per juvantia, & lædentia. Mirari ſuccurrit, quod evenit in viro principe alioqui omnium feliciſſimo, & potentiſſimo Octavio Cæſare Auguſto, qui cantabrico bello difficilius e manibus medicorum, quam hoſtium evaſit, dum laboraret, ut narrat Svetonius, jecore diſtillationibus vitiato. Eſt in proclivi conjicere quantam medici in eo morbo perveſtigando ſolertiam adhibuerint, quantam in curando providentiam; nihilo tamen ſecius uſi ſunt calidis remediis, donec æger ad deſperationem tandem redactus, auctore Antonio Muſa, contrariam, ancipitemque rationem medendi expertus eſt, atque frigidis ab extremo periculo vindicatus, ſervatuſque totius orbis felicitati, & gloriæ immortali Muſæ. Diu perſeveratum eſt in habito de natura ægrotationis judicio, & conſtantia ſuſceptæ medicationis perdidiſſet terrarum dominum, niſi ſalutis deſperatio mutationem ſuaſiſſet, & idoneam perſpicacitas Muſæ inveniſſet. Quamobrem, niſi conſtet evidenter qualis ſit morbi natura, dum curatio improſpere vertit, cogitandum eſt de mutatione vel in diverſa, ut dictum eſt, vel in contraria, & quidem in contraria nulla probabiliore occurrente mutatione. Morborum, animadverſione Celſi, in iiſdem hominibus aliæ, atque aliæ proprietates ſunt, & qui ſecundis

*In Præfatione.*

ali-

aliquando fruſtra curatus eſt, contrariis ſæpe reſtituitur. Hæc vero uſurpanda eſſe monuit Cous gliſcente malo ab inſtituta medela, quod tamen difficile cognitu identidem eſt propter multa, quæ urgere poſſunt jacentem, tametſi convenientia adminiſtrentur, & præſertim propter motum non proviſum ipſius cauſæ morbificæ, præterea perturbationes animi ægrotantis, aſſidentium errata, inſignem aeris alterationem, aliaque externa, & fortuita, omnia ſolerter expendenda, ne incrementum aliunde profectum medicamentis cum vulgo tribuatur, qui ſolet cauſam omnem ingraveſcentis mali, vel mortis in medicamenta præſtita, vel omiſſa conjicere, quaſi noſtra mortalitas ab ſolis medicis oriretur, vel omnes ad idem vitæ ſpatium nati eſſemus, comparatique. Suſcepturus itaque contrariam medicationem propter augmentum, vel pertinaciam affectionis, meo conſilio, ſi morbi violentia patitur, intermittet remedia, obſervatoque intermiſſionis effectu, & perſeverantibus mutationis argumentis ad oppoſita gradatim tranſibit. Veruntamen nulla certior eſt regula tanti momenti mutationis decernendæ, efficiendæque, quam prudentia medici exercitati. Prudentiæ vero, ut docet Tullius, artem nullam habemus, ſola domina natura eſt. Atque Plinius reputans mutationem curationis tempeſtive factam in Auguſto, opus fuiſſe prudentiæ Muſæ judicat. Svetonius ejus morbi ſymptomata, atque eſſentiam non deſcripſit, tantum cauſam indicavit, hoc eſt diſtillationes jecur vitiaſſe. Exiſtimarunt Antiqui humores ab capite defluere in ſubjectas partes, neque ſolum per particulares ductus, gulam, aſperamque arteriam, ſed commu-

*Lib. 2. de Oratore.*

*Lib. 19. cap. 18.*

nes venas, arterias, nervoſque, & inde varios morbos creari. Unde apud Plinium paſſim fit mentio de rheumatiſmis, quos latini fluxiones, & diſtillationes vocant, pulmonum, ventriculi, interaneorum; idemque auctor alios vocat rheumatiſmos manifeſtos, alios occultos, qui hæc ſcribit de Iberida a Servilio Democrate inventa. *Hoc modo ſanat omnes rheumatiſmos occultos. Imponitur non in ipſa inflammatione, ſed imminuta.* Atque forſitan per has diſtillitiones, quarum ideam claram habemus in aliquibus affectibus partium exteriorum, melius explicarentur cauſæ quorundam interiorum morborum, quæ referuntur vel ad prava fermenta, vel viſcerum obſtructiones, quæ non percipiuntur, vel Sydenhamii ſpirituum ataxiam, quæ tamen omnia primo ſuſcitari poſſunt ab ipſis diſtillationibus. Cum igitur omnes morbi prægreſſi Auguſti a diſtillationibus, & gravedine, ut videtur Gregorio Grævio, congruenter ad placita Veterum proveniſſent, eidem cauſæ imputatum fuit vitium jecoris in cantabria contractum, quod Galenici revocarent ad intemperiem calidam cum materia, quæ gravis eſt, dolorem parit, & demum maciem totius corporis. Adhibita primo fuerunt calida remedia, fomentaque parti affectæ; ex quibus conjicere licet non defuiſſe inflationem aliquam, & dolorem partis affectæ, ad quem ſedandum more ab Hippocrate accepto ſolent fomenta fieri. Sed malo vehementer invaleſcente, relictis calidis remediis ſubſtituta ſunt frigida, ideſt teſtimonio Dionis, frigida lavacria, & potiones a Muſa, ejuſque fratre Euphorbio inſtitutæ; cum antea, ut refert Plinius, mos eſſet tantum aqua calida lavari. Magna profecto mutatio,

*Lib. 25. cap. 5.*

*In comment. Svetonii.*

*Lib. 53. circa finem.*

tio, & digna medico, cui orbis propemodum univerſi fatum commiſſum erat. Nec enim contentus fuit Muſa refrigerantibus ad morbi ſedem, ſed imperatorium corpus, & valde debilitatum in frigida lavacra demiſit ad refrigerandum efficaciora remediis prius uſurpatis ad calefaciendum. Neque vero dubitari poſſe videtur utrum ſola regio jecinoris Cæſari frigida perfuſa fuerit, an totum corpus madefactum, ſi ſtemus Dionis verbis, qui ſcripſit Auguſtum frigidis potionibus, & lavationibus frigidis ſanatum eſſe; quæ vox *lavatio* uſurpata fuit a Tullio ad ſignificandum balneum, ſive lavacrum, in quo quis lavari commode poteſt, eademque ſignificatione de græco in latinum expreſſa fuit a Leunclavio Dionis interprete. Ergo arriſit exitus conſilio, & proſpere ceſſit Auguſto inventum Muſæ, ſed improſpere Marcello: unde Dio ſumpſit occaſionem ſugillandi curationem. *Verum enim vero*, inquit, *ut convinceretur hic Muſa opus fortunæ, fatique ſibi arrogaſſe, evenit paulo poſt, ut Marcellus ægrotans, eademque ratione a Muſa eodem curatus mortem obiret*. Utrum autem reparata ſalus Auguſti cauſis fortuitis debeatur, non remediis, an mors Marcelli, non ita facile judicari poteſt, uti viſum eſt Dioni. Si enim bona valetudo Auguſti accepta fato referenda eſt, cur eidem non aſcribenda mors Marcelli? Num igitur fatum felicium duntaxat eventuum cauſa eſt, medicus malorum? Injurioſe Dio fortunæ, fatique imperium cum medicis diviſit, quibus deteriorem partem tribuit. Si eventu conſilii ratio æſtimanda eſt, non minus morte Marcelli convincitur Muſa ſibi arrogaſſe quod fati fuit, quam Dio ſalute Auguſti injuſte judicaſſe de fato, & Muſa.

Ex remediis adhibitis Auguſto colligo in affectibus calidis jecoris ſummam curationis poſitam eſſe in alterantibus, hoc eſt refrigerantibus, quæ ſimul roborant mediocri adſtrictione, non in evacuantibus, in quibus eam non nulli collocant, aut ſaltem magnam curationis partem. *Lib.*11. *cap.*1. Riverius pro curatione calidæ intemperiei jecinoris multa proponit benigna purgantia biliofi *Lib.*3. *cap.*11. humoris ex intervallis repetenda; miraturque Alexander Maſſaria Avicennam, alioſque plurimos curationem calidæ hepatis exuperantiæ cum materia moliri per ſola alterantia omnibus evacuantibus prætermiſſis. Contra quos non pugno ut ab omnibus purgantibus abſtinendum ſit præſertim initio, ſed exiſtimo jecinoris fervorem ab calidis tenuibuſque ſuccis melius, & ſecurius curari per alterantia indicata, quam iteratis ſæpius purgantibus, quibus magis attenuantur humores, incaleſcunt, laxaturque afflictæ partis compago, cui adſtringentia convenire apud Galenum, alioſque Veteres in confeſſo eſt. Frigidum balneum non alia ratione profuit Auguſto, niſi vel conſtricta cute, ſubjectiſque roboratis viſceribus, ad extrudendos ſupervacuos calidos ſuccos, vel tantum hiſce refrigeratis; quem ſanationis modum arguit etiam uſus potionum refrigerantium, quæ adjuverunt externam refrigerationem. Vi- *Lib.*10. *Meth.c.*10. detur itaque ea ratione profuiſſe lavatio frigida Auguſto, qua Galenus eandem adminiſtrat hecticis ante maraſmum; quos demittit in calidum lavacrum, ſubinde in frigidum, ad quod credit corpus per calidum præparari, idemque nobis contingere frigidæ occurſu poſt calidam, quod ferro candenti, dum frigidæ immergitur.

CA-

# CAPUT XXII.

*De apparatu, delectuque doctrinæ ad methodum medendi conſequendam, exercendamque.*

MEdendi methodum cum Galeno in certa rerum cognitarum conſequentia, & collatione rationum collocavimus; ad quam proinde adipiſcendam feliciterque exercendam multos animatos video, paucos præparatos, eoſque ſolum, qui ſerio dialecticam coluerunt, iiſque diſputandis ſæpius incaluerunt, quæ licet tanquam ſupervacanea, inſulſaque ab Epicuri ſectatoribus longe, retroque ponantur, ingenium acuunt, vimque inſitam perficiunt, recte prompteque raciocinandi, captioſæque probabilitatis inſidias evadendi; quo nil magis neceſſarium medenti, qui ſæpenumero breviſſimo tempore ex ſola conjectura cogitur de capite deliberare. Quocirca meritiſſime Galenus ab hac diſciplina abdicavit ad raciocinandum parum exercitatos, logicæque rudes, eoſque temeritatis inſimulat, qui tractant decreta medica, & philoſophica ſine logicæ peritia, ſine qua, ut ait Tullius, neque genus, & ſpeciem cujuſque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes poſſumus, nec judicare, quæ vera, quæ falſa ſint, repugnantia videre, ambigua diſtinguere. Hac via inceſſerunt, qui ſummos apices medicinæ aſſecuti ſunt documentis, & uſu præſtantiſſimi, qualem palam eſt fuiſſe Galenum, & quamvis ejuſdem monumenta, a neotericis pleriſque negligantur, luculenter patefaciunt, quam egregius dialecticus, & philoſo-

*Lib. de Cauſ. Proceſſ.*

*In Oratore ad Brutum.*

loſophus fuerit; ſolaque tot annorum decurſu ab omnibus ſcholis exculta medicam praxim bene fortunarunt. Non eſt ſatis mirari, quanti olim habita fuerint Galeni ſucceſſoris Hippocratis dogmata, quanto plauſu excepta, quam laborioſe, diligenterque expoſita, quam conſtanter obſervata: quo tempore ſummopere viguit dialecticæ ſtudium, floruerunt que eximii philoſophi ſimul, & medici, uti liquet ex tot controverſiis docte, ſubtiliterque agitatis, quibus incitamur ad ſollertiſſimum rerum examen, & utiliſſima diſſerendi ratione exercemur. Plerique in præſentia perſuaſi quæſtiones, ideſt veri appetitiones ab Antiquis inſtitutas mentis curas inutiles eſſe, temporiſque jacturam ad rabulas ablegarunt, ſe ſeque totos ad ſenſum, & periclitationes converterunt philoſophiæ, ſive, ſi diſtincte loqui velint, phyſicæ *experimentalis* amore vehementer incenſi. Omne ſtudium, laborque, nova experimenta proponere, nova obſervare, eaque ſolum conſectari, complectique, quæ ſine laborioſa meditatione ſenſus obtrudit abditioribus, & difficilioribus relictis. Cum autem majores noſtri non adeo multa, ut deſiderium eſt, poſteris detegenda reliquerint, non raro imaginatione novitates cuduntur, novaque evulgantur experimenta, e quibus magis apparet, ut loquar cum Celſo idem animadvertente de miſtione medicaminum, quid ſibi quiſque perſuaſerit, quam quod evidenter compererit. Quid? Num convenit inter omnes de rebus obſervatis, & viſis? Num omnium ſenſus peræque fortunati fuerunt, licet peræque validi, diligenteſque? Imo alii cum Leevuenoechio aſſeverant ſe innumera animalcula in ſemine animantium vidiſſe, alii nulla cum Verheie-

nio;

nio; ſimiliterque res habet de ovis vivipararum, affirmantibus aliis ea ſe poſt coitum in utero diſſectarum animantium reperiſſe, aliis nunquam reperire potuiſſe vel omni adhibita navitate, pluribuſque poſt congreſſum diverſis temporibus inciſis animantibus. Non deſunt alia de aſpectabilibus ſimilia diſſidia. Itaque qui philoſophicas concertationes deſeruerunt, ne fruſtra mentem defatigarent operam ſuperfluis navando, imaginationem plurimis obſervationibus onerant, non paucis etiam falſis, quibus nil paratiores ad medendum evadunt, imo tardiores, hebetioreſque, nempe a ſenſibilibus diſtracti, quibus mens nimium addicta ſegnior eſt ad conjecturam, diverſarumque rationum comparationem adeo medentibus neceſſariam, maxime in diſſimilium morborum, & ſymptomatum complicatione. Accedit illud, plurium diſparatorum particularium notitiam experiundo partam difficulter memoria retineri poſſe, certeque multo difficilius, quam cohærentium, & ſe ſe conſequentium, in quibus ratiocinatio verſatur. Magnopere conqueritur Hippocrates de vitæ brevitate, de artis longitudine, quam multo longiorem reddunt, qui eam in plurimis experimentis memoriæ committendis reponunt brevi dilapſuris, neque interea præſidium ad medendum augentibus. Ac ſane quod majus incrementum medicinæ importarunt tot nupera experimenta, novaque ſtudiorum ratio, ut vetus deſerenda ſit? Quinam morbi Antiquitati inſuperabiles a Recentioribus ſuis inventis edomiti ſunt? An hi feliciores in medicatione epilepſiæ, cancri, lepræ, & quotidiani morbi podagræ? An reliquos morbos citius, & ſecurius curant? Quin vereor ne ſæpe in curationibus

mul-

multa peccentur propterea quod intemperanter ſenſuum miniſterio novitates conquiruntur, ſublime mentis exercitium prætermittitur. Quælibet ſimilitudinis umbra novis opinionibus inducendis ſufficit, deſideratam probabilitatem novitatis lenocinio ſupplente: quo excuſſis limitibus, intra quos per tot ſæcula medicina contenta fuerat, huc, illucque unuſquiſque pro arbitrio vagatur, neque ratione, neque auctoritate coercitus. Paucos admodum invenias, qui alterius ſcripta ſibi colenda proponat, & amplificet. Quicquid opinabile ab alio prius evulgatum eſt, fere negligitur, pudetque ducem ſequi non eſſe, atque inventoris gloria carere. Scribunt bene multi in præſens de medicina non dubitando, non intimis difficultatibus occurrendo, non rerum nexum, & conſequentiam nervoſe probando, ſed narrando, exponendoque, quæ in mentem inciderunt, hiſtorici potius, ſi vera dicerent, quam philoſophi, & medici. Hinc propemodum quotidie variat medicina theoretica pro diverſitate ſcriptorum, totaque commendatio editorum ab innovatis quæritur, non a firmitate doctrinæ, atque utilitate ægrotantium, qui certe plus debent repertoribus corticis peruviani, fugaciſque argenti uſus ad provocandam ſalivam, quam ſanguinis circuitus, ſucci, canaliſque pancreatici, vaſorum lymphaticorum, chili receptaculi, aliorumque reformatam anatomiam ditantium; quibus nova imaginandi facultas de cauſis morborum arrepta eſt, nulla nova, utiliorque inventa medicina. Non ideo accuſo ſtudium nova inveniendi tanquam inutile, neque contemno, aut parvi facio ſollertiam eorum qui primi abſcondita in apertum protulerunt, ea præſertim;

tim, quæ commodum aliquod humanæ vitæ pepererunt. Immoderata, & puerilis novitatum cupiditas, & perſecutio pernicioſa eſt, qua plures multum operæ, & laboris conferunt in res non neceſſarias, nec utiles fini medentium, dummodo novæ ſint, prima earum facie, quam ſenſus obtrudit, tenentur, & nihil ultra veſtigant; interim ſe ſe utilibus, & neceſſariis abdicant, videlicet a lectione priſcorum. Omnibus in rebus, inquit Tullius, neceſſitatis inventa antiquiora ſunt, quam voluptatis, quodve magis neceſſarium ſemper ante cognoſcitur: idque pariter in medicina eveniſſe reor, atque antiquitatem inveniſſe neceſſaria pro curationibus morborum; imo cum fuerit illa primæ origini vicinior par eſt credere, ut Tullius exiſtimat, uberiorem inde purioremque veritatem hauſiſſe. Quantum porro antiquitas accurata fuerit in morbis obſervandis ex ſolis prænotionibus, & prædictionibus Hippocratis abunde conſtat, inde certe collectis, quod initium affectionum, progreſſus, mutationes, exitus diligentiſſime inſpexerit, cunctaque in ægrotantibus apparentia perſpicaciter animadverterit; quibus tam copioſa, tam ampla prænoſcendi conſtituta ars eſt, ut fere nihil remanſerit addendum ad ea, quæ Senex tradidit de judiciis, & diebus decretoriis, in opere prorrethico, & prognoſtico. Mittamus Hippocratem, Galenum, alioſque medicinæ principes. Conſecuta ætate antequam longe lateque invaleſceret novandi libido plures floruerunt veteris doctrinæ hæredes, ſingulique emiſſis codicibus multo plus ſubſidii ad artem faciendam contulerunt; ſive tradita morborum indicia ſpectemus, ſive tempus, & occaſionem auxiliorum aliaque, quibus eorum cauta

*In Oratore.*

adminiſtratio continetur, quam bibliothecæ omnium propemodum recentiorum. Neque vero is ſum, qui contendam nupera ætate nihil utile medicinæ acceſſiſſe, nihil eſſe correctum: ſed arbitror plus inde deceſſiſſe, pluraque errata irrepſiſſe, atque in dies committi a quibus vetus doctrina negligitur. Quis, cedo, ex recentioribus priſcorum veſtigiis relictis, tot edidit, tamque ſalutaria documenta, quot Proſper Martianus ſervatis Seniſque monumentis evolutis? Quoties ingenioſas, nec vulgares animadverſiones ad medendum quæro, ſolidæque ratiocinationis fructum, Martianus mihi theſaurus eſt; qui, licet interpres ſit, non inventor, ſibi ſummam gloriam comparavit, uberrimam poſteris utilitatem. Nolo juremus in verba præceptorum, nolo immoremur prolixis, acerbiſque concertationibus olim habitis de interpretatione verborum Hippocratis, & Galeni, monente Tullio in diſputando non tam auctoritatis, quam rationis momenta quærenda eſſe. Præſtat tamen in medicina, ſententia Fuchſii, omnium diſciplinarum difficillima clariſſima ingenia, qualia ſapientiſſimorum hominum judicio fuerunt Hippocratis, & Galeni, duces eligere ad intimos artis receſſus penetrandos, quam eo tendere per novas, lubricaſque ſemitas ſine indice, ſine fulcimento. Illud etiam eorum ſectatores tutatur, & bene fortunat, quod non ſolum magiſtros habent omnium facile doctiſſimos, ſed horum dogmata tam longo temporis excurſu abs tot egregiis viris digeſta, explanata, totque rationibus locupletata fuere, ut copioſam, delectamque pro methodo ſupellectilem ſufficiant, qualem opinor acquiri non poſſe ex recenti doctrina, cujus expoliendæ, ſtabiliendæ

*Lib. 1. de nat. Deor.*

*In Epiſt. dedicat.*

dæ-

dæque defuit cultoribus tempus, imo ipſi cultores defuerunt, cujuſque ſtudia ab alterius inventis, placitiſque novitatum amore diſtrahente. Si poſt derelictas galenicas ſcholas, unam, eandemque omnes coluiſſent tradita documenta declarando, fulciendoque, deſiderata addendo, forſitan novam, planam, & certam ad eundem ſcopum viam adornaſſent. Enim vero cum fere omnes animum appulerint ad id, quod a nemine dictum fuerit, diverſoſque tramites iniverint, evenit ut multi ſint indicati, nullus complanatus, & perfectus. Non minus igitur temporis brevitate, quam varietate, & multiplicitate noſtræ ætatis excogitata, nondum ſatis illuſtrata ſunt, neque tam arcte inter ſe ſe colligata, & coaptata, ut ſingula univerſis, univerſaque ſingulis, media extremis, omnia omnibus reſpondeant, quæ concordia notionum requiritur ad artem condendam. Si perarduum eſt, ut ait Plinius, novis auctoritatem dare, quanto magis phyſicis natura ſua dubiis, & difficilibus adprobatu? Teſte Tullio nihil ſimul & inventum, & perfectum eſt; atque Horatii monitu, nil ſine magno vita labore dedit mortalibus. Unde unicuique in proclivi eſt colligere quam imperfecta ſint recens meditata, & inventa, quibus perficiendis non multorum, non diuturnus labor, & induſtria vacarunt. Nil igitur mirum brevi tempore tot recentes opiniones eſſe commutatas, & paulo poſt ortum occidiſſe. Nullum aptius, captuque facilius videbatur excogitatum ſanguinis fermentatione, cujus diverſitati exponendæ, aſſignandis cauſis, effectiſque Vvilliſius, aliique operam dedere, ut inde febrium, quas Veteres putridas appellabant, cauſam proximam

*In Proœmio Nat. Hiſt.*

*De claris oratorib.*

*Serm. Lib. 1.*

*De principio vitali.*

explosſa putredine clariorem producerent. Nunc bene multi cum Bohnio ſanguinem minime fermentari poſſe pluribus rationibus evincere conati, quicquid ab ejuſdem fermentatione oriri, quod late patebat, decretum fuerat, everterunt. Exibilatis quatuor facultatibus naturalibus, attrahenti, expellenti, retinenti, & concoquenti, quas Antiqui qualibet in parte nutritionis gratia collocant, fermenta ſubſtituta ſunt non multo poſt a Pitcarnio, aliiſque ridenda. Communi aſſenſu, plauſuque clarebat opinio peragi coctionem ciborum in ventriculo non ab calore potiſſimum, ut antiquitus putabatur, ſed a ſolutione facta per aculeos acidi, vel acris ſucci. At quandiu permanſit hujus inventi gloria non impetita? Extant non pauci, qui pugnant cibos in ventriculo atteri, molique viſcerum motu, non penetrari, ſolvique a fermento, quod obſervent inde non exedi, & perforari ventriculum, uti oporteret, ſi coctio fieret per diſſolventem ſuccum. Hanc ventriculi conſecuturam perforationem opponit Pitcarnius inventoribus fermenti tanquam cauſæ digeſtionis eduliorum in ventriculo: idemque auctor probans fluida ſeſe cuivis figuræ accommodari, orificia vaſorum, poroſque glandularum non differre inter ſe ſe figuris, ſed ſola figuræ amplitudine, diruit fulcimentum alterius placiti, quod longum tempus habiturum videbatur, ſcilicet diverſos, & particulares humores in glandulis ſecerni propter congruentiam inter figuram cribri, particulaſque ſecernendi humoris. Verum hæc multo minoris dignitatis ſunt, quam hominis in utero fabricatio, cujus explicandæ ratio eaſdem vices ſubivit, ac pleraque nupera reperta. Rejecta Veterum opi-

opinione, hominem ex ſemine virili, vel commiſtione utriuſque generari, ova introducta ſunt poſt fœcunditatem ab ſemine virili ſuſceptam ex teſticulis muliebribus in uterum decidentia, ibique fœtum expromentia, non abſimili modo, quo ex oviparарum ovis pulli efformantur, & excreſcunt. Statim ac prodiit in lucem hic hominis generandi modus, fere omnium ſuffragia promeritus eſt, creditumque nil clarius, & naturæ legibus magis conſonum inveniri poſſe. Veruntamen Leevuenhoechius pene ſenſuum terminos cryſtallo prætergreſſus in ſemine virili vermes detexit, & vidit, aut ſibi videre viſus eſt, reique, vel viſo confiſus refutatis ovis Harvæi unum ex tot puſillis animantibus in utero cum ſemine receptis caſu feliciorem humanæ formæ aſſumendæ deſtinavit. Hinc exorta lis eſt de ſenſibili, non de ſolo probabili, atque dubitatum, verane viſus obtruderet audacior cryſtallo factus. Ab iis vero, quibus in ſemine vermes occurrere, tam multa, tam lepida dicta ſunt de eorundem generatione, de numero, figura, uſu, mutatione, ut non immerito crediderim hæc audientem Democritum ingeminaturum riſum eſſe. O incredibiles ingenii humani viciſſitudines! Extitere philoſophi cyrenæi, qui ne maxime quidem luminoſis natura oculis fidem præſtiterunt. In præſentia ex litigioſo intuitu de altiſſimis arcanis judicatur, deſertiſque ſecurioribus naturæ præſidiis per ambiguas viſiones novitatum argumenta quæruntur. Longum eſſet omnium novarum opinionum celeres mutationes recenſere, e quibus tamen manifeſtum eſt, quam male fulta, quam propinqua ſint occaſui, quæ in lucem prodierunt, abs quo tempore effræ-

nis

nis omnia novandi cupido medicorum animos inceſſit poſthabito veteri ſpeculandi modo. Non pauci revera brevi tempore poſtquam ſua placita evulgarunt, jurisque publici fecerunt, plura ſuper addunt ad ea corrigenda, vel dilucidanda, & ſuſtinenda. Quippe qui ſuarum imaginationum prima ſpecie capti eas vix natas grandioribus typis conſignant, & meridianæ luci, in re tanti momenti ne id quidem obſervantes, quod Horatius Poetis præcepit ad edenda carmina.

*Vos o Popilius ſanguis carmen reprehendite,*
*Quod non multa dies, & multa litura coercuit, atque*
*Perfectum decies non caſtigavit ad unguem.*

Sed eſt antiquum medicinæ, ut novis opinionibus pateat, & quotidie mutetur. Mirum, ait Plinius, & indignum protinus ſubit, nullam artium inconſtantiorem fuiſſe, & etiamnum ſæpius mutari, cum ſit fructuoſior nulla. Hæc Plinius expendens, quonam modo exoluerint in medicinæ uſu, quæ tam parata, & pertinentia erant. Olim enim una cum dogmatis ipſa ratio medendi mutabatur, ut mutatio propter ipſum finem artis facta videretur. At in præſens, quod majoris levitatis videtur, ſolita, vulgarique retenta medicationis ratione, in dies nova excogitata nihil ad finem artis facientia emittuntur, hucque tota prope induſtria revolvitur. Miratur Plinius ſuis temporibus promptiorum medicaminum conſuetudinem exaruiſſe: quo nunc admirabilius eſt ex tot herbis ab Antiquis expertis, aliiſque plurimis a Neotericis cognitis tam paucas in uſum medicum venire. Vel igitur tot virtutes ſimplicium a Dioſcoride, Plinio, Galeno, aliiſque priſcis deſcriptæ imaginariæ ſunt;

*Lib.29. Natur. Hiſt. in proœmio.*

vel

vel fatendum eſt, veterem medicinam multo divitiorem fuiſſe hodierna experimentis, & remediis; quamvis hodierna tot, tamque variis opinationibus affluat.

Vidimus curſim multas novas opinationes extabuiſſe, idemque fatum timendum eſſe de ſubſtitutis. Pari nunc feſtinatione videndum, quibus armis Neoterici pugnent in veteres doctrinas, quas animadverto mutilas, & truncas nec bene perceptas ut plurimum impeti. Vetuſtiſſima opinio, ſanguinem quatuor humoribus, ideſt ſanguine proprie dicto, pituita, melancholia, & bile componi, a pluribus recentioribus contemnitur, refelliturque, ſed aſſumentibus eos humores ex Antiquorum decreto ſinceros in venis exiſtere, ſimileſque excrementis eodem nomine indigitatis. Verum attento, quod audiunt apud Antiquos hi humores, aut omnis contentio ceſſabit, aut erit de ſolo nomine. Sanguis proprie dictus, ut explicat Fernelius, eſt pars quæ tum ſubſtantiæ, tum qualitatum quadam mediocritate donatur; crudior, humidiorque pituita; craſſior, ſicciorque melancholia; tenuior, calidiorque bilioſa; hæque cunctæ partes ſinceræ non inſunt ſanguini, ſed probe commiſtæ, ut earum diverſitas inſenſilis evadat, diſſimileſque valde ſint excrementis, quæ nominibus iiſdem deſignantur. Quocirca eos vere nugari dixeris, qui admittentes in ſanguine partium diverſitatem copioſi ſunt in refutanda, quam Veteres indicarunt. Pluribus quoque una cum Helmontio ſtomachum movet putredo ſanguinis ab Antiquis conſtituta cauſa proxima febrium putridarum, quaſi crederent illi eodem modo putreſcere ſanguinem intra, extraque venas animantis; hucque referuntur argumenta præcipua Adverſario-

*De Humo. cap. 8.*

ſariorum, non ad germanam Antiquorum ſententiam, ut videre eſt apud Michaelem Herediam, docentem ſanguinem per putredinem habitu mutari, reddique molliorem, laxiorem, ſolutiorem, & quavis agitatione ſeparabilem, quo modo res omnis corrumpitur, ut appoſite Lucretius:

*In Sintagmate univerſali febrium.*

*Præterea quodcunque ſuis e finibus exit;*
*Continuo hoc mors eſt illius, quod fuit ante.*

Eas ipſas mutationes accidere ſanguini febricitantium etiam Recentiores affirmant, utque nova loquantur, non imputant putredini, ſed partium turbatæ miſtioni. Illud autem unice curationem moderari poteſt, ſcire, quomodo ſanguis in febribus alteretur, quomodocunque alteratio vocetur, quam tamen Heredias pluribus recentioribus brevius, & clarius explicavit. Hiſce mihi permiſſum ſit attexere Alphonſi Borelli nervoſius argumentum ad probandum non poſſe febrem accendi a putredine ſanguinis, ut credebant Antiqui, quod deſumit a pure pleuriticorum per urinas expurgato. Interdum, inquit, pus pleuritici apoſtematis per urinas excernitur, in quo caſu pus per pulmones ad ſiniſtrum cordis ventriculum perducitur, hincque intra aortam effunditur, ubi diviſum, hoc eſt, fere ad medietatem per ramum aſcendentem ad caput, & brachia diſpergitur, & per venas jugulares, & axillares denuo ad cor reducitur; reliqua vero pars per aortæ deſcendentis truncum diffunditur, ſubinde ingrediens arteriam renalem paulatim per renes expurgatur. Cum igitur totum pus unica vice non excernatur, ſed pluribus, ſequitur, ut reliquum colligatur a venis, & denuo per venam cavam una cum parte a capite, & brachiis deſcen-

*De animali œconomia part. 5. propoſit. 225.*

dente

dente ad dextrum cordis ventriculum defluat, inde ad pulmones diffuſum ſecunda vice una cum nova portione puris in pulmonibus ſtagnante ad ſiniſtrum cordis ventriculum reducatur, idque pluries contingat, cum in ſingulis circuitibus exigua pars puris amandetur. Quibus præmiſſis, ſubdit, quid quæſo magis coinquinatum, & putridum, quam pus pleuritidis? Hoc tamen fœdante, & inficiente ſanguineum fluentum, corque in ſingulis pulſationibus per dies, & horas laceſſente ſæpe nulla febris accenditur. Sanguinis igitur putredo non eſt cauſa febris. Quis tamen ex præmiſſis Borelli hanc conſecutionem concedat? Tota, meo judicio, argumentatio nititur hoc falſo aſſumpto, ſcilicet per admiſtionem puris ſanguinem vitium illud contrahere, quod Veteres pro cauſa febrium aſſignant, nec inde febrem creari. Nos damus, poſſe pus pleuriticorum immiſceri ſanguini ſine febris accenſione; negamus in eo caſu ſanguinem putreſcere. Ea valde diverſa ſunt, ſanguinem putreſcere, & aliquo excremento putrido permiſceri, parteſque Borelli erant probare a pure interjecto ſanguini putredinem communicari, de quo cum nullum verbum fecerit, intactam Priſcorum doctrinam reliquit, ſuæ imbecillitatem oſtendit. Porro captu difficile non eſt, a pure interfuſo ſanguinem non putrefieri, quod exigua ejuſdem portio in eum influit, imperfecte commiſcetur, & paucis partibus, citoque excernitur. Id etiam edomitum eſt a natura, neque tam acri, pravaque qualitate imbuitur, ut imaginatur Borellus, fidemque facit, quod tranſiens per pulmones, hos non lædit, ulceratque. Quod ſi Borellus vellet inferre ſanguinem putreſcere non poſſe,

nec eſſe cauſam febrium, quod a pure pleuriticorum non contrahit putredinem febris effectricem, non aliter argumentaretur, ac ſi ex uno bajulo impari ferendo ponderi centum librarum, concluderet nullum bajulum idem pondus ferre valere. Niſi enim pus pleuritidis cum ſanguine confuſum hunc ita vitiare poteſt, ut febrem concipiat, non deſunt aliæ cauſæ ad id aptiores, efficacioreſque. Satis de nova ſpeculatione Borelli. Nequeo mihi temperare, quo minus ex data opportunitate pergam oſtendere, quam injurioſe Recentiores agant cum Antiquis, quam debilibus armis inſtructi opponantur. Diximus pauca de cauſa febrium ex avitis placitis nuper oppugnata. Prætermittenda non eſt acerba Etmulleri animadverſio in priſcam febris definitionem, qui ait Antiquos in immenſum errorem prolapſos eſſe, quod febrem indiſcriminatim definiverint intemperiem calidam, docente experientia, ipſiſque adnotantibus Antiquis aliquas eſſe febres ſine calore adaucto, imo frigidas, de quibus mentionem faciunt Hippocrates, & Avicenna. Ergo, judice Etmullero cum aliis pluribus Neotericis, manifeſte graviſſimeque peccarunt Majores noſtri in definitionem febris, quod omnes cum Avicenna decreverint febrem eſſe calorem extraneum accenſum in corde, & inde fuſum in corpus univerſum &c. Miror autem tot egregios philoſophos, medicoſque ignoraſſe facilem, obviam, vulgatamque legem bonæ definitionis, qua conſtat eam ſolam eſſe, quæ ſoli, omnique convenit definito, ſi palam eſt plures febres vacuas eſſe calore. Tu quoque Ariſtoteles inventor Logicæ ignoraſti leges, quas condidiſti & exornaſti, qui febris eſſentiam ad caloris exupe-

*Cap. 1. de febr. in genere.*

*Lib. 4. Fen. 1. tract. 1. cap. 1.*

*Sec. 1. Problem. 20.*

perantiam revocaſti. Fatendum tamen eſt non ſemper calorem in univerſum corpus diffundi, ut advertit Galenus, qui ait febrem eſſe calorem accenſum vel in toto corpore, vel in pleriſque partibus, vel nobiliſſimis. Cum enim quædam ſint febres ex Antiquitatis conſenſu, in quibus interiora veluti uruntur, exteriora frigent, cujuſmodi ſunt leipyriæ, non dubie neceſſum erat, ut ſtatueret eſſentiam febris ab accenſione totius corporis neceſſario non pendere, ſed ſufficere vel pleraſque partes accendi, vel tantum principales. Quibus igitur argumentis probabunt Recentiores, affectiones, quas vocant frigidas febres, ſine adventitio calore fieri, & nihilo ſecius febris eſſentia donari, ſi aliquis de Antiquis id neget? Ut negantem convincant, oportet primo probent nullum eſſe calorem in exteriore corpore, nullum in interiore ne uno quidem gradu, vel magis exigua parte naturali intenſiorem. Quibus autem indiciis vacuitatem omnis caloris in partibus internis demonſtrabunt? Etmullerus ex pulſu nimium frequenti præternaturali aſſerit exacte febris præſentiam ſignificari, atque certius quam ab alia qualibet nota; ubi tamen frequentia non oritur ex cauſa manifeſta. Hæc tamen ipſa pulſus frequentia nimia prædicata ab Etmullero, aliiſque tanquam tutiſſimum febris indicium, pari, niſi fallor, efficacitate indicat calorem aliquem internum naturali majorem, & ſi foris non percipitur; ſi velimus uti progreſſu a notis ad ignota, in quo omnis ratio conſiſtit. Ira vehemens, effuſa lætitia, laborioſa corporis exercitatio, uberior potus vini generoſi, idque genus alia, uti compertum eſt, pulſum frequentem, celeremque reddunt, pariterque calorem in-

tendunt. Habent quoque juniores pulſum frequentem, hique magis, quibus præter ætatem temperatio calidi-
*Phyſic. part. 2. Quæſt. 1.* tatem auget. Unde vir nobiliſſimus apud Philoſophum burgondicum obſervat juventutem eſſe quandam continuam ebrietatem, febremque rationis. Num itaque immenſum delinqueret, qui ex pulſus frequentia a febribus, ut docent, inſeparabili colligeret calorem quoque inſeparabilem eſſe, eundemque cauſam arteriæ crebrius micantis? Cauſam frequentis, celeriſque pulſus Etmullerus aſſignat irritationi, quam clarius explicat Franciſcus Baile profeſſor toloſanus finiens febrem præternaturalem diſpoſitionem ſanguinis, quam acre aliquod exaltatum inducit, quæque pulſum frequentiorem efficit, & actiones naturales lædit. Cum autem nequeant acria ſanguinis exaltari, niſi perturbata miſtione, & majori, ut par eſt credere, facta inſenſibilium partium agitatione, unde ſolet calor gliſcere, profecto notandus non eſſet, qui concluderet inde calorem quadantenus auctum eſſe comitem individuum febris. Sed demus Adverſariis expoſita indicia, aliaque, quæ negotium obiter tractans prætermitto, non valere ad demonſtrandam præſentiam caloris in febribus. Quibus rationibus probabunt affectionem minime æſtuoſam inter febres recenſendam eſſe? Antiqui, ut docte advertit Galenus, febris eſſentiam ex quadam anticipatione naturæ, communique hominum conſenſu in calore collocarunt, hiſpanique in præſens febrem vocant proprio idiomate *calentura*. Hoc vero communi ſenſu derelicto, qua norma febris eſſentiam conſtituemus? Tota res erit ad arbitrium ficta, tota quæſtio de nomine. Itaque Veteres longe probabilius conſiderato gentium conſen-

ſen-

ſenſu ab ipſa natura exorto calori febris eſſentiam aſcripſere, quam ex eo recedentes Neoterici aliis excogitatis: quibus tamen non ſuccenſerem ſi rejecta priſca definitione febris meliorem cudiſſent. Etmullerus ſecutus fermentationis doctrinam definit febrem eſſe *actionem depravatam fermentationis maſſæ ſanguineæ, in qua totius maſſæ ſanguineæ craſis depravatur, unde toti corpori multa eveniunt incommoda*. Non peto a medicis definitiones exactas logicorum, ſed propius, quantum licet, ad eas accedentes, a quibus tamen longo diſtat intervallo expoſita. Permittit Etmullerus, ſi cui diſplicuerit ſuæ definitionis genus, *actio depravata*, huic ſubſtituatur intemperies, ſed differentiam intemperiei adnectendam generi etiamnum deſideramus, unde febris eſſentia circumſcribitur. Præterea in ſcorbuto vitiatur una cum craſi ſanguinis fermentatio, quæ nequit pro modo naturæ fieri illius corrupta craſi; multa pariter exercent ægrotantem incommoda: nihilotamen ſecius Riverius, aliique graves auctores a ſcorbuto febrem inſeparabilem eſſe non ſanciunt, imo nec ipſe Etmullerus. Quale igitur eſt vitium ſanguinis, in quo febris eſſentia conſiſtit, ſi vitioſa fermentatio, & incommoda corpori in aliis etiam nonnullis morbis reperitur? Sive minuitur, ſive augetur fermentatio, vitioſa eſt, quatenus recedit ab inſtituto naturæ, & utraque vitioſitas via eſt ad ſanguinis corruptionem: quare ex vitio indefinito fermentationis non exprimitur character febrilis. Verumtamen non ex humorum vitio, ſed partium ſolidarum deſumenda eſſentia febris eſt. Sanguinis depravatio, quomodocunque tandem explicetur, cauſa proxima febris eſt, quod inde præter naturam produci-

ducitur in partibus ſolidis, eſſentia febris; uti ſibi mirifice congruentes Antiqui ſtatuerunt, qui eam in calore extraneo ab humoribus impertito continentibus partibus poſuerunt. Cum enim febris omnium conſenſu ſit morbus, cujus natura eſt, ut primo, & per ſe actiones offendat, certe nequit febris tanquam morbus definiri, niſi ſedem habere in iis partibus intelligitur, a quibus functiones proficiſcuntur. Sine ſanguine & ſpiritibus nequeunt partes ſolidæ, inſtrumentaque ſuas exercere operationes, ſed harum cauſa proxima ſunt inſtrumenta, parteſque ſolidæ; ad quas propterea referenda eſt febris, ut morbus eſt, eſſentia. Qui aliter faciunt, finiuntque febrem actionem depravatam fermentationis ſanguinis, aut diſpoſitionem ab acribus exaltatis, aut tollunt diſtinctionem communem Veterum inter cauſam morbumque, aut febrem inter cauſas morbificas numerant, e numero morborum delent. Utrum vero hæc perturbare, & confundere, ut innovetur definitio febris, expediat, apud ipſos adverſarios judicium ſit; cum quibus plus fortaſſe temporis, quam requirebatur, poſui. Brevior tamen ero cum Vvilliſio, e quo pauca quidem, ſed lepida deguſtabo. Sententiam Avicennæ aliorumque veterum exibilat, lethargum produci ab apoſtemate frigido cerebri, quaſi foret idem velle frigus copulare cum apoſtemate atque ignem cum glacie. Ita igitur ridet Vvilliſius antiquos loquentes de frigido apoſtemate, ac ſi dicerent ignem glacialem, vel glaciem igneam, cum frigiditas ita aliena ſit ab apoſtemate, ſicut ab igne. Quid autem nomine frigidi apoſtematis Avicennam intellexiſſe putat Vvilliſius? Num abſolute frigidum, quodve caret

*Part.2. Pathalog. cap. 3.*

ret

ret omni calore, an comparate frigidum, quodve non excludit omnem calorem? Hæc erant diſtinguenda antequam igne glaciali, & ignea glacie luderet Vvilliſius, ne irridens irriſum promereret. Quis vero non perſpiciat Avicennam locutum eſſe de apoſtemate minus calido, genitoque a ſanguine pituitoſo? Palam eſt in diverſis temperaturis diverſam eſſe quoque ſanguinis naturam, atque in aliis calidiorem, tenuioremque, in aliis frigidiorem, & craſſiorem. Cum itaque apoſtemata oriri queant ab utroque ſanguine, certum pariter eſt, non omnia eſſe æqualiter calida, ſed ea calidiora, quæ parit calidior ſanguis, hiſque comparata frigidiora, ſeu minus calida, quæ frigidior ſanguis: quod tam in aperto poſitum eſt, ut nulli dubitationi pateat, multoque minus ludibrio Vvilliſii, cum præſertim expreſſe doceat Avicenna calidum apoſtema non ſolum generari ex materia cholerica, & ſanguinea, ſed ex quacunque materia, ſive calida ſit, ſive frigida, dum per putredinem incaleſcit. Alia ſimilia paſſim offendo argumenta, quibus Recentiores utuntur ad veterem doctrinam oppugnandam, quæ non attinet recenſere. Expoſita pro præſenti inſtituto ſatis declarant, quantum novitatum ſtudioſi incitati ſint, ac ſimul imparati ad Veteribus contradicendum, & horum dogmata non adeo male fulta eſſe, ſolidoque ratiocinio deſtituta, uti creduntur. Multo utilius, mea ſententia, laborem ſuum, operamque Recentiores impenderent avitis documentis non pervertendis, ſed, ſi lubet, exponendis congruenter ad phyſicam ſæcularem, ad reperta anatomica oculo, manuque teſtata, appoſiteque ad ea, quæ a ſinceris, accuratiſque viris obſervata ſunt in diſſectio-

nibus

nibus cadaverum egregie utilibus ad rectius judicandum de pluribus cauſis morborum, niſi ſanationis gratia, ſaltem præſagitionis. Fatendum eſt pleroſque affectus oriri a vitioſis qualitatibus humorum, quæ ſicuti difficulter conjectantur in explarato ſanguine viventium; ſic multo magis in demortuorum humoribus; neque exhibent certum argumentum præteritæ ægrotationis in remedium ſimilis futuræ. Morbi vero organici, quorum manifeſta indicia apparent in profectis cadaveribus, ſæpe in eorum decurſu fiunt, non efficienter præcedunt, & conſequuntur futuram mortem. Cum autem offenſa inſtrumenta morbos creant certis notis in cadaveribus inſpectis declaratos, quibus in poſterum ſimiles deprehendi poſſint, difficillime, aut nullo modo curationem recipiunt. Demus exercitatum in explorandis morbis, & cadaveribus incidendis ſibi comparaſſe ſigna, puta, interiorum varicum, aneuriſmatum, concretionum polypoſarum in magnis venis, arteriiſque enaſcentium, utque vocant, oſſificationum, quibus præſidiis hæc omnia curabit? Multo facilius facta noſcuntur, quam incipientia, factiſque, & confirmatis nulla ſupereſt ſpes ſalutis. Expedit tamen ea mature noſſe, ut incongruis medicamentis ægrotos minus exerceamus, ſpatium miſeræ vitæ, quibus hæc placet, protrahamus, medicaſque partes præſagitione tueamur. Porro novæ variæ, multipliceſque opiniones ab antiquis diſſidentes, imo inter ſe ſe diſcordes, arbitria potius, quam rationis inventa artem incertiorem, longiorem, minuſque vitæ brevitati accommodam efficiunt, ſuoſque amatores minus communitos ad medicum officium. Quocirca, ut rem totam in pauca

con-

concludam, ea ſtudiorum ratio, ea doctrina ad methodum medendi obtinendam, proſpereque exercendam magis conducit, quæ magis dialecticam ſapit, valet ratiocinio, certaque via ab initio ad finem uſque progreditur; quemadmodum de re medica tot clariſſimi antiqui ſcripſerunt, quos propterea rerum novandarum avidis anteponendos cenſui ſine duce palantibus, nec intra limites a logica circundatos, ſine qua illæ ipſæ obſervationes, experimentaque, de quibus adeo gloriantur, in errorem inducunt, non veritatis inveniendæ fundamenta jaciunt. Omnis exitus tentamenti ad ſuam cauſam revocandus eſt, quæ ſæpe latet variis accidentibus involuta, indigetque ſagaci ſpeculatione, & dialectica trutina, cujus contemptor Epicurus, teſte Tullio, in phyſicis plumbeus fuit, aut certe non valde acutus. Neque ſane alii melius novere, quam parum fidendum ſit experimentis, quam plurima experti. Robertus Boyle poſtquam omne ſtudium, operamque ſuam in experimenta molienda contulit, fatetur in tentaminibus phyſiologicis ſe de paucis *fidenter*, *experteque loqui audere*, inculcatque monitum de infido experimentorum ſucceſſu.

Sunt qui credant in præſentia omnem medicinæ perfectionem, & felicitatem ab matheſi pendere, nihil recte explicari, firmiterque probari poſſe, niſi adhibitis mathematicis demonſtrationibus, imo neminem eſſe medicum, in quem, ut dici ſolet, anima Euclidis non migraverit. Verum ſicuti merito Galenus eos caſtigat, qui logicis, & metaphyſicis quæſtionibus rem medicam involvunt; item non approbandi videntur qui in eandem mathematicam paſſim inducunt fortaſ-

Oo ſis

ſis ita perſuaſi, ſed vereor, ne potius oſtentatione facultatis in præſens non vulgatæ. Utcunque res habet, earum diſciplinarum permiſtio contra Majorum inſtitutum eſt, ipſamque rei naturam. Quis ex Medicinæ principibus eam ad formas geometricas retulit, licet eas calleret? Calluit Hippocrates, qui Theſſalum filium hortatur, ut Geometriam, & Arithmeticam diſcere pergat, earum utilitate propoſita. Num igitur in medicina tradenda uſus eſt mathematica ratione, & inde divini nomen promeruit? Nihil minus. Omnia, eademque abs tota poſteritate obſervanda ſine lineis, ſine figuris, ſimilique inſtructu pertractavit. Apprime matheſim tenuit Galenus, quam hauſerat a Patre Nicone ea facultate clariſſimo, qui tamen copioſiſſimam, univerſamque medicinam litteris, & immortalitati mandavit, abſtinuitque Euclide. Non defuere alii juniores, qui nuſquam matheſim medicinæ intruſerint, utraque diſciplina præſtantiſſimi. Sit inſtar omnium Joannes Fernelius nitore ſermonis, tulliana eloquentia medicinæ delicium, quem editi libri coſmotheorici mathematica excelluiſſe præclare teſtantur, reliqui philoſophia, & medicina: de quo ante paucos annos ab eximio oratore in idem argumentum mentio facta eſt ex mea animadverſione cum amicis communicata. Ergo vir ſcientiſſimus, & amator matheſeos, dum medicum inſtituit, non ſolum geometricas rationes minime oſtentat, ſed ita ſeponit, tanquam forent a medico alienæ, qui ne opticam quidem adhibuit ad exponendum modum naturalis viſionis, & vitia oculorum, qui nihil edidit in ſcriptis medicis, quod etiam Euclidis ignaris non pateret. Quid, quæſo, in cauſa fuit,

fuit, cur tam inſignes mathematici geometrico more rem medicam minime tractaverint? Nimirum id exequi peritis viris difficile non erat, ſi materiæ, artiſque ſini conſentaneum fuiſſet. Provoco ad Picum Mirandulam, qui in nongentis propoſitionibus Romæ diſputandis, illud etiam ſuſtinendum propoſuit, Modernos, qui de naturalibus mathematice diſputant, naturalis philoſophiæ fundamenta deſtruere; idemque conſtat in medicinam valere, quæ pars eſt philoſophiæ naturalis: quod Majorum conſenſu probatum vidimus, qui Æſculapio, non Euclidi litarunt. Non ideo mathematicæ utilitatem in controverſiam voco ad multa phyſica melius ediſcenda. Multa hiſce facultatibus communia ſunt, quæ ſine ambarum præſidio, perfecte nequeunt comprehendi, recteque ait philoſophus burgondicus naturalem philoſophiam ſine certis partibus matheſeos quoddam corpus eſſe nervis quidem adſtrictum, ſed ſtrigoſum & propemodum exangue. Eſt tamen diverſis ſcientiis diverſus modus ſua verſandi, quem ſervare oportet, genio cujuſque morigerari, nec ulli vim inferre, quodve proprium unius eſt alteri importune ingerere. Propriis & ſuis argumentis, & admonitionibus tractanda quæque res eſt. Ita concludit Tullius poſtquam animadvertit alium eſſe morem Geometrarum, alium Philoſophorum. Phyſica tota immergitur materiæ, rerum elementa, qualitates, cauſas, mutationes, differentias, ut natura exiſtunt, inveſtigat, nec utitur abſtractionibus, & precariis fundamentis. Contra Mathematica, quam Seneca vocat artem quaſi ſuperficiariam, ſolius quantitatis ſpeculatrix res extra ſenſibilem materiem conſiderat, eoque me-

*Phyſicæ generalis tract. 1. quæſt. 1.*

*Lib. 5. Tuſcu. quæſt.*

*Epiſt. 88.*

dium occupat locum inter phyſicam, & metaphyſicam: Quid igitur toto conatu traducetur matheſis ad medicinam? Quid unaquæque intra ſuos fines non retinebitur rerum natura præſcriptos non hominum arbitrio? Calleat utramque medicus, ſed non confundat, nilque peccet in matheſim rem ſuam agitans, ſed agitet ut medicus, non mathematicus. Timendum inſuper ne conſuetudo mathematicorum abſtrahendi mentem abducat a percipiendis particularibus, compoſitiſque ea ratione, qua medicus percipiat oportet, utque requirit praxeos felicitas, quam conamur per concretorum ſpeculationem, non abſtractorum, neque per quædam impetrata principia, ſine quibus, ut loquar cum Seneca, nequit mathematicus procedere. Atque hinc ortum putem, quod Fernelius poſtquam medicinæ exercendæ addictus eſt, ita eam conſcripſit, quaſi nihil pulveris mathematici collegiſſet, qui per exercitationem in conſiderandis particularibus ritu medicorum exuerat habitum mathematicum, noluitque ſuſceptæ provinciæ limitibus excedere, in alienam irrumpere. Enim vero Laurentius Bellinus clari nominis Neotericus etiam, quæ pertinent ad praxim euclidea formula inquiſivit, dum ita ſtudet invenire quantitatem emittendi ſanguinis viribus inoffenſis: *Dato maximo tempore, quo quis ſine alimenti ſumptione vivere poteſt ſine læſione virium, invenire maximam quantitatem ſanguinis, quæ pariter ſine læſione virium mitti poteſt.* Videamus, an exitus reſpondeat conatui. Prius aſſumit Bellinus datum tempus, quo quis vivere poteſt ſine cibo, & virium jactura eſſe, puta, triduum, deinde petit, ut notum ſit quantum diebus ſingulis tridui perſpiret; & cum ex ſtaticis conſtet die-

*Propoſit. 43.*

bus

bus ſingulis ſex libras circiter perſpirare, hanc ponit quantitatem perſpirationis; ex quo ſequitur perſpirationem ad finem tridui eſſe decem, & octo librarum; & eo aſſumpto, decem, & octo libras perſpirationis reparandas eſſe totidem libris ſanguinis, concludit per triduum illud quantitatem univerſi ſanguinis eſſe imminutam per octodecim libras abſque virium diſpendio, paremque quantitatem detrahi poſſe ſervatis intra latitudinem ſanitatis viribus. Multa tamen in hac argumentatione mihi dura videntur, nec inde demonſtrari, qua quantitate liceat medico ſanguinem adimere ſine virium jactura. Primo medicus nequit deſignare certum tempus, quo poſſit inedia tolerari, cum virium conſtantia variet pro diverſitate temperamentorum, tempeſtatum, aliorumque accidentium. Sed habeat hoc tempus Bellinus, ut expendatur vis demonſtrationis. Quod ait, conſtare ex ſtaticis ſingulis diebus ſex circiter libras in perſpiratu diſſipari, non approbatur a Sanctorio, qui quantitatem tranſpirationis metitur ad cibi, potuſque quantitatem, ut ſi cibus, & potus unius diei ſit ponderis octo librarum, tranſpiratio futura ſit quinque circiter. Rurſus idem Sanctorius obſervat in jejunis perſpirationem plus minus ad dimidiam minui. Quoniam igitur Bellinus inquit nihil facere ad demonſtrationem datam majorem, vel minorem quantitatem tranſpirationis, nos magis accedentes ad veritatem ponemus in jejunio viginti quatuor horarum tres libras, vel duas cum dimidia circiter evolare. Hæc porro data quantitas inſenſilis excretionis dicto tempore illæſis viribus, quo pacto, cedo, arguet certam quantitatem educendi ſanguinis

*Propoſit. 6. de Ponderatione.*

*De cibo, & potu. aphori. 2.*

per

per venam? Non alia quidem ratione, niſi aſſumendo totam materiam tranſpirationis a ſanguine duci, ut cenſuiſſe Bellinus videtur. Atqui ſatis apertum eſt non a ſolo ſanguine trahi, ſed abs toto corpore, a reliquiis ciborum, aliiſque in ventre contentis, neque ſolum utilia excerni per cutis meatus, ſed etiam inutilia. Incertum igitur eſt, quantum ſanguinis in perſpiratu unius diei conſumitur; & inde jacet computatio Bellini. Sed placet mathematici genio indulgere hoc tempore ſexdecim circiter uncias humorum in vaſis ſanguiferis contentorum in materiam perſpiratus abire. Hinc tamen nequit oſtendi certa quantitas effundendi ſanguinis ex vena cum virium incolumitate, niſi prius probetur ſanguinis imminutionem quomodocunque factam, ſive paulatim per cutis poros, ſive ſemel per venæ vulnerationem eodem modo ſe habere ad vires debilitandas; de quo, quod caput rerum eſt, nihil dictum a Bellino. Porro manifeſtum eſt, ex diverſo modo minuendi ſanguinis magis, vel minus vires notabili diverſitate infirmari. Pro certo habetur eandem ſanguinis quantitatem ex inciſa cute, uti fit in uſu cucurbitularum, manantem multo minus viribus infeſtam eſſe, quam ex amplo foramine baſilicæ. Potior autem militat ratio, cur minor copia ſanguinis detracti e vena magna magis corpus enervet, quam multo uberior per cutis meatus. Compingitur ex pluribus, diverſiſque partibus ſanguis, nec omnes conferunt æqualiter ad corporis robur, aliiſque minus partes aquoſæ; unde magna pars eſt inſenſilis excrementi, animadvertente Sanctorio parum, aut nihil perſpirare, quibus copioſior eſt urina potu, nimirum ad vias urinæ traducta materie, quæ diviſa, & atte-

*De Ponderat. propoſit. 94.*

& attenuata per extimos meatus effertur. Fortaſſis hæc non fugiſſent Bellinum, niſi tanquam mathematicus captus amore conficiendæ demonſtrationis abreptus eſſet ab conſideratione eorum, quæ medenti ſunt maxime neceſſaria. Quapropter ea demonſtratio videtur potius apta ad exercendum in ludo tyronum ingenium, quam ad uſum medicum, ad quem tutius procedimus diligenti, & probabili ratiocinio, quam ſimili modo facta, aut ficta demonſtratione. Quid autem ſuam argumentationem more potius mathematicorum, quam logicorum Bellinus expoſuit? An logico modo expoſita languidior fuiſſet? An logica deſiit eſſe inſtrumentum ſcientiarum? Ars unica eſt argumentandi, & iſtæc logicæ. At enim undique reſonant laudes methodi geometricæ, quæ, ut decantat Lanciſius, ſermonibus, ſcriptiſque noſtris ſummam perſpicuitatem infundit, patefacitque aditum ad naturæ arcana ſcrutanda. Vereor autem, ne commendatores methodi geometricæ ſoli formæ tribuant quod proprium eſt materiæ. Methodus geometrica, ut explicatur a Joanne Clerico, eſt ſynthetica, ſive compoſitoria, cujus quinque leges aſſignantur, duæ definitionum, totidem demonſtrationum, axiomatum una. Definitionum prima lex eſt. *Nullum vocabulum ſubobſcurum, aut ambiguum ſine definitione adhibere. 2. In definitionibus nullis vocabulis, niſi notiſſimæ ſignificationis, aut jam expoſitis uti.* Axiomata hac una lege continentur. *Nihil axiomatis inſtar, quod non ſit evidentiſſimum ſtatuere.* Demonſtrationum prima lex eſt. *Omnes propoſitiones ſubobſcuras probare, nec quicquam in iis demonſtrandis adhibere præter conſtitutas definitiones, axiomata conceſſa, propoſitiones jam demonſtratas,*

*De recta Medicorum ſtudiorum ratione. pag. 18.*

*Logicæ par. 3. de methodo cap. 9.*

*aut*

*aut conſtructionem figuræ, de qua agitur, aliquid ſimile faciendum contingit*. 2. *Nunquam abuti ambiguitatibus vocabulorum, iis non affingendo definitiones, quibus non explicantur*. Igitur contendunt, ut hac methodo phyſica tractentur inde lucem mutuatura. Miror tamen hanc lucem longe ante non eſſe diffuſam; cum ea methodus antiqua ſit, & vernacula Geometriæ non nuper excogitata, & affićta; cum tot eximii Geometræ ad res phyſicas animum appulerint, quas tamen ſua methodo nihilo clariores effecerunt, etiamnum deſiderantibus nobis claram, & apertam ſolutionem tot difficultatum obſtruentium multiplices quæſtiones de principiis rerum, de ſubſtantiis, de qualitatibus, de continuo, de functionibus animantium, aliiſque multis. Itaque vel geometrica methodus nihil conducit ad comparandam evidentiam phyſicis rebus; vel tot præſtantiſſimi Geometræ ea uti non potuerunt phyſica verſantes. Ac ſane ſi in phyſicis iſthæc methodus ſervanda eſt, ex iis perpauca nobis indaganda ſuperſunt; quandoquidem cavere nequimus, ut in geometricis, ab vocabulorum ambiguitate, caremus axiomatis evidentibus, & univerſe veris, nec omnia proxime ex iis colligimus, aut demonſtratis, ſed paſſim ex propoſitionibus tantum probabilibus, aut limitatis. Quapropter Joannes Clericus ingenuus veritatis ſcrutator, ut ſe profitetur, definite ſancit ordinem compoſitorium Geometrarum ſuis dotibus adornatum ſolum in hiſce rebus obſervari poſſe, quarum principia explorata, perſpectaque nobis ſunt, ſicuti geometrica, defletque irritos eorum conatus, qui ſyſtemata phyſica aggredi voluerunt. Uſus igitur methodi geometricæ non tam pen-

pendet ab induſtria geometrarum, quam a rebus ipſis clara luce micantibus, & intellectui propoſitis, qui nequit ſuis ſolis viribus ſimilem methodum exercere, in quibus parilem lucem non offendit. Atque commendare uſum methodi geometricæ in phyſicis nihil eſt aliud, quam fruſtra optare, ut phyſica ſint adæque clara, uti geometrica. Ex eadem evidentia oritur, ut Geometria, Arithmetica, aliæque mathematicæ partes, quæ a phyſica non pendent, poſſint ſine præſidio logicæ acquiri, ut arguit mos antiquorum matheſi pueros inſtituendi, antequam logicis præceptis imbuerent. Dirigitur enim intellectus in mathematicis a logica naturali, evidentique rerum conſecutione: atque licet mathematici ſuas conficientes demonſtrationes non intendant animum ad regulas dialecticæ, has tamen adamuſſim ſervant in ipſis rebus expreſſas. Verum ubi obſcuriora inveſtiganda, noſcendaque ſunt, ne decipiamur, ad logica præcepta convertimur, ſine quibus omnium conſenſu phyſica pro modo humani captus diſci perfecte nequeunt. Hoc ipſo fulcimento indigent ipſi Geometræ ubi ex propriis confiniis diſceſſerunt, ſuæque methodo valedicere coguntur iter facturi per ambiguas vias arcanæ naturæ, niſi malint utroque oculo carere, quam uno, omni luce, quam aliqua. Et hercule phyſica non extaret, non medicina rationalis, non tot probabiles veritates, ſi primi rerum commentatores morem Geometrarum obſervandum ſuſcepiſſent, qui nihil e re ſua exiſtimant, quod ita nequeunt demonſtrare, ut ineluctabili ſtet firmitate, nullique pateat refutationi. Carent evidentia geometrica, quæ acute graviterque diſſeruit

Pp Tul-

Tullius in academicis quæſtionibus, in tuſculanis, de finibus bonorum, & malorum, de natura deorum atque reliquis philoſophicis lucubrationibus. Num igitur deſpicienda, relinquendaque ſunt, tanquam inutilis cognitionum acervus, & mentis onus? Imo nihil uberius nobis tradidit Antiquitas ad mentem ditandam, beandamque. Hæc ipſa Tulliana ſua methodo tractare, ſi placet, mathematicus aggrediatur. Num lucidiora, certioraque reddet? Ante paucos annos extitere mathematici, qui ſuis finibus egreſſi ſe ſe in alienos contulerunt, ſpe rebus obſcuris claritatem comparandi, dubiis ambiguitatem tollendi. Qualis vero fuerit exitus, ab ipſis mathematicis, ne ulla ſuperſit præjudicii ſuſpicio, audiemus. Joannes Petrus de Croſa in Academia Lauſanenſi philoſophiæ, & matheſeos magni nominis profeſſor aſſerit methodo lemmatum, theorematum, & corollariorum frangi rerum ſeriem, neque vitari errores, in quos incidere creduntur, qui ab ea recedere auſi ſunt; idque inde confirmat, quia ſi ea methodus contra errorem tutiores præſtaret, metaphyſica argumenta Carteſianorum ad probandam exiſtentiam Dei ſub forma mathematicorum expoſita longe faciliora forent dijudicatu, quod contra eſſe teſtatur. Redeo ad Medicos recentiores, cum quibus aliquid negotii ſuperius habui, oſores, contemptoreſque controverſiarum, quas Valleſius, Daniel Senertus, Andreas Cæſalpinus Aretinus, Joannes Baptiſta Silvaticus, aliique plures doctiſſimi veteres paſſim agitant, dum ſubtilius in eſſentias morborum, cauſas, & ſymptomata inquirunt. Has inquiunt eſſe proprias rabularum e foro, medicum dedecere. Quid ita? Poteſtne

*In ſyſtemate logico part. 1. ſec. 3.*

ne

ne medicus inſtar Geometrarum duntaxat in certis, & evidentibus verſari, cætera declinare, quorum ſimplices ideæ, perſpicuæ definitiones, demonſtrationeſque impetrari nequeunt? Magna pars medicinæ ex conjectura conſtat, imo Clericus phyſicam ipſam, e qua tot medicina deſumit, artem conjecturalem vocat. Neque vero melius inſtruitur intellectus arte conjiciendi, quam evoluendis acutis diſputationibus, quibus mens expolitur, & rationem dubitandi nanciſcitur, magnum ad veritatem apparatum. Quapropter nihil judico pernicioſius eſſe juventuti, quam ſi abſque controverſiis inſtituitur, & a præceptore hiſtorici morem gerente, non philoſophi. Laborioſa eſt ſubtilis, & litigioſa ſpeculatio; cui niſi aſſueſcit juventus, non præmunitur, ut opus eſt, ad obſcuras morborum cauſas, ambiguaque ſymptomata perſcrutanda, aliaque ex aliis recte breviſſimoque tempore colligenda, dum ægrotantem contemplabitur. Quemadmodum corpus ad quoſdam difficiles, & laborioſos motus ſine moleſtia, promptеque edendos aſſuetudine præparatur; itidem mens exercitatione in controverſiis facultatem acquirit ad ſimiles nodos ad pulvinar ægroti expedite ſolvendos, ſive ſimiles motus obeundos, docente Tullio rationem eſſe quendam ingenii motum. Atque non injuria exiſtimaverim multos philoſophicis concertationibus tanquam inutilibus renunciaſſe, vel faſtidioſos laboris in eis agitandis, vel inſtrumentis carentes, quibus perite agitantur. Timidus, utar animadverſione Hippocratis, fortitudinem accuſat, avarus magnanimitatem, *& unuſquiſque ex his, quæ ipſe non habet, judicat id, quod in alio abundat, ſuperfluum eſſe.* Contempſit, & irriſit

*Lib. 4. de fini.*

*In Epiſtola ad Dionyſium.*

Dialecticam Epicurus, quod in ea, ut habemus ex Tullio, plane inermis eſſet, & nudus. Cæterum cum quis in arte multum, & ætate proceſſit, vacet, ſi lubet, a ſpinoſis commentationibus, fruatur penu ſuo, animumque conjiciat in plana, & extricata, quæque propius ad uſum, & ſenſum accedunt. At vigentibus annis ſe ſe frequenter exerceat controverſis, implexiſque problematis non pœnitendo conatu excutiendis, & probabilibus rationibus conquirendis. Optabilior eſt plurium rerum non omnino certa cognitio, quam earundem ignoratio; atque Geometræ, qui ſolum indubitata quærunt, intra anguſtiſſimum ſpatium continentur, & pauca noſſe contenti ſunt; idemque accidet medico, qui relicta opinione ſolam evidentiam ſequetur, quam ipſam abſque prædicta exercitatione multo rarius conſequetur.

A P-

# APPENDIX
## METHODI MEDENDI.

### *DE NATURA MORBI.*

GAlenus in opere inſcripto de methodo medendi hanc operis initio non auſpicatur, ſed prius ſuorum temporum ignaviam ad bonas artes capeſſendas improbat, in Theſſalum ſectæ methodicæ principem acerrime invehitur, deque morbi definitione adverſus veteres medicos diſceptat; quem poſt noſtram tractationem de methodo medendi, quadantenus imitabimur, idque in calce operis brevi exequemur, quod Galenus in principio, oblata occaſione a Dominico Gulielmini clariſſimo profeſſore Patavino, qui paulo antequam fatis concederet, edidit exercitationem de Idearum vitiis, correctione, & uſu ad ſtatuendam, & inquirendam morborum naturam, qua Veteribus diem dicit, enititurque galenicam morbi definitionem funditus evertere, novamque ſtabilire. Hanc igitur ad calculum reducere mens eſt, diligenterque penſitare quid hæ novæ commentationes utilitatis afferant ad veriorem, ſolidioremque morbi eſſentiam conſtituendam; utrum præſtent Galeni documentis, an ſecus, ut mihi videtur; qui cenſeo totam de morbi natura veterum perturbatam, & obſcuratam doctrinam, nullam clariorem, utilioremque productam

ctam fuiſſe. Tota tamen contentio fiet non vincendi ſtudio, ſed ſolius veritatis demonſtrandæ, cujus cum peræque cupidum Collegam doctiſſimum noverim, pro certo habeo non ægre id eſſe laturum, niſi acerba fata noſtræ Academiæ eripuiſſent. Hæc eſt philoſophi con-
Lib. 2. ditio, ut Tullius in Tuſculanis ajebat, ut & refellere ſine pertinacia, & refelli ſine iracundia paratus ſit. Si fas Recentioribus Majorum ſententias ſacra antiquitate, & diuturno plurimorum aſſenſu commendatas ad arbitrium reprehendere, quanto magis mihi licebit propugnare, novaque non ſatis explorata, & confirmata in diſcrimen vocare?

Opus orditur Gulielminus ab correctione univerſali, ut ait, idearum rerum, ſubinde converſo ſermone ad morbos, & præmiſſa ſanitatis definitione multiplices conſtituit ideas morborum, logicam, phyſicam, medicam; poſtremo non nulla tradit de methodo cauſarum inquirendarum, & morbos ſecundum nomen determinandi. Reliquis dimiſſis ſolum perpendam quæ attinent ad morbi eſſentiam ſtabiliendam, quæ caput operis eſt, & majoris momenti. Primum igitur ſani-
Pag. 44. 45. tatis vulgarem ideam carpit affirmans *ex vulgi ignorantia factum eſſe, ut ad ſtatuendum ſani corporis ſtatum non univerſum complexum aut potentiarum, aut actionum adhibuerit, ſed illas tantum potentias, quæ referuntur ad actiones magis manifeſtas*; quam propterea tanquam mutilam, & truncam rejicit, decernitque ſtatum corporis ſanum illum vocari, & eſſe, *in quo omnes potentiæ humano corpori debitæ ſecundum naturam ſe habuerint*. Quæ correctio mihi minus arridet, quam quod correctione dignum exiſtimat. Cujuſque rei, ut ab Ariſtote-

ſtotele docemur, multiplex eſt quæſtio. Aliquando quærimus utrum res ſit, alias quid ſit, quotve ejuſdem rei ſunt quæſita, tot etiam ſunt quæ ſciri poſſunt. Vulgus perfectam habet utramque cognitionem, qui interrogatus utrum valeat, affirmando reſpondebit, quando corporis miniſterio ad ſuas functiones obeundas alacriter uti poterit. Ergo conſtat vulgum cognoſcere quid ſignificetur nomine ſanitatis, & utrum ſanus ſit, atque Galenus ab hac communi notione ſanitatis, & morbi ſumit initium inveſtigationis de natura morbi. Quid autem in hiſce cognitionibus diſplicet Collegæ? Utramque reprobat, dum ait *dari aliquos, qui ad omnes functiones vulgo notas ſat recte ſe habent, & tamen ſani non ſunt, eo quod aliqua ex internis potentiis in debito ſtatu non ſit, quemadmodum frequenter contingit in Ictero, Palpitatione cordis &c.* Verum non indicavit, quænam ſint operationes vitæ vulgo notæ, quænam ignotæ. Quare quotieſcunque Titirum percontabor de ſanitate, & hac frui aſſeveret, non temere judicabo nullam ex potentiis internis lædi, ideoque nullam operationem, ſive nota ſit, ſive ignota. Siquidem læſa quacunque actione corporis Titirus neceſſario percipiet offenſam, ſi mente conſtat, atque interroganti de ſanitate reſpondebit ſe vel toto corpore, vel aliqua parte non bene habere. Itaque vel opus eſt ut Collega aſſignet aliquam operationem vitæ neceſſariam, qua vitiata nullum inde percipitur incommodum, vel fateatur judicium, quod vulgus habet de ſanitate ratum ſemper, & firmum eſſe. Quod autem proponit de icteritia, & cordis palpitatione, ſi bene percipio, in ipſum aperte pugnat. Quis enim laboret ex cordis palpitatione;

*Lib. 1. poſter. analytic. cap. 1.*

*Lib. 1. Meth. cap. 5.*

ne, & afferat ea ſe parte ſanum eſſe? Quinimmo noxam aliquam inde totum corpus perſentiet. Corde palpitante neque tandiu, neque omnes, neque priſtino robore conſuetæ operationes exerceri queunt. Idem accidit ictteritia correpto, quam comitantur error oculorum res alieno colore ſuffectas exhibentium, triſtitia, & id genus alia ſolitis functionibus incommoda; quæ aliquiſpiam perſentiens nunquam aſſeverabit ſe integram ſanitatem poſſidere. Si tamen Gulielmino placet, demus fallax eſſe ſanitatis vulgare judicium. Quo pacto corrigetur? Statum corporis ſanum illum eſſe definivit, in quo omnes potentiæ humano corpori debitæ ſecundum naturam ſe habuerint; quæ tamen correctio pertinet ad agnitionem, *quid eſt ſanitas*, non ad illam, qua vulgus cognoſcit ſe eſſe ſanum. Nempe, licet ſcirem ſtatum corporis ſanum eſſe, quem ſtatuit Collega, tamen mihi deſunt indicia, quibus poſſim aſſerere meas potentias ſecundum naturam habere. Cum igitur indicia vulgaribus tutiora non tradiderit Collega, ſtandum eſt ipſius naturæ voci, hoc eſt confeſſæ vulgo notioni de ſanitate, ut tunc quivis vere ſe ſanum judicet, cum illæſas ſuas edit functiones. Revera ipſe Collega poſtquam decrevit ideam ſanitatis eſſe omnium potentiarum, quæ humano corpori debentur, congruentem naturæ ſtatum, in eadem pagina paulo infra inquit ſtatum ſanum rerum omnium dici, qui eſt comparatus ad actiones ſibi deſtinatas, quo luculenter confirmat veriſſimum eſſe de ſanitate judicium ex alacritate ad deſtinatas functiones deſumptum. Fruſtra vero ſubderet aliquam actionem deſtinatam exiſtere, quæ non cognoſcitur a vulgo, neque proinde

poſſe

poſſe rectam ſententiam ferri de ſanitate, quod notæ functiones perficiantur. Quamvis enim vulgus non cognoſceret omnes operationes vitæ, ſicuti cognoſcuntur a Collega, tamen earum offenſam eodem modo percipiet, ex qua non poterit ſe ſe valere teſtari.

Præter hanc correctionem vulgaris notionis de ſanitate aliam tradit ſanitatis definitionem, & ait *ſanitatem in abſtracto eſſe potentiam cujuſcunque ſubjecti ad actiones ſibi deſtinatas*. Hinc duplicem decernit ideam ſanitatis, unam in abſtracto jam traditam, alteram in concreto, quæ ut habeatur, inquit opus eſſe, ut conſtet quot ſint actiones, quæ ſingularum eſſentia, quinam ſint cujuſque gradus cum ſanitate congruentes &c. Poſtea multis enumeratis, quæ requiruntur ad intime noſcendam ſanitatis naturam in concreto ita concludit. *Quod ſi ex his omnibus rite cognitis ea ratione, qua in quolibet homine eſſe oportet, & juxta naturæ intentionem agere poſſit, una, ſi tamen fieri poteſt, idea componatur, hæc quam ſimillime ſanitatem in concreto repræſentabit*. Porro aſſerit *quod ſi quis cauſas, conditiones, circumſtantias &c. magis ſpecifice determinaret ad compoſitionem, ſtructuram, magnitudinem, figuram, ſitum, libertatem, connexionem &c. partium ſolidarum &c. plus accederet ad abſtractum, & removeretur a concreto in definienda ſanitate*; quæ omnia clarius elata optarem. Etenim in earum rerum cognitione, qua inquit componi ſanitatis ideam in concreto, alibi credit fieri receſſum a concreto, ſi magis ſpecifice conſiderentur. Quod latius acceptum præbet ſanitatis ideam in concreto, multo magis præbebit contracte conſideratum. Affirmat præterea poſt perceptam legitimam phyſiologiam haberi poſſe ſanita-

*Pag.* 47. *Pag.* 56. *Pag.* 57. *Pag.* 56. *Pag.* 57. *Pag.* 58.

tis ideam in concreto per omnia conſimilem illi, quæ in homine reperitur; quod poſtea in dubium vertit
Pag. 56. aſſerens ideam ſanitatis in concreto obtineri non poſſe, niſi ex cognitione eorum, quæ docentur a phyſiologia, componatur una idea; de qua tamen dubitat vere ne componi poſſit. Quid igitur intelligendum erit nomine ſanitatis in concreto, ſi nihil ſpeciatim determinavit, nihil certi protulit, ſi adhuc pendet animi? Neque forſan facilius eſt intellectu cur finiens ſanitatem potentiam cujuſcunque ſubjecti ad actiones ſibi deſtinatas, hanc finitionem appellet ſanitatis in abſtracto. Credidiſſem ſanitatem in abſtracto eſſe ſanitatem abs quocunque ſubjecto avulſam, ut in hac voce *ſanitas*; & ideo ſanitatem in concreto eſſe quando in ſubjecto tantum, aut ſpeciali ſubjecto conſideratur, ut cum dico ſanum, vel ſanum hominem, aut brutum; ſed quidpiam valde diverſum mente agitat Gulielminus. Si enim abſtractum vocaret formam ut ſejunctam a ſubjecto, & concretum quod ex ſubjecto, & forma componitur, ſtatuta definitione ſanitatis in abſtracto, evidens eſſet etiam definitio ejuſdem in concreto, quæ ſolum dif-
Pag. 57. ferret ab abſtracta, uti ſanitas a ſano; attamen inquit non poſſe comprehendi ideam ſanitatis in concreto niſi longa enarratione totam œconomiam animalem complectente. Vereor autem, ne cognitionem totius ſubjecti ſani cum definitione ſanitatis confundat. Illa per totam phyſiologiam exponi petit, hæc brevi oratione concludi. Nempe medicus percepta phyſiologia illud ultimum conſiderat, per quod homo dicitur ſanus, & paucis definit; uti fecit Galenus ſtatuens ſanitatem eſſe
Lib. 1. Meth. cap. 9. affectum, conſtitutionemque partium, cujus ope functio-

ctiones ſecundum naturam edimus, quæ definitio reſpondet communi hominum notioni de præſentia ſanitatis, tam clara, rebuſque medicis accommodata, ut nullam lituram patiatur. Morbus igitur, qui ſanitati opponitur in eodem genere, erit, ut pariter definitur a Galeno, affectus, conſtitutioque partium actionibus ſecundum naturam edendis incommoda; cui non acquieſcens Gulielminus, poſtquam multa cumulavit ad determinandum ſtatum corporis ſani, gradum facit ad morboſum, refellitque neutrum, quem ait per ignaviam, aut ſubtilitatem metaphyſicam confictum eſſe. Quinimmo, repono, ſtatum neutrum negare aut metaphyſici eſt, aut medici munere ſuo abutentis. Inter morbum, & ſanitatem, ſi metaphyſica conſiderantur ratione ad puras putas rerum eſſentias, & habitudines reſpiciente, nihil prorſus intercedit, ut communiter adnotant auctores. Medicus autem, qui omnia ſua excogitata ad uſum curandorum ægrotantium moderatur, neque metaphyſicis legibus obſtringitur, ſtatum neutrum adinvenit, quo expeditius non abſolutam ſanitatem, brevemque a ſanitate receſſum ſignificaret. Hinc etiam clariorem ordinem univerſa medicina nacta eſt, dum ſeorſum quæ ſanitati tuendæ, depellendis morbis, & neutri conditioni conveniunt, proponit. Aliter enim tractandi ſunt morbo detenti, ac neutro ſtatu. Plura ſubderem, niſi multo ante negocium confectum eſſet ab Horatio Augenio, qui fuſe probat ſtatum neutrum ſecundum eſſentiam repugnare, ſed utiliter a medico ad uſum omnia dirigente, deſignatum eſſe. Videndum igitur, num utiliorem correctionem afferat Gulielminus de ſtatu morboſo. Hunc *Epiſt. 1. tom. 3.*

Pag. 46. eſſe inquit, *in quo non omnes, & ſingulæ potentiæ humani corporis ſe habent ſecundum naturam*, & morbum
Pag. 48. definit impotentiam humani corporis ad actionem, ſecundum naturam, quam definitionem logicam vocat, & ſecundum nominis acceptionem. Sit hæc logica morbi definitio, quam expendere non vacat. Nec enim neceſſaria eſt medico, neque aptior Galenica, quæ morbi dilucide naturam exprimit congruenter ad communem hominum conſenſum, atque medici officium. Cum autem Gulielminus paulo infra hæc habeat: *Jam vero quoniam a definitionibus noſtris non*
Pag. 51. *alium poſtulamus, quam rectum uſum nominis tum ſanitatis, tum morbi, ad quem ſufficit idea certa, clara, in qua omnes homines conſentiant*, cur galenicam ſanitatis, & morbi definitionem minime retinuit, coluitque hiſce dotibus præditam? Quid opus eſt medico ad externa confugere, logicam definitionem interponere, quando vernacula maxime appoſita eſt, clariorque extranea? Miror etiam ſe ſe modo Collegam ad notionem popularem ſanitatis, & morbi accommodare, de qua
Pag. 44. ita ſenſerat: *Quæ tamen idea non videtur ex integro ſtatum corporis ſani repræſentare, ſed ex parte tantum, aut potius componi ex criterio, per quod corpus ſanum exiſtimatur non raro etiam fallaci.*

Pag. 62. Præmiſſa logica morbi definitione phyſicam tradit, ſancitque *morbum eſſe vitium, ſeu defectum in conditionibus, a quibus actiones in ſingulis corporis partibus ſecundum naturam conſervantur*. Primum adnotandum eſt facultates in noſtris corporibus conſervari, non functiones, quæ ſunt in motu poſitæ, fluxæque. Deinde vel hoc vitium eſt in omnibus conditionibus ad functio-

nem,

nem, vel ſolum in aliquibus. Si dicat in omnibus eſſe, inde refellitur, quod ad functionem alicujus partis requiritur certus ſpirituum affluxus, quo præſente poteſt functio aliunde vitiari, ideoque vel aliqua conditione non vitiata morbus adeſſe. Non omnium igitur conditionum vitium morbus eſt, ſed aliquarum, quæ aliqua ratione determinandæ erant; ut definitio clara foret, & ſoli definito congrueret. Etenim juxta graviores pleroſque auctores vitium humorum morbus non eſt in ſtricta morbi ſignificatione, & tamen humores conditiones ſunt ad plures actiones obeundas, ſicut ad probam nutritionem. Quin etiam hæc definitio morbo conveniat oportet aut preſſius accepto, quatenus diſtinguitur a cauſa, & ſymptomate, vel latius, ut quiddam eſt præter naturam. Neutri tamen convenit ſignificationi. Non primæ; quoniam non ſecernit morbum ab cauſa morbi. Interior etiam cauſa morbi eſt vitium in conditionibus, quæ operationibus naturæ convenienter efficiendis conducunt. Sin autem morbus tantum conſiſtit in offenſa earum conditionum, quarum ſignificationem ad rem peculiarem non contraxit Gulielminus, non minus morbus erit ulcus pulmonum, quam ejus cauſa ſanguis acrior, qui probus operationibus ad legem naturæ edendis neceſſarius eſt. Pariter ea definitio non congruit alteri morbi acceptioni, in qua morbus dicitur, quicquid præter naturam noſtris corporibus ineſt, non complectens ſymptoma in læſa actione, quæ certe non eſt vitium conditionum ad actionem. Quemadmodum diſtinguitur conditio a re, cujus eſt conditio; ita aliud eſt vitium conditionis, aliud actionis. Porro videtur So-

cius

cius hanc diſtinctionem inter morbi cauſam, morbum, & ſymptoma inutilem cenſere, dum inquit. *Verumtamen hæc diſtinctio in noſtro progreſſu nequaquam neceſſaria eſt, cum ex filo ratiocinationis ſponte fluat.* Enim vero ſi hæc diſtinctio fluit ex filo ratiocinationis, reapſe illa tria diſtincta ſunt. Quare igitur ſeorſum non collocanda? Ut diſtincta non adnotanda, & definienda? Cur communi definitioni cauſæ morbus implicabitur? Nihil utilius, nihil doctrinæ perſpicuitati magis neceſſarium, quam a Galeno non tentata, ut ait Collega, ſed abſoluta diſtinctio rerum præter naturam in cauſam morbi, morbum, & ſymptoma, & grates quam plurimæ tanto auctori habendæ, quod apte ſingula deſcripſerit, neque definitione confuderit, quæ natura diſcreverat, quæ omnia ſine recenti correctione retinenda ſunt, niſi Gulielminus in tertia idea morbi, quam medicam appellat, elaboratiora protuliſſet. *Cum igitur*, inquit, *diverſitas finis aliud, atque aliud expoſcat in determinatione naturæ rerum, patet eſſentiam morbi medicam aliud quid eſſe a logica, & phyſica, ideoque ſicuti prima conſiſtit in prædicatis eſſentialibus, ex quibus coaleſcit idea, quam habent omnes homines de morbo, phyſica vero in cauſa reali tribuente fundamentum prædicatis eiſdem; ita medica petit determinationem cauſæ morbificæ, per quam morbi ad ſuam quique ſpeciem reducuntur.* Mihi tamen non ita perſpectum eſt, uti Collegæ, ex diverſitate finis diverſo modo determinandas eſſe naturas rerum, quæ ſuam habent ingenitam diverſitatem, neque a diverſis conſiderationibus mutabilem. Illud plane ſcio, a philoſophis rerum eſſentiam in phyſicam, & metaphyſicam dividi, duplicemque propterea tradi poſſe

Pag. 65.
Pag. 82.

poſſe ejuſdem rei, exempli gratia, hominis definitionem, phyſicam, & metaphyſicam. Utraque tamen eadem reapſe eſſentiam attingit, tam phyſica dicens hominem eſſe compoſitum ex corpore, & anima rationali, quam metaphyſica eſſe animal rationale, & ſolum hæ duæ definitiones differunt ex diverſo phyſicæ, & metaphyſicæ tendendi modo. At Collega triplicem facit eſſentiam morbi logicam, phyſicam, & medicam, quodve recentiſſimum eſt, medicam eſſentiam deſumendam eſſe ab cauſa morbifica ſpeciali contendit. Unaquæque res conſtituitur in certa ſpecie a propria eſſentia, non a cauſa, ſi Collega efficientem intelligit; ac licet quædam definitiones fiant etiam per eam cauſam, quando tamen ſuppetit idonea, claraque per eſſentiam definitio, hæc a medico omittenda non eſt, qui rectius ſuam tradit artem, ſi deſignat eſſentiam morbi per intrinſeca prædicata, quibus poſitis intelligitur res eſſe, & ſeparatim cauſam effectricem determinat; qua diſtinctione cognoſcit utrum remota cauſa aliud quidpiam depellendum ſuperſit. Verum Gulielminus hanc diſtinctionem in phyſica opportunam judicat, commendatque, reprobat in medicina asserens *determinationem ejus, quod inter cauſas internas morbi obtinet rationem fortaſſe in phyſica plurimum inſervire ad rerum confuſionem evitandam, in arte tamen medica omnino fatuam eſſe*. *Pag.* 75. Ergone quod in phyſica ordinis perſpicuitatem præſtat, & rite ſingula diſponit, in medicina fatuum erit? Credo apud Empiricos, qui externum apparatum morborum, non interiorem proſequuntur, neque ſingula ad propriam cauſam referunt, ſpeciemque. At medicus rationalis, cujus partes ſunt prius cauſis, & effectibus

opti-

optime cognitis, & diſcretis ad opus progredi, neceſſario phyſicam diſtinctionem rerum retinebit in medicina. In phyſiologia multa profecto perpenduntur, multæ traduntur notiones, quæ proxime non faciunt ad morbos ſubigendos, quas nemo fatuas eſſe arbitratur, atque prætermittendas, imo virtus eſt, ut vidimus ex Tullio, perſpicere quid in quaque re verum, ſincerumque ſit, quid conſentaneum cuique, quid conſequens, ex quo quæque gignantur, quæ cujuſque rei ſit cauſa. Quapropter ſi quid eſt, quod inter cauſas internas morbi rationem obtinet, atque ab aliis cauſis diſcernitur, a medico determinandum erit, ejuſque adnotandum diſcrimen. At nullius eſt uſus, inquit, in morborum medicatione. Eſto. Etiam Galenus ait neque obeſſe, neque prodeſſe ad curationem, ſi quis affectum, unde labefactatur actio, morbum, ſive morbi cauſam appellare velit, ſicuti ægrotanti non officiet, qui eum Theonem, aut Dionem vocet. Attamen ſubdit alterum edocenti quæ ipſe tenet, propriis nominibus utendum eſſe. Quanto igitur magis fas erit medicas inſtitutiones edocturo phyſicam, veramque morbi determinationem exponere clariorem morbi cognitionem parituram? Si enim, ut ait Collega, alia eſt cognitio phyſica morbi, alia medica, certe luculentius cognoſcetur per utramque, quam ſolum per medicam. Quid plura? Expreſſe decernit Collega ideam phyſicam in re medica utilem eſſe, imo medicam perfecte ſine phyſica haberi non poſſe. Itaque cum determinatio ejus, quod inter cauſas internas morbi rationem induit, ad ideam phyſicam ſpectet, juxta Collegæ doctrinam, etiam in medicina non erit fatua, ſed perutilis.

*Lib. 2. de officiis.*

*Lib. 2. Meth. cap. 1.*

*Pag. 39.*

tilis, & neceſſaria, unde ſcilicet pendet idea medica perfecta, quæ talis eſſe nequit, niſi phyſica fulciatur idea. Verum Gulielminus judicat ſupervacaneum eſſe ſecernere morbum ab cauſa, loquendo de cauſa continente, qui ſancit particularem morborum naturam a cauſa continente ſumendam eſſe, & nihil ultra hanc cauſam a medico inquirendum. Si tamen id totum aſſentirem Collegæ, quid novi attuliſſet de idea morbi, quam correctionem? Mutaſſet nomen appellando cauſam continentem, quod Priſci morbum dixere, quæ mutatio toleranda foret, niſi facta fuiſſet in deterius. Magis enim controverſum eſt apud medicos, quid ſit cauſa continens, quam morbus. Stoici, ut refert Galenus, nomen cauſæ continentis invenerunt, ex quorum ſententia definit cauſam continentem eſſe, quæ in ipſa generatione habet eſſentiam. Hinc plures medici poſt Galenum ſanxere cauſam eſſe continentem, qua poſita ponitur effectus, & ablata aufertur; contra quos contendit Valleſius hæc duo non eſſe in eſſentia cauſæ continentis, ſed alterum tantummodo, ut ſcilicet ablata cauſa auferatur effectus. Leonharto Fuchſio cauſa continens eſt quæ rei productæ continet eſſentiam, qui congruenter ad hanc definitionem ſentit nullo in morbo cauſam continentem reperiri; cum morbus ſit ex permanentium, & conſtantium numero, quorum eſſentia a cauſa nec pendet, nec continetur; idque pugnaciter tuetur contra Franciſcum Valleriolam. Valleſius autem in morbis per additionem factis cauſam continentem admittit, negat in aliis. Porro Celſus ſecundum antiquos Rationales nomine cauſæ continentis omnem abditam comprehendit.

*Pag. 82.*

*Lib. adverſus Julianum. cap. 11.*

*Lib. 4. contro. cap. 3.*

*Inſtitut. Medicinæ lib. 3. ſec. 1. cap. 2.*

*In præfat.*

De Fato. Tullius etiam mentionem fecit de cauſa continente, dum ait ex ſententia Chryſippi cauſam proximam, & continentem aſſenſionis eſſe in viſo poſitam. Quam itaque ex
Pag. 83. hiſce ſignificationibus elegit Collega? Primum decernit ideam cauſæ continentis eſſe, ut hac ablata tollatur effectus, quam tamen infra perturbat, & obſcurat, aſſerens qualemcunque concurſum ad morbum conſervandum ſufficere, ut aliquid cauſæ continentis rationem habeat, & inde colligit mirandum non eſſe, ſi aliquando occurrat cauſa continens externa. Itaque alterutrum opus eſt obliterari, vel in qualicunque concurſu morbum conſervante poſitam eſſe rationem cauſæ continentis, vel hanc eſſe qua dirempta præciditur effectus. Namque plures cauſæ hujuſmodi ſunt, ut morbum aliquo modo foveant, neque morbus ceſſet per earum ablationem. Aer calidus æſtatis febrem bilioſam aliqua ratione conſervat, quo perfrigerato ſæpe protinus non
Pag. 86. extinguitur febris. Revera fatetur Collega ægre poſſe concedi cauſam externam aliquando eſſe continentem; ſubdit tamen id eſſe difficile in abſtracto prolatum, ſed in caſibus particularibus affatim perſpicuum. Verum ubertati ſuæ, & muneri defuit, qui nullum produxit exemplum particulare, abs quo id lucem aliquam mutuaretur. Sed magis naturam cauſæ continentis
Pag. 85. confundit, dum omnes cauſas *formales*, *materiales*, *occaſionales*, *efficientes* inter continentes numerat, *dummodo per ſe ſubſiſtant citra cauſarum antecedentium, aut alterius ordinis fomentum, & dummodo ſint fundamentum conſervationis conſequentium*; quibus conditionibus, & limitationibus evertit quod paulo ante ſtatuerat, cauſam qualitercunque morbum conſervantem

con-

continentem eſſe. Illud tamen magis miror, tam diverſa cauſarum genera revocata eſſe ad continentem, ut inde particulares morborum naturæ conſtituerentur. Videat, quæſo, quantum interſit inter cauſam formalem, & efficientem morbi. Intellecta cauſa formali morbi, quæ, ut pluries docet Ariſtoteles, eſt ipſa rei ratio, ſpecies, & eſſentia, morbus ipſe qua talis intelligitur, quod non convenit efficienti cauſæ, quæ diſtinguitur ab effectu genito, qui propriam differentiam a ſua eſſentia nanciſcitur, non cauſæ. Majus etiam intercedit diſcrimen inter cauſas, ut vocant, occaſionales, & formales. Quid igitur erit intelligendum nomine cauſæ continentis, ſi tam diverſa cauſarum genera comprehenduntur? Quænam in tanta varietate cauſarum morbi ſpeciem circumſcribet? Nihil decrevit Collega, perinde ac ſi morbus in cauſa formali, ac efficiente, aut altera æque bene collocaretur. *Sane*, inquit, *ſive morbum dicamus totam congeriem cauſarum continentium, ſive earum primam, aut quamcunque aliam infra primam, & ſymptomata, in quorum numero eſt vitium conditionum, in quo eſſentiam phyſicam poſuimus, certum eſt ex earum præſentia corpus morboſum fieri; ex abſentia ſanum.* Duo igitur omiſit auctor; non determinavit cauſam continentem, ad quam referendus eſt morbus; neque qualis ſit prima continens, qualis ſecunda, quo magis ejus idea obſcuratur. Poſtquam vero inter cauſas continentes formalem recenſuit, dubitare non poterat cui ſit addicendus morbus, neque facultatem concedere eum attribuendi uni ex variis continentibus aſſignatis, cum in cauſa formali conſiſtat eſſentia morbi, non in omnibus, quas continentes facit; idque Pag. 84.

 aper-

Pag. 76. apertiſſime colligitur ex ipſius verbis. *Hac ſublata patet fore, ut quidquid ab ipſa dependet, vel protinus, vel brevi evaneſcat*. Cum igitur loquatur de cauſa continente, liquet ex ejuſdem ſententia poſſe ſaltem brevi tempore ea deſtructa perſeverare effectum, & hunc habere ſeparatam eſſentiam a cauſa continente. Quocirca cum effectus, qui remanſit, poſt conſumptionem cauſæ continentis ſit in certa rerum ſpecie per propriam eſſentiam, non cauſæ, quæ periit, ſemper multo melius definiemus particulares morborum naturas per propriam eſſentiam, quam cauſæ continentis tam laxa ſignificatione acceptæ. Enim vero oſtendere fruſtra conor morbum non bene cuicunque cauſæ continenti aſciſci, cum definite Collega affirmet parum intereſſe recte, an perperam certæ cauſæ morbus aſſignetur, imo ſi nulli. Pag. 77. *Neque*, inquit, *cum id exigitur, opus eſt ut in lucerna veluti corpus ſcrutemur ad diſtinguendam cauſam morbificam a morbo, cum quocunque demum is loco fuerit, & cuicunque cauſæ ejus ratio legitime, vel perperam tribuatur, vel etiam ſi nulli, ad cauſæ continentis ablationem ſit ceſſaturus*. Verum, quomodocunque morbum interpretetur, neque debet, neque poteſt effugere curam illius inquirendi, ſecernendique ab cauſa; quæ non poteſt exacte, intimeque cognoſci niſi cognito quid, & quomodo producat, qua cognitione neceſſario innoteſcit, an aliquid diſtinctum a cauſa genitum ſit, cujuſve generis ſit ipſa cauſa. Itaque cum plures ad eundem effectum cauſæ concurrunt, ut aliæ ſint principales, aliæ auxiliares, aliæ intermediæ, aliæ proximæ, conjunctæque, ubi quis ſingulas probe noverit, ſimul una cognoſcet ad quam effectus

pe-

peculiariter attineat, neque ſuo poterit arbitrio uni potius, quam alteri eum aſcribere, vel nulli. De illo demum Collegam percontor, qua utilitate particulares naturas morborum a cauſa continente definiendas judicet. Non ſane clarioris doctrinæ gratia, non facilioris, & expeditioris curationis, ſed forſitan ſuaſus a communi conſenſu tum ſcribentium, tum medicinam facientium. Sic enim ait. *Ubi tamen ad ultimam determinationem morbi acceditur, eam a cauſa continente, quam aptiſſime deduci, id oſtendente communi tum ſcribentium, tum medicinam facientium conſenſu.* Pag. 79. At gratis in commendationem ſuæ ſententiæ communem conſenſum allegat. Graviſſimi auctores, ut vidimus, nullam in morbis cauſam continentem admittunt, alii ſolum in aliquibus, atque ipſe Collega Pag. 85. fatetur vulneris communiter nullam cauſam continentem eſſe cenſeri, quam proinde diverſam a communi conſenſu aſſignat, aſſerens cauſam continentem vulneris eſſe continuum in ſua unitate ſolutum; quare cauſam formalem, ipſamque vulneris eſſentiam pro continente cauſa aſſumit. Antiqui vero qui negarunt eſſe cauſam vulneris continentem, hanc in genus efficientium conjecerunt. Quod ſi Collega in quolibet morbo unicam tantum cauſam continentem ſtatueret, & hanc eſſe formalem, extra controverſiam foret inde determinandas eſſe morborum ſpecies. Cum autem cauſas tam diſſimiles ſub continente collocet, & hanc ea laxitate interpretetur, quæ nemini venit in mentem, conſtat quicquid alii dixere de cauſa continente minime ad ejus ſententiam pertinere poſſe. Quapropter dum negligit diſtinctionem inter cauſam continentem, & morbum, huncque per illam ad propriam differentiam

tiam reduci decernit, neque morem gerit aliis, neque jura phyſicæ, medicæque doctrinæ, imo ipſius rerum naturæ obſervat. Verum enim vero quanto majori libertate in morbi, cauſæque continentis interpretatione utitur, tanto acrius vellicat Antiquos, quaſi bonæ definitionis leges violaſſent in definiendis morbis par-
Pag. 71. ticularibus, dum inquit, eos putide, & ridicule immiſcere affectum tanquam genus cujuslibet morbi ſpecificæ definitioni. Si tamen requirit ab aliis ut ſervent bonæ definitionis præcepta, debet & ipſe quæ reapſe diſtincta ſunt diſcriminare, non confundere, ſuæque cauſæ morbum adjudicare, non huic, vel illi, nec abuti ſignificatione cauſæ continentis. Sed expendamus an merito Priſcos criminetur, an illi affectum tanquam genus definitionibus particularium morborum intruſerint. Si omnes Antiqui quoſvis morbos, ut ait Collega, definiviſſent omnibus idem genus affingendo, forſitan jure reprehenderentur. Sin tantum aliquis aliquem morbum finiendo a proprio genere aberraſſet, & putidæ, & ridiculæ definitiones Antiquorum injurioſe dicerentur, uti certe dictæ ſunt a Collega. Febris, ut ordiar a frequentiſſimo morbo, finitur ab Avicenna calor extraneus accenſus in corde &c. in qua definitione non affectus eſt loco generis, ſed calor extraneus. Sic communiter ab Antiquis Apoplexia deſcribitur integra Cerebri obſtructio cum privatione ſenſus, & motus, & læſione reſpirationis. Pergat reliquos morbos videre, ac ſimili fere modo deſcriptos inveniet nulla facta mentione affectus. Interdum, fateor, Avicenna in ſpecificis definitionibus generica voce utitur affectus, ſicut in definitione Epilepſiæ, quam tamen Galenus, omiſſo quod diſplicet Collegæ, definivit convulſionem omnium partium

cor-

corporis non perpetuam &c. Itaque quod aliquis Antiquorum morbum aliquem non bene definiverit, nonniſi criminoſe eorum particulares definitiones tanquam putidæ, & ridiculæ explodi poſſunt, perinde ac ſi affectum tanquam genus continerent.

Hactenus præmiſſa Collegæ, nunc operis concluſionem audiamus, quam poſt varias meditationes, & reprehenſiones tradit determinans, *nomine morbi generaliter loquendo, & in ſenſu medico venire complexum, ſeu totam ſeriem cauſarum continentium incipiendo a prima, & deſcendendo uſque ad poſtremam ſecluſis ſymptomatibus, iis tamen ſolis, quorum nulla eſt actio. Hujuſmodi enim complexus ille eſt, qui componit ſtatum corporis lædentem functiones.* Multa concurrunt ad labefactandas functiones, neque ſingula eodem modo, ſed alia proxime, & per ſe, alia remote, atque interventu alterius. Humorum acrimonia pariens ulcus inteſtinorum, lædit eorundem actiones, ſed interventu productæ ulcerationis. Hæc proxime, & per ſe; nec ullum exiſtere putem, qui tam obſcure rem medicam tractet, ut tantam rerum diverſitatem ſine diſtinctione præterire velit. Igitur Galenus ut dilucide medicinam doceret, appoſiteque ad morbos curandos, cauſam morbificam ab ipſo morbo ſeparavit, quem voluit eſſe affectum proxime operationes offendentem; quæ definitio multo clarius explicat morbi naturam, quam ſi dixero eſſe complexum cauſarum continentium incipiendo a prima &c. in quo multa, & diverſa cauſarum genera confunduntur. Sed paucis volo Collegam. Vel omnes cauſæ continentes eodem modo actiones lædunt, vel diverſo. Cùm autem tam diverſa cauſarum genera nomine continentis deſignentur, plane manifeſtum eſt

*Pag.116.*

ex

ex omnibus eodem modo actiones non alterari ; ſed a ſingulis juxta propriam naturam. Aliæ igitur cauſæ magis, aliæ minus, aliæ tanquam principales, aliæ tanquam concomitantes, aliæ proxime, aliæ remote actionibus officiunt, inter quas illam, quæ primo, & per ſe, ſive proxime actiones vitiat cum Galeno morbum voco ; neque Collegæ ſuccenſebo, ſi cauſam continentem appellare velit, dummodo circumſcribat modum, quo inde vitiantur operationes ; ſine quo imperfecta, confuſaque remanet cognitio cauſarum continentium morboſum corporis ſtatum conſtituentium. Dum itaque eam circumſcriptionem omiſit, & neglexit, quæ caput rerum eſt ad morborum naturam inquirendam, & ſtatuendam, ſuis correctionibus novitatum quidem deſiderio litavit, ſed poſteritati proprio periculo oſtendit, in quos ſcopulos incidant, qui ſine clavo, & remis doctiſſimorum Veterum alto ſe ſe committunt novas plagas inventuri. Hinc ſtudioſa juventus, cujus utilitati contra novas de morbo meditationes diſſerui, diſcat quo navigandum ſit, quove gubernaculo ; & ſatius eſſe Majorum inventa excolere, atque in portu quieſcere, quam rerum novarum cupiditate impellente, non neceſſitate huc illucque jactari. Scripſit etiam Sanctorius ſua ſtatica medicina celeberrimus de methodo vitandorum errorum in perquirendis ideis morborum, & ſymptomatum, deſcenditque ad plura particularia, nuſquam egreſſus e limitibus veteris doctrinæ : & nihilominus plurimas novas animadverſiones prodidit dirigendæ praxi utiliſſimas ; oſtenditque fœcundioribus ingeniis, qua ratione vires ſuas exercere poſſint, undæ frugiferæ novitates quærendæ, quæque ſecura pateat ad gloriam via.

HO-

# HOMOBONI PISONIS CREMONENSIS

In Academia Patavina Profeſſoris

## NOVA IN SANGUINIS CIRCUITIONEM INQUISITIO.

### CAPUT I.

*Difficillimum eſt cauſam efficientem Circuitionis aſſignare.*

IAm diu percrebuit fama, nihil in univerſa medicina Sanguinis Circuitione præclarius, nihil utilius, & ſolidioribus fultum rationibus ab induſtri, & fœcunda Recentiorum perſpicacitate inventum eſſe, & ab omnibus academiis pluribus ſuffragiis exceptum. Inde eſt quod nihil amplius in hunc mirum Circuitum inquiritur, nefas eſt obtrectare, & quicquid objicitur, ſibilo refellitur, conſpuiturque. Mihi vero adoleſcenti, vixque medicinæ limen ingreſſo ex quadam veluti anticipatione naturæ duriſſimum viſum eſt meum ſanguinem pene lapidis molaris celeritate circumduci, non quidem per amplas, rectas, expeditaſque vias, ſed plurimas arctiſſimas, tortuoſas, implexaſque; & quaſi ingenita idea victus temperare non potui, quin mea ſenſa patefacerem, & typis conſignarem. Riſerunt alii, ſed riſu

plebis, non Democriti; quem tamen, ſi diligentius attendiſſent, compeſcere poterat Empedocles exclamare ſolitus abſtruſa eſſe omnia, nihil omnino quale ſit nos poſſe reperire; poterat Carneades acutiſſimus Pœnus, qui, ut habemus apud Tullium, quatuor libros condidit de ſubſtinendis aſſenſionibus; poterant Stoici omnes, qui opinionem multitudinis contempſerunt, arbitrati multa longe aliter ſe habere, ac ſenſibus videantur. Nonnulli pauca quædam repoſuere, ſed adeo languida, ut ſuſceptæ cauſæ prævaricatores, non patroni videantur; e quibus licet cæterorum vires non dimetiar, facile conjicio, me non ſolius adoleſcentiæ impulſu Circuitioni repugnaſſe, ſed multa e re ipſa ſuppetere dubitandi momenta, eaque nec a quocunque, nec quolibet ictu dirui poſſe. Primus, aut inter primos, effuſioni ſanguinis ab arteriis in carnes contradixi, aliaque edidi, quibus poſtea fere ab omnibus ſubſcriptum eſt. Placet igitur illa mea, ſi fas ita loqui, crepundia iterum in manus aſſumere, & incudi reddere, meamque inclinatam ætatem hoc juvenili ſtudio quaſi erigere, & recreare, quod tamen in hoc tempus non diſtuliſſem, niſi iniquus caſus omnia mea ſus deque vertens coegiſſet. Hiſce igitur divina ope compoſitis voti compos fieri annitar, & denuo vulgatum placitum laceſſam, veritatis medullitus eruendæ gratia, non alicujus adverſarii convincendi, vel oſtentandæ conſtantiæ. Unde quæſo ſcientiæ majus incrementum capeſſere ſolent, quam ex ingeniorum diſſenſu, & pugna? qua veluti quodam affrictu abſtruſa in rebus veritas elicitur, & politior poſteritati mandatur. Cum enim omnibus veris, ſententia Tullii, ſint adjuncta falſa, hæc non alia ratio-

*In Lucullo.*

*Lib. 1. de Nat. Deo.*

ratione melius ſecerni quadantenus poſſunt, quam diſputatione. Non aliter in Græcia, ut animadvertit idem Tullius, adeo viguit philoſophia, quam doctiſſimorum contentionibus, diſſenſionibuſque. Humaniſſime igitur non conviciis excipiendi ſunt, qui publico aſſenſu non obſtricti proprio marte diverſa meditantur, & receptiſſima exagitant. Cyrenei, de quibus commemorat Tullius, veri judicium in ſolo intimo tactu collocarunt, opinati nihil extrinſecus percipi poſſe, neque ſe quo quid colore, aut quo ſono ſit, ſcire, ſed tantum ſentire affici ſe quodammodo; neque tamen, teſtimonio Tullii, contempti philoſophi fuere; quo minus mirum eſt id in dubium vocari, quod naturali tantum ſenſuum miniſterio proxime non percipitur, quodve propterea tandiu latuit. Cogitent, quæſo, qui Circuitionem pro evidenti tenent, attoniteque perſuaſi oppoſitas rationes audire recuſant, nondum extra controverſiam poſitum eſſe, qualis ſit ejuſdem cauſa effectrix, multa ſupereſse dubia de viis, celeritate, progreſsu, multaque inde conſequentia non eſse ſatis evoluta. Quis medendi methodum ejuſdem legibus accommodavit, aliaque multa, quæ magna ex parte mutantur in explicandis plurium morborum eſsentiis, cauſis, & ſymptomatis? Quicquid igitur alii ſentiant, nunquam huic novo invento ſine formidine erroris aſſentiar, niſi prius hæc omnia complanentur, quibus etiamnum, ut mihi videtur, reluctantibus non immerito de ipſo ſanguineo circuitu dubitari poteſt, dubitandique rationes producam, initio facto ab examine cauſæ efficientis. Admonitum tamen Lectorem vellem me vario, multiplicique argumentorum genere

*Lib. 2. Tuſcul. quæſt.*

*Lib. 4. Acad. quæſt.*

Circuitionis patronis opponi, quorum alia feriunt omnes, alia duntaxat aliquos, pro diverſitate opinionum tum de iis, quæ proxime attinent ad Circuitionem, tum de aliis, quorum explicatio congruat oportet illius theorematis. Quin etiam precor ſolertiſſimos Anatomicos, qui, a quo tempore hæc verſabam, nova invenerunt, & ſtabiliverunt, ut minime gravate ferant, me in quoſdam armis jam paratis pugnare non deſtitiſse, licet novitas communem ſententiam ex ea parte tutari poſset.

*Virgilius lib. 9. Æneid.*

*Diſcurrunt, variantque vices.*

*Quicquid ſub terra eſt in apricum proferet ætas,*

*Defodiet, condetque nitentia.*

*Epiſt. lib. 1. Epiſt. 6. Horat.*

Idem eſſe opinionum fatum exiſtimo, ridebuntque nepotes, quæ mirati ſunt avi.

Duplex eſt ſententia de cauſa effectrice circuitionis, quam tamen affirmare negotium arduitatis plenum eſſe Uvallæus fatetur. Altera decernit ſanguinem in gyrum duci primario a cordis conſtrictione in arteriam eodem tempore dilatatam liquorem propellente, hunc ſemper ultro abigi per arterias ab impulſu novi ſanguinis præcedentem urgentis, donec ad cor per venas revertatur; eo prorſus modo, quo in fluminibus continuat motus, dum veniens unda antegreſſam premit. Hanc opinionem obnixe defendit Pecquetus, qui tamen præter cordis ſyſtolem alia excogitavit ſanguinis incitabula in adjumentum primi, nempe vaſorum ſpontaneam aliam, aliam violentam contractionem, quam fieri ait a connixu muſculorum agitatorum, & aſpirati intra pulmones aeris preſſura. Altera ſententia eſt venas, & arterias curvum ſiphonem æmulari, & ſangui-

*In Epiſt. de motu ſang.*

*In differtat. anat. de ſangui. & chyli motu.*

guinem ab corde per arterias proruentem per venas aſcendere æquipodii neceſſitate, quam ſequutus eſt clariſſimus Gulielminus, addiditque recurſum ſanguinis ad cor promoveri ab externa cordis, arteriarumque conſtrictiva facultate; quæ tamen opinio non minus Pecquetiana graviſſimis difficultatibus obſtruitur. Ac ſane quos ſcopulos non offendit Pecquetus? Solam ait ſyſtolis impulſionem imparem eſſe trudendo in orbem ſanguini; & merito, quatenus ſanguis pulſus in arterias derivatur in plures alias e recta linea deflectentes, offenditque in anguſtia, varioque vaſorum flexu tortuque, non exigua impedimenta acceptum a corde impetum delumbantia. Quapropter in auxilium vocavit alia incitamenta, quorum primum eſt ſpontanea vaſorum contractio, ea ſcilicet, qua vaſa turgidiorem plenitudinem ultro deponunt. At in emaciatis, in quibus, & ſi multum ſanguinis abſumptum eſt, etiamnum gyrus perficitur, aderit ne hæc turgidior plenitudo vaſorum tunicas ad contractionem excitatura? *Anno* 1641 *die* 8 *Novembris diſſectum fuit corpus Principis Ferdinandi Hiſpaniarum Regis fratris Cardinalis Toletani, qui* 89 *diebus tertiana febri agitatus obiit ætatis* 32 *annorum. Sublatis corde, hepate, & pulmone, adeoque diſſectis venis, & arteriis, vix cochlear cruoris in cavum thoracis confluxit, plane nimirum oſtendit hepar exangue, cor inſtar crumenæ flaccidum. Biduo enim ante mortem plus ediſſet, ſi ipſi conceſſum fuiſſet. Fuit nempe per venæ ſectiones, purgationes, hirudineſque ita exhauſtus.* Hæc Helmontius. Ergo in deſcripto ægrotante certum eſt pluribus diebus ante obitum admodum paucam cruoris quantitatem extitiſſe, nihilominus circumfluxiſſe, atque, ut evi-

*De natu. ſang. pag.* 14.

*Cap.* 4. *de febribus.*

Cap. 10. Diſſert. Anat.

evidens videtur, citra ullam contractionem vaſorum ab uberiore plenitudine. Scio quidem cauſam majoris plenitudinis referri a Pecqueto in moram ſanguinis veteris, & adventitii tum in arteriis, tum venis in extremo ſyſtoles momento, idque ſemper evenire, quæcunque ſit quantitas ſanguinei fluenti. At inde non implentur deſideria Pecqueti. Quoniam acervatio ſanguinis, durante ſyſtole, non ita valet extendere vaſorum tunicas, ut ſuccedente diaſtole, earum vis ingenita elaſtica excitetur ad naturalem capacitatis modum, ſicque vaſa comprimantur, contemptumque liquorem explodant, quemadmodum Pecquetus opinatur. Acervatio ſanguinis, perſeverante ſyſtole, reſultat ex eo ſuperſtite, qui mox, diaſtole ſequente, in cor propelletur, qui tamen cum adeo ſit exigua quantitate, nequit vaſa ſupra naturalem capacitatis modum diſtendere, niſi cenſemus copiam prius tantam extitiſſe, ut ſolus, puta, ſcrupulus, vel unciæ dimidium deeſſet, qualis eſt quantitas, quæ ſolet in cor ingredi, egredique, ut non pauci exiſtimant. Quocirca in extenuatis, imo in omnibus multo ſanguine non affluentibus, nunquam aderit ea copia, a qua vaſa tanquam nimis extenſa irritentur ad contractionem, dum ſequitur diaſtole. Demus nunc, ſi placet, prægrandem ſanguinis affluentiam. Quis jure aſſeveret ex addito nuper ſcrupulo in extremo ſyſtoles momento ſupra naturalem extenſionem tumefieri vaſa? Nemo ſane, niſi qui naturalem vaſorum capacitatem, contentuque liquoris quantitatem dignoſcere poſſet. Quod ſi aſſumis, ut aliquibus placet, unciam unam, vel alteram in arteriam a corde trudi difficultatem ſaltem in emaciatis non evades.

Se-

Secundum adjumentum ſyſtolicæ impulſionis a Pecqueto excogitatum eſt violenta vaſorum contractio, quam externa parit cauſa, nempe vel humoris acrioris aſperitas, punctio, continuique qualibet ex cauſa ſolutio. Verum ſi vaſa ab humorum acrimonia irritata coarctarentur, id plane fortuitum eſſet, tantumque valetudinariis accideret, neutriſque temperaturis acriore ſanguine ſcatentibus, non perfecte ſanis, iiſque, quibus ſanguinem frigidum, & aquoſum natura, vel morbus effecit; ac propterea nequit aſſignari pro cauſa effectus naturalis, continui, & neceſſarii, qui ſimilis naturæ cauſam exigit. Sin cauſarum complexum impellendo ſanguini debitum fortuitum eſſe arbitremur, fortuitum quoque, nec neceſſarium ſanguinis motum arbitrari oportet. Demum ſanguinis acredo, quæ corrugaret arterias, & ſtimularet ad effuſionem contenti, dum ad venas appelleret, eas item irritaret, contraheretque, quo minus effuſum laticem reſumerent.

Excell. D. Madero Cretenſis viginti octo circiter ab hinc annis neſcio quo ſubitario æſtu percitus in meum opuſculum inſcriptum *Ultio Antiquitatis in ſanguinis circulationem*, quod jam diu pacatiſſimum ævum ducebat, totus exarſit, pluſque nigræ bilis, quam atramenti deprompſit; cujus conviciis potius, quam rationibus reſpondere, etſi litteratorum inſtitutum minime patitur, tamen hac data occaſione pauca quædam multitudinis gratia reponam. Itaque hæc mihi ſcribenti, & vetera confirmanti, ubi ſe ſe obvium dederit, obſiſtam, ordinem meæ diſſertationis ſequutus, non adverſarii. Liceat igitur mihi pauliſper Pecquetum dimittere, aureſque ad intempeſtivum clamorem Cretenſis.

tenſis advertere, qui defenſurus cauſas efficientes Circuitionis hæc habet: *Sed quid in noſtra ſententia poſitum eſt, quod neceſſitati perenni huius operationis, vel non ſufficiat, vel ineptum evadat? Violentam vaſorum contractionem ſupponit Adverſarius proritari ab acredine humorum. Prima mechanica fit ratione, ut ſuperius probavimus, a qua vita, & ſalus animalis dependent. Secunda, quæ convulſiva potius diceretur, morboſa eſt, & ab acrimonia producitur fluidorum, vel ab exploſione ſpirituum. Gratis igitur contra noſtram ſententiam obtenditur hæc, quia nihil concludit contra primam.* Vide, quæſo Cretenſis, quam tecum agam non inimice. Affirmas Te cenſoria notaſſe virga, a me omnia vocabula extorta eſſe, & rebus accommodata. Enim vero, licet ſim oſtenſurus abs Te quæcunque impugnas, magna ex parte non intelligi, in Te cenſorem non agam, iſque Tibi non ab academia, ſed curia metuendus eſt, qui contra non provocantem adeo contumeliis ferbuiſti. Aſſeris a me id aſſumi, violentam vaſorum contractionem fieri ab acredine humorum. Moneo hanc eſſe ſententiam Pecqueti, quam refello, non meum aſſertum, quod Tu mihi gratis tribuis, & eſſe Pecqueti non percipis. Alibi faſsus es Te meas non intelligere ratiocinationes cauſatus obſcuritatem, Excuſationi indulgeo. Sed quam clare, diſtinćteque propoſui ſententiam Pecqueti! Quam hæc intellectu facilis! ut extremæ ſit tarditatis, vel negligentiæ Te non intellexiſse, quod ex mea ſententia eſt, quodve Pecqueti, quod hic defendit, quodve a me oppugnatur. Præterea notas Te violentam contractionem vaſorum a *turgeſcentia* factam ab ea ſecernere, quam parit humorum acredo. Cur hæc diſtinguis?

*Apolog. pro Sang. Circu. Pag. 33.*

*Pag. 9.*

guis? An ego confundo? Utramque contractionem apertiſſime diſcriminat Pecquetus, & ſeorſum utramque exagito. Tandem concludis a me gratis contra Circuitionem obtendi violentam contractionem; quoniam nihil obſtat contractioni factæ a *turgeſcentia*. Attentius quæſo, nec animo irato legas opuſculum meum, atque ſine meo auxilio, ſi diis placet, percipies me ſeparatim, diſtinctiſque rationibus adverſus ambas contractiones dimicaſſe. Nemo, ut opinor, te tam oſcitantem crediſſet, nec ego exoptaſſem, ut tua ſola ſocordia tam aperte convincereris.

Tertium adjumentum ſyſtolicæ impulſionis a Pecqueto aſſignatum eſt compreſſio coarctatoria vaſorum a connixu partium, hoc eſt, muſculorum canalibus adjacentium, dum agitantur, atque a preſſura aeris intra pulmones aſpirati, quod tamen incitabulum aliis duobus expenſis non minus inefficax judico. Quot enim ſunt venæ, & arteriæ interiores, quibus non adjacent muſculi? Quanta diei, noctiſque parte non agitatur animal? In paraliticis ſemper flacceſcunt muſculi ſenſu, motuque privati, per quos profecto vel ſanguis minime circumfluit, vel ſine connixu partium. Cum autem agitatur animal, quamvis contigui canales comprimerentur, hæc ne compreſſio ſanguinis motum urgeret? Eodem tempore venæ, arteriæque premerentur, atque ſi compreſſio arteriarum ſanguinis motum ad extrema promoveret, ſane compreſſio venarum ejuſdem ingreſſum inhiberet, & moraretur recurſum. Non diſſimilem exitum habet aſpirati intra pulmones aeris preſſura. Tranſit ſanguis, ut docent, per exiguos canales arteriæ pulmonaris ad venam pariter pulmo-

 narem;

narem; ideoque comprimente inſpirato aere anguſtiſſimas tranſitus vias, impediretur progreſſus ſanguinis in arteria pulmonari contenti; conceditque Taurius tempore inſpirationis ſanguinem non introire poſſe pulmones. Quale igitur recipere poteſt circumfluens ſanguis incitamentum ab inſpiratione, quæ ſimul introitum ſanguinis in pulmones non adjuvat, & inde diſceſſum? Niſi utrumque præſtet, quod non præſtare Adverſarii concedunt, meo judicio, nequit ſtatui Circumactus incitabulum. Porro in expiratione ſi ſanguis ſuum curſum continuat, nihil ſane ad eum aeris preſſura, quæ deeſt, conducit. Excellentiſs. Mangetus, qui in ſua bibliotecha anatomica mei opuſculi ſummam fecit, ut reſponderet, has omnes difficultates uno ictu incidit affirmans veræ mechanices cognitione facile patere, quo pacto ab hiſce cauſis Circuitio incitetur. Si tamen ipſe hoc etiam præſidio eas explicare aggreſſus eſſet, forſitan aliis felicior non fuiſſet.

*Cap. 6. de utilitate reſpirationis.*

*Tomo 1. par. 2.*

Multas, indicataſque ſalebras offendit ſententia Pecqueti, ſed forte plures, atque aſperiores altera, quæ Circumvolutionis impulſorem æquilibrium conſtituit. Qua ratione inter venas, arteriaſque imitationem ſiphonis imaginabimur, ſi aliquot venæ minime ſunt arteriis comitatæ? Viſum etiam eſt Harvæo, Gliſſonio, Pecqueto, aliiſque claris anatomicis ab arteriis ſpargi ſanguinem in anguſtiſſimos carnium meatus, neque venas, arteriaſque continuas eſſe, quod magis rationem ſiphonis deſtruit. Verum data continuitate venarum, & arteriarum, poſituque ſimili ſiphoni, ſimilis tamen non foret intra illas ſanguinis motus liquoris motui intra fiſtulam retortam, quod variis ratio-

tionibus, & experimentis probat Pecquetus, cui nullus, quod ſciam, reſpondit; eoque adverſus hanc ſententiam longior non ero. At Cretenſis quid ſentit de ſanguinis aſcenſu per tot flexuoſos canales, arctiſſimoſque meatus? Totam, inquit, mechanicam rationem hydraulici hujus portenti in motus impetu conſiſtere, a quo partes quæque fluidi premuntur ſimul, & premunt vi percuſſionis interrupta. Hoc tamen eſt, de quo quæritur, non ratio quæſiti, unde ſanguis hunc habeat motus impetum, dum per arterias ad caput, aut per venas ad cor aſcendit. *Diſſert. Anat. Pag. 80.*

Cauſa ſecundaria Circuitionis a Gulielmino aſſignata in adjumentum æquipondii eſt extrinſeca cordis, arteriarumque conſtrictiva facultas tranſeunte impetu ſanguinis ab arterioſo in venoſum. Placet hanc cauſam ſeorſum penſitare, quamvis diruta primaria tota moles jaceat. Per conſtrictionem arteriarum exiſtimat Collega tranſire ſanguinis impetum ab arterioſo in venoſum, eoque ſanguinis recurſum adjuvari. At nullum inde auxilium, vel nimis tenue ſperari poteſt. Receptus a corde ſenſim elanguet impetus ſanguinis in anguſtiora vaſa devecti, multoque magis ad capillares arterias delapſi, quæ pulſu carent, & facultate conſtrictiva parum a venis differentes; in quibus etiam ſanguis eſt multo craſſior, ut dicunt, quam in majoribus arteriis, propterea ineptus ad continuandum motum, & difficiliorem ineundum, qualis eſt aſcenſus ab extremis partibus cor verſus contra propriam gravitatem. Accedit illud efficaciſſimum, arterias ex Harvæo, aliiſque non nullis clariſſimis Neotericis non conſtringi ut cor, ſed tantum agitari tanquam utres ab *In Exercit. 2. ad Riolanum.*

influente humore, quæ proinde delumbatum ejuſdem impetum nequeunt inſtaurare. Quamobrem niſi ſanguinis impulſioni moliendæ ſola vis æquipondii ſufficit, quod ſolum in aliis reflexis fiſtulis contentum humorem ad naturalem terminum contrudit, nequicquam aliunde ſuppetiæ quæruntur.

Productæ difficultates contra utramque ſententiam efficientis cauſæ Circuitionis vim majorem acquirunt, ſi hanc conſideremus in cornibus cervinis ad magnam altitudinem excreſcentibus, quorum unum fertur aſſervari Ambaciæ in Gallia duodecim pedes pariſienſes longum. Attollitur e fronte cervorum truncus fruticoſus, brevioraque cornua emittens, quæ tenera ſecta prope baſim, ſicuti obſervavit Rhedi, adeo conſtanter ſanguinem effundunt, ut plerumque vita ſimul exeat, & conſtet eum perenni gurgite in truncum totum, omneſque ramos aſcendere. Quo tamen incitamento? An cordis pulſione adjuta a muſculorum connixu, vel acrioris ſanguinis ſtimulo, ut placet Pecqueto? Motus cordis in cervis, utpote ſanguine frigidiore præditis languidior eſt multo, quam in pluribus aliis animantibus, in quibus ad tantam altitudinem trudendus ſanguis non erat. Quocirca ſi in aliis ſola cordis conſtrictio inefficax eſt ad circulum ſanguinis abſolvendum, multo magis in cervis, in quibus etiam deeſt ſanguinis acredo, & muſculorum agitatio, quibus carent cornua, nec quippiam ſuppetit eorum vices obiturum. Hanc difficultatem expediant defenſores æquilibrii, qui fatentur multo minus celerem eſſe ſanguinis fluxum in finibus arteriarum, atque in ambitu corporis, quam in aorta prope cor. Unde igitur ſan-

ſanguis, qui languide fluebat per vaſa exteriora frontis, vim acquiret aſcendendi, dum erumpunt, creſcuntque cornua tam alta cervorum? Vis æquipondii non augetur, ut poſſit in altiorem locum humorem incitare. Cauſa item auxiliaris, hoc eſt vis conſtrictiva arteriarum in cornibus cervinis vix tenuiſſima fingi poteſt. Eadem difficultate premuntur, ſi velint ſanguinem per vaſa intime oſſa ſubeuntia circumduci. Taurius in rationali anatomia extra dubitationis aleam poſitum exiſtimat impulſionem totius fluenti ſanguinei non ſufficere trudendo ſanguini per anguſtiſſimos poros, niſi ſingulæ illius partes motum proprium, nec aliunde acceptum haberent. Idem igitur motus etiam requiritur, multoque magis, ut poſſit ſanguis per arctiſſimos meatus aſcendere, conſtatque ex ipſa Adverſariorum doctrina hactenus aſſignatas cauſas Circuitionis a ſanguine diſtinctas non eſſe pares eidem in orbem pellendo. Itaque ſi ſanguinem circumeuntem aſpiceremus, uti fluxum, refluxumque maris, ignoratio germanæ cauſæ nullum poſſet injicere ſcrupulum de re, quæ ſub aſpectum apertiſſime cadit. Enim vero cum ſanguinis circuitus oculis ſine vitro, ſine ſuſpicione erroris non exponatur, nec inter ipſos adverſarios conveniat de cauſa ejuſdem effectrice, quam perdifficilem inventu eſſe fatentur, profecto qui ex ignoratione cauſæ dubitat de effecto, de quo quæritur an ſit, ſolum a vulgaribus, neque ſui juris mentibus rideri, ſpernique poteſt: nihilotamen ſecius ita quidam in me commoti ſunt, quod oppugnaverim ſanguinis circumactum, ut a me magis animo quam opinione alieni videantur. Meam lucubrationem adverſus Circuitionem edidi Cap.5.

Cre-

Cremonæ anno 1690 poſtque novem annos quidam eruditus hetruſcus medicinam defenſam Luccæ ſermone nativo emiſit, eoque ſpatio nil lenitus ſe continere nequivit, quo minus orbi litterato malum erga me animum, nec ad officium compoſitum ſignificaret. Quippe facta mentione de Circuitione ut inventa proxime præterito ſæculo, quam meridiana luce circum
Pag.166. undique fulgere pro certo tenet, ait ſub oculos ſibi cecidiſſe meum libellum, non ſuſtinuiſſe totum evolvere, citoque ſe cognoviſſe auctores actorum eruditorum Lipſiæ non immerito eidem riſu ſolemni plauſiſſe, ſuamque dicacitatem ita concludit: *Mentre il dì d'oggi il ſolo dubitare del moto circolare del ſangue, è un farſi credere appreſſo gli intenditori o Vomo bono, o pur Eretico in medicina*. Ergo bonus eſt homo, qui de ſanguine in orbem acto dubitat. De qua bonitate loqueris Medicinæ Defenſor? Animi, an mentis? Si animi, non ſolum me, cui dubia eſt Circuitio, jure bonum credis, ſed multo te meliorem credere debes, qui hoſtiliter, & inhoneſte agis cum eo, a quo ne littera quidem provocatus es, nullam tamen ex meis rationibus oppoſita ratione confutando: qui affirmas ſcriptores lipſienſes ſolemni riſu meum opuſculum excepiſſe, nec adducis irriſionis teſtimonium, quo conſtet te vera dicere, neque inconſiderate calumniari, quod revera committis, ut benignus Lector facile noſcet, ſi faveat intueri ſcripta de meo libello a Lipſienſibus Act. Erudit. Lipſiæ ſupplementa Tom. I. ſec. XI. pag. 579. & duabus ſequentibus, in quibus nullum occurrit verbum aſpernationis, nullum *ſolemnis* irriſionis. Quinimmo gratias ago eruditis viris, quod meas illas juveniles vigilias,

& an-

& ante vigeſimum quintum annum ætatis meæ vulgatas accurate legerint, ſingulos argumentationis meæ locos ordine meæ partitionis ſervato indicaverint, treſque paginas mea narrando fere impleverint, cum ego non multo plura folia conſcripſerim. An diligenti, & copioſa narratione morandus erat lector ab honeſtis ſcriptoribus, ſi narrata deſpicienda, *ſolemniterque* ridenda judicabant? Quibus equidem neque meum libellum miſi, neque amicorum favore commendavi, uti ſuum per amicum clariſſimi nominis miſiſſe Adverſarium liquet ex ipſis actis lipſienſibus; cui profecto, ſi melius advertiſſet, magis erat fugiendum calumniatoris dedecus, quam ſcriptorum laus quærenda. Sin autem *ſolemnis* meus deriſor nomine bonitatis intelligit cum vulgo mentem obtuſam, neque aptam ad etiam præclara diſcernenda, quæſo, videat quam ſibi repugnanter loquatur. Namque ſubdit in eadem pagina me tam admirabilis operis cauſa (nec enim ceſſat a dicteriis) obtinuiſſe ſuggeſtum in celebri Italiæ Academia, cum omnium tamen ejuſdem profeſſorum admiratione. Ergo non aſpernandum opus, quo Auguſtus Venetus Senatus, cujus prudentiam ſummam, & æquitatem per tot ſæcula univerſus orbis admiratur, me Academiæ Patavinæ tam antiquæ, celebratæque profeſſorem creavit. Credis ne ſapientiſſimos Reffor-matores meum libellum expendiſſe, an expendendum doctiſſimis medicorum tradidiſſe? Mihi videris aliquantum turbari, qui tam effuſe ridebas. Noſcis enim, ſed ſero Academiæ præſides judicio peritorum ſtetiſſe, ideoque peritiſſimos viros de meo opuſculo honeſte ſenſiſſe. Dum vero ais omnes Academiæ profeſſores admiratos

*Acta Erudit. Anno* 1701. *publicata. Pag.* 378.

fuiſ-

fuiſſe, me ob impugnatæ Circuitionis laborem præſtantiſſimo ordini aſcriptum eſſe, vereor ne graviter illos offendas, quibus Te gratum facere opinabaris, qui nempe viderunt me auctario ſtipendii, & honorificentiſſimo Decreto honeſtatum vix elapſo tempore, a quo ſolet Sereniſs. Princeps munificentiam ſuam, & approbationem Profeſſoribus teſtari. Itaque, dum me vulneras, inſcius ſanas, dum irrides, commendas, quorum alterum tuæ eſt immoderationis, alterum jocularis bonitatis, qua de Circuitione dubitantibus illudis. Scias autem, ut aliquid etiam ex tuo *ſolemniter* irriſo diſcas, præter a Te indicatos circumducti ſanguinis oppugnatores, qui palinodiam cecinerunt, extare monumenta eorum, qui in ſententia permanſerunt, ſcilicet Eccardi Leichneri, qui de motu ſanguinis exercitationem anti-Harveianam edidit Arnſtadiæ anno 1645, iterum editam Senæ anno 1653, Amſtelodami 1665; præterea Hieronymi Franzoſii veronenſis, qui anno 1651 lucubrationem evulgavit inſcriptam: *De motu cordis, & ſanguinis in animalibus pro Ariſtotele, & Galeno adverſus Anatomicos Neotericos libri duo*; atque dicatam Carolo II Gonzagæ Mantuæ, & Montisferrati Duci. Hiſce multo acrius Circuitionem divexat Raymundus Reſtaurandus, de quo opportunius infra memorabimus. Hæc tam aperte laceſſitus reponere coactus fui, quæ tandiu tacitus præterivi, neque tacere deſtitiſſem ab hiſce rixis vehementer abhorrens, niſi officium, quod homo homini, amicus amico præſtare debet, ipſe mihi denegare viderer, & quaſi diſſolutus, admonente Tullio hominis eſſe diſſoluti negligere quid de ſe quiſque ſentiat:

*Lib. 1. de Offic.*

quod

quod quidem neglexiſse viſus eſsem, ſi ad ea, quæ prodita de me fuerunt tam infenſe, temereque, ex data occaſione obmutuiſsem.

## CAPUT II.

*Nondum ſat certæ aſſignatæ ſunt viæ Circuitionis.*

QUemadmodum non convenit inter auctores de cauſa circumducente ſanguinem; ita neque de viis, quas alias alii excogitarunt. Ante paucos annos plerique credidere ab arteriis fundi ſanguinem in carnium intercapedines, inde tranſire ad venas, perſuaſi ſaltem in pluribus corporis partibus venas, arteriaſque continuas non eſse, neque ubique per ſynaſtomoſes conjungi. Diu viguit hæc opinatio, & licet in præſens aliæ ſint excogitatæ viæ Circuitionis, quidam tamen clari anatomici, ut infra videbimus, etiamnum inter eaſdem numerant fibrarum carnoſarum cavernulas: ideoque ſupervacuum non erit quædam attingere, quæ veteri placito opponuntur. Anguſtiſſimi ſunt carnium meatus, nec omnes accommodi ad quamvis figuram ſanguineæ particulæ admittendam. Paſſim igitur hæreret in finibus arteriolarum ſanguis occluſo ad progreſſum tramite; vel extra pulſus irretiretur in poris propriæ figuræ diſcordibus. Sed fac congruere omnes poros carnium omnibus excipiendis ſanguineis particulis nulla exotica qualitate affectis. Cum autem ſanguis vitiatur, alieniſque inquinatur humoribus, quis faber ſubito novo viatori ſemitam aptabit? *Vocatus ad Canonicum quendam ſegneſtadium inveni ſanguinem ternis*

*venæ ſectionibus ante meum adventum extractum a chirurgo; in quo ne veſtigium quidem ſanguinis apparebat; dixiſſes potius albumen ovi, vel ſeri gelatinam, vel ut medice loquar ſaniem, quod & in aliis obſervavi, quorum tamen nemo evaſit.* Jacobus Uvaſdſchius apud Mangetum hæc habet. Ergo libenter diſcerem ab Adverſariis, quo pacto tam alienus a naturali humor per ſolitas carnium anguſtias trajiceretur; itemque in melancholia, cum ſanguis craſſior evadit, quo ſcalpello trames æquetur. Nodum quæſo ſolvant, qui tot ſecretiones in noſtris corporibus per poros organi ſecernentis ſeparando ſucco conformes comminiſcuntur. Craſſus enim humor, qualis eſt ſanguis ita vitiatus, neque poteſt accommodari omnibus figuris pororum, neque quaslibet anguſtias penetrare; eoque, dum ſanguis hauritur in morbis præſertim melancholicis, vena paulo latius perfoditur, ut non tantum tenujor, ſed una craſſior ſanguis exiliat. At Boyle contra vulgarem uſum affirmat per quodcunque foramen venæ factum novacula non minus ſubtilem, quam craſſum liquorem effluere; quoniam ſanguis per Circuitionem ex arteriis in carnes effuſus totus remigrat per capillares venas, quæ multo exiliores ſunt, quam quodlibet foramen in vena factum utcunque anguſtum. Dubitandum tamen erat Boyle, num totus ſanguis in carnes effuſus poſſet remigrare per venas capillares, non tanquam certum aſſumendum, cum id nequeat evinci ſaltem de ſanguine morboſo, multaque ſeri parte conſumpta. Interdum etiam vi morbi admodum vaſa coarctantur, & pori carnium, quo tempore videtur neceſſario curſus purpurei fluenti interturbatum iri. In principio fe-

*In Bibliotheca medica.*

brium

brium intermittentium, & præcipue quartanarum aliquando intenſum frigus plures horas perdurat, ut præ vehementia totum corpus expalleſcat, contrahatur, demittantur arteriæ, vixque majorum pulſus percipiatur. Ut enim ait Aetius, juxta invaſiones quartanarum arteria tibi ligata eſſe videbitur, introrſum retrahi, prohiberique a regreſſu. Quis porro credat hoc tempore cruorem per ambitum corporis circumverti? Vix antea carnium interſtitia admittendo ſanguini ſatis patebant; cum vero vi frigoris omnia connivent, certe neque capillares arteriæ contentum liquorem effundere, neque carnium ſpatia recipere poterunt, ceſſabitque cruoris circumfluxus, quo ceſſante adverſarii debent rationem afferre, cur inde mors non ſequatur, qui docent vitam in jugi circumflui ſanguinis motu conſiſtere. Si reſpondeant impediri quidem motum ſanguinis per externas partes, non per internas, & viſcera, ita obſiſto. Impedita in toto corporis ambitu Circuitione par eſt credere impeditum pariter iri in viſceribus. Statim enim turgerent interna vaſa ſanguine externis partibus diſtribui ſolito, cujus copia ſibi viam præcludens inſiſteret. Nec enim ſolæ arteriæ capillares prope cutem in ſummo frigore quartanæ ſanguine deplentur, ſed etiam multo majores, quales ſunt arteriæ brachii, quas obſervamus ex carpo deprimi, exiliterque in profundo micare, quod evincit admodum tenui ſanguinis rivo arterias ſubcutaneas brachii rigari; idemque dicendum de ſubcutaneis aliarum partium externarum. Idem impedimentum Circuitionis a frigore impendet etiam ex eorum placito, qui arterias capillares, venaſque continuas faciunt, quas in ambitu

*Sermo. 5. cap. 82.*

bitu corporis vis ingens frigoris adæque coarctat, atque carnium intercapedines.

Placet curſim indicare commentum Mayovy, ut appareat in quæ dumeta compulſi fuerint aliqui Circuitionis patroni eam defenſuri, qui malunt phyſici ſpeculatoris lege violata in noſtris corporibus nova fingere, quam illius patrocinium deſerere. Ergo Mayovy territus ſcopulis, quibus obnoxium eſt ſanguinis iter per carnium ſpatia, nec alia via declinare obſtacula cum poſſet, aſſeruit ſine anatomiæ teſtimonio ineſſe quædam vaſa diverſi generis ſuá tantum imaginatione fabricata, quæ devehunt ſanguinem ab arteriis in venas, nec ſinunt effundi reverſurum in vaſa. Quod perfugium neceſſarium eſſet, & neque rejiciendum, ſi tam evidenter appareret Circuitio, quam apparet non reperiri ab Anatomicis Mayovyana diverſi generis vaſa. Itane phyſica ab arbitrio pendere debent? Quoniam motus ſanguinis tam neceſſarius, tam evidens, ut creditur, eſt, qui evenit, ut ſemita occultetur? Si ad hanc parandam ad libitum aſſumenda ſunt, quæ ſenſus non reperit, Circuitionis defenſionem relinquo, nec oculo, nec manu teſtatæ. Sed callide iſti auctores ſibi facultatem nova comminiſcendi arrogaverunt. Si enim forte fortuna ſoliti canales ſanguinem in orbem deferentes aliquando deeſſent, vel novi fingendi ſunt, vel de Circulo dubitandum. Nec longe abeſt hujuſmodi eventum. Antonius de Pozzis in ſuis obſervationibus refert in quadam Baroniſſa defuiſſe ſuperiorem, atque inferiorem pulmonis lobum ſiniſtri lateris non ex ulcere conſumptum, ſed propter naturæ in eorum productione defectum. Hinc dubitat

quo-

quomodo Circumactus fieri potuerit deficiente arteria venoſa ſiniſtri pulmonis lobi, per quam influit ſanguis in ſiniſtrum cordis ventriculum.

Alii ad aſſignandas vias circumducti liquoris non nova vaſa fabricati ſunt, ſed continuationem venarum, arteriarumque, ut inde recurvi canales reſultent, per quos ſuum gyrum abſolvit ſanguis nunquam ex alveo digrediens, quæ ſententia, & ſi pene communem aſſenſum nuper obtinuit, non omittendis difficultatibus patet. Exiſtimant venas a ſurculis arteriarum quaſi germen ab arbore aliena pullulare, ductuque inverſo in ramos, exiguoſque truncos, & partim in venam pulmonariam, partim in magnum venæ truncum abire. Cur autem potius opinantur venas ab arteriis pullulare, quam arterias ab venis? Immo quia venæ numero, & capacitate ſuperant arterias, potius credendum foret, eas eſſe parentes arteriarum, quam ex oppoſito. At recentiores, qui profitentur ſe perſequi ſimpliciora, apertiora, congruentiora naturæ, cur poſtea in determinando ortu, & progreſſu venarum tantum aberrant a communi lege naturæ, quæ ſolet ab trunco ramos ſpargere? Pecquetus maluit credere ſanguinem effundi in carnium intercapedinem, quam extremos apices arteriarum inſeri venis; cum exilitas vaſculorum nullius oculis ne microſpio quidem inſtructis pateat. Quidam etiam Antiqui ſenſerunt in animalium corpore vaſa minora majorum eſſe principia, quæ tamen opinio abunde a Galeno confutata fuit. Magis autem ſibi congruebant Antiqui rati parvas arterias, ſimileſque venas majorum eſſe principia, Recentioribus, qui cum in arteriis ramos a trunco fruticari

*Bergerus Cap. 5. de natura humana.*

*Lib. 6. cap. 5. de Hipp. & Pla. Dogmatis.*

ticari

ticari credant, in venis oppoſitum ſibi perſuadent. Non deſunt tamen inter Recentiores clari Anatomici, qui continuationem ubique venarum, arteriarumque non approbant. Verheyen inter vias Circuitus numerat cavernulas fibrarum carnoſarum; quia, ſi venter muſculi ſecundum ductum fibrarum carnoſarum dividatur, hiſce, quantum fieri poteſt, illæſis, nihil, aut ſaltem parum cruoris effluet, multum vero iſtis oblique reciſis, cujus partem, cum totus non impendatur nutritioni, neceſſum eſt in orbem ferri. Bohnius etiam opponit aquam arteriæ brachii, vel crurali immiſſam per venam non redire, niſi omnes illorum membrorum partes inſigniter intumeſcant. Revera ſi omnes arteriæ continuum canalem cum venis efformant, venæque nihil aliud ſunt, ut exponit Pitcarnius, quam arteriæ flexu contrario cor verſus replicatæ, nihil ab utriſque ſpargetur in partes, quo nutriantur; idque neque Pitcarnium latuit, imo ultro concedit, ſtatuitque præter arterias, & vaſa ſecernentia nullas eſſe corporis humani partes reparationis indigentes, quarumve gratia ſanguis ſive per oſcula vaſorum patentia, ſive per tunicarum poros debeat e regiis Harvæi orbitis exilire; cui placito Bergerus, Verheyen, aliique opponuntur, qui per poros arteriarum, alioſque meatus ſanguinem in carnes nutritionis gratia fundi opinantur. Bergerus enim venarum, arteriarumque continuitatem aſtruens ita nutritionem explicat. *At quo demum minus verearе, ne iſtorum vaſorum conjunctio nutritioni partium fraudi ſit, conſtitutio capillarium prohibet, quæ, cum interiora partium ſubeunt, in eam tunicarum teneritudinem, atque conſtructionem abeunt, ut vel antequam in conjunctas,*

*Lib. 2. tract. 4. cap. 4.*

*Circul. Anat. Prog. 6.*

*con-*

*continuaſque venas humores provolvantur, ex poroſis arteriarum tunicis in fibras muſculorum patentibus, vel per apices illarum quoſdam ultra recurvos venularum tubulos productos, liquidior, atque ſubactior lymphæ portio emitti, fibraſque ipſas rore ſuo perfundere, & rigare; & ſi forte uberior ſe materia evolverit, quam nutritionis uſus, aut vis elaſtica, aut toni ratio exigit, ea teneriores, ac poroſas venarum ſanguinearum, vel ſeroſarum, aut utrarumque pelliculas intrare, ac refluo humorum flumini remiſceri poſſit.* Itaque Bergeri arbitrio nutritionis materies duplici via fertur ad partes, per poros arteriarum, atque per apices quoſdam earundem ultra recurvos venularum tubulos productos, quos tamen, ſicut & poros arteriarum parum idoneos ſcopo invenio. Quippe quod per poros arteriarum emicat in carnes, videtur potius materies inſenſilis perſpirationis, quam nutritionis. Sit enim valde tenue, concitatumque oportet, ut pote quod obverſas venas, atque patentiores non intrat, ſed evolat ex anguſtiis membranarum. Erumpet, ſubdet Bergerus, quod nequit per tunicarum meatus, per apices arteriarum ultra recurvos venularum tubulos productos. Donemus quod optat. At ſanguis nutritioni ſuperſtes, ſtagnabit in partibus; quoniam alios apices venarum commentus non eſt illum reſumpturos; ſed duntaxat confidit ingreſſurum poroſas pelliculas ſanguinearum venarum, vel ſeroſarum nullam producens cauſam ingreſſus. Sanguis ab arteriis in carnes elapſus, ut ipſi Adverſarii docent, craſſior evadit, & amittit impetum a corde receptum. Pori venarum ſunt anguſtiores oſtiolis capillarium, per quos, niſi tales eſſent, eodem modo liquidum exiret, atque per orificia,

cia, fruſtraque aſtructa foret venarum, arteriarumque continuatio ad liquoris effuſionem in partes evitandam. Itaque vel dicendum eſt emiſſum cruorem in partibus ſtagnare; vel indicanda cauſa, quæ poſſit eum craſſiorem redditum, privatumque impulſu ab corde ſuſcepto arctiſſimis poris intrudere; quæ tamen nulla ſuppetit; dum nihil eſt pone valide premens, inſtauranſque cordis deficientem impetum. Ad hæc ſicuti docent ab exilium venarum poris partem aliquam contenti liquoris egredi, cur etiam a poris venarum pars aliqua non exibit alterius introitum impeditura? præcipue cum hæc vaſa ad tenuitatem capillarem redacta non differant. Ut ſuas expleant imaginationes, & deſideria, haſque omnes difficultates declinent, nihil aliud remanet, niſi ut affirment ſolum tantum cruoris emitti, quantum exigit nutritio.

Non ſolum in muſculis, & partibus extremis occurrunt offendicula in viis Circuitionis, ſed in ipſo corporis centro, vaſiſque majoribus. Volunt ſanguinem a capite per truncum venæ cavæ deſcendentis, ut appellant, in cor defluere, atque per cavam aſcendentem a partibus inferioribus in cor contendere. Quia vero hi trunci conjuncti ſunt, & poterat dubitari, ne ſanguis deſcendens aſſurgentem reprimeret, ita cum Richardo Louver dubitationi occurrunt, qui hæc habet: *Itaque ante limen auriculæ dextræ, nempe eo loci, ubi vena cava aſcendens cum deſcendente congreſſa alveum ſuum in auriculam cordis exonerare parata eſt, tuberculum quoddam a ſubjecta pinguedine elatum, & notatu valde dignum occurrit, cujus obtentu ſanguis per venam deſcendentem delapſus in auriculam divertitur, qui alioquin in-*

*In tractatu de corde.*

*ve-*

*venam aſcendentem decumbens ſanguinem cor verſus aſſurgentem repr imeret valde, & retardaret. Et ſi quidem in erecto corporis ſitu, atque figura majus inde periculum immineret, ideo vena cava in humano genere hoc majus, & longe eminentius obtinuit; adeo ut ſi digitum alterutri trunco immiſeris, in alterum vix pertingas.* Credo Louverum reperta narraſſe, atque in ea cadavera incidiſſe, quæ genius Circuitionis requirebat. Hoc idem tuberculum coram Antonio Vallisnerio, & Jacobo Viſcardi accuratiſſimis anatomicis in theatro anatomico Patavii anno 1714 exploravi in cadavere humano, & ſolum venæ cavæ membrana loco indicato a Louvero inventa eſt aliquanto craſſior, quæ tamen vel nihil, vel minimum vaſis capacitatem reſtringebat, neque ullum exhibebat impedimentum immiſſo digito, vel alteri rei. In aliis inſuper cadaveribus humanis obſervavi cavæ tunicam eodem loco nullam nactam eſſe majorem craſſitudinem, ſicuti pariter in ove, in qua nihil extuberabat. Quamobrem ſi tuberculum deſcriptum a Louvero id præſtat ductui ſanguinis in cor, ut impediat quominus deſcendens aſcendentem repellat, videtur Circuitio in magnum diſcrimen adducta ex ipſa anatomia, quæ monſtrat in pleriſque cadaveribus id tuberculum non reperiri. Porro animadvertendum erat Louvero etiam in iis, quibus ex propria ſententia ineſt, perpetuum non eſſe; quippe quod a ſubjecta pinguedine, ut ait, efformatur, proinde defecturum, quando homo emaciatur, & longe lateque abſumitur pinguedo, in quo caſu, quid, oro, imaginabitur Louverus ad Circumfluxum tuendum? Quin etiam in brutis, in quibus dixit longe minus tubercu-

lum attolli, quia non ſunt erecto corpore, ut genus humanum, quando contra propriæ naturæ morem corpus erigunt ut canes, & urſi, quid eveniet? Repreſſo aſcenſu ſanguinis a deſcendente inſiſteret ejuſdem circumvectio, animanſque ſyncopa corriperetur. Obſervare tamen eſt non raro ea bruta tempore non adeo brevi ſublimia manere, nec id periculum incurrere.

Ad vias item Circuitionis ſpectat determinare, in quibus partibus ſanguis ab arteriis trajiciatur in venas, quod nondum ſatis explicatum puto. Aſſerunt ſanguinem a corde pelli ad extrema per arterias, ad cor per venas redire, ſed neſcio utrum velint univerſum in arterias, puta, brachii immiſſum pervenire ad manum, digitoſque, atque ibidem ſolum elutriari, an id evenire, ubicunque ex arteriis patet aditus in venas. Videntur aliqui ſentire hanc trajectionem in ſola manu fieri, aliiſque extremis, docentes calidiorem ſanguinem extrahi perforata vena manus, quam brachii, quod in manu ab arteriis proxime venas intret. Opto igitur ut id decernant Adverſarii; qui, ſi affirmant ſanguinem derivatum in majores arterias brachiorum, delapſumque ad crura duntaxat reverti ad cor objecto extremorum impedimento, metamque conſecutum, haud leviter premi poſſunt ex ipſa vaſorum communione, quæ non in ſolis extremis partibus reperitur, ſed in toto ſpatio, niſi alia ratione, certe propter exiliorum vaſorum continuationem longe lateque diffuſam. Tam itaque in toto brachio, quam in ipſa manu, tam in fœmoribus, cruribuſque, quam in pedibus ex arteriis in venas ingreſſus conceditur; quod luculenter apparet, ideo quia in quacunque parte recidatur brachium, ut in ſphacelo,

n reſiduo, ſicuti docent, peragitur Circulus, non ſane per vias denuo factas, ſed antiquas, per quas par eſt credere etiam ante ſectionem ſanguinem ab arteriis in venas tranſire, non in ſola manu, idemque accidere in aliis partibus tum externis, tum internis, in quibus vena comitatur arteriam. Id etiam aliunde evincitur ſine experimento mutilorum membrorum. Nam exiguæ arteriæ, capillareſve brachii, aut alterius partis, vel ſanguine repletæ ſunt, aut vacuæ. Vacuas eſſe ſine dubio negabunt. Sunt igitur plenæ; quæ proinde capillaribus venis, in quas, ut multi credunt, abeunt, contentum liquorem elargientur, eritque fere in omnibus partibus via expedita ab arteriis ad venas, quibus in toto tractu cor inter, extremaque ſanguis diſpenſabitur, neque ea copia profluet ad extrema, ut debeat per venas ad cor reverti, quaſi arteriæ ſolum in extremis depleri poſſent, nec antea rivum uberiorem venis communicare. Quicquid igitur hactenus excogitatum eſt pro aſtruendo circumactu ſanguinis, hujus quidem diſtributionem ſummum probare poteſt, non Circulum, idque clarius fiet, ubi expendemus, qua quantitate, quove ritu ſanguis a corde truditur in arterias.

# CAPUT III.

*Celeritas, qua creditur ſanguis circumferri, Circuitioni opponitur.*

CEleritatem circumflui ſanguinis non unam, & eandem omnes definivere, ſed alii majorem, minorem alii, pro quantitate ſanguinis, quam credunt ſingulis ictibus ab corde propelli. Exiſtimant nonnulli intra duas horas eum circumvolvi, plerique cum Louvero pluries intra unicam horam. Harvæus fere intra vigeſimam partem horæ, Bergerus fere tricies unica hora, & parum abeſt, quin ſexagies fieri Circuitionem decernat; qui, meo judicio, quo eam breviori tempore iterari contendunt, eo pluribus difficultatibus exponunt, & inde ſecuturis abſurdis. Eſto; ea rapiditate volvatur cruor, qua viſum eſt dictis auctoribus. Continenter immenſa fiet ſpirituum diſſipatio, cruorque intra breviſſimum tempus vappa, uti evenire videmus in liquoribus ſpiritalibus, qui vehementius, & diutius agitati opes ſuas amittunt, tenuiore parte dilapſa. Tamen Adverſarii affirmant ſanguinem circumeundo perfici, quod cor toties pertranſeat, quoties renovatur Circumactus; in quo non animadvertunt eadem de cauſa tolli perfectionem, qua credunt acquiri. Sanguis enim per ambitum corporis agitatus, ſive agitatio intra vaſa continua fiat, ſive per carnium ſpatia, tenuitatem, & efficaciam perdit in corde acquiſitam craſſior, frigidiorque redditus, immo ex Pecqueti ſententia impurior ob miſturam fœ-

cum

cum carnium mutatarum, ſuperatque jactura in ambitu corporis factam in corde acceſſionem. Liquet in laboriosis, continuiſque exercitationibus corporis, ingentem ſpirituum copiam peſſum ire, jactatis, calefactis, rarefactiſque humoribus; idque in cauſa potiſſimum eſt, cur ſicuti Philoſophus aſſerit, vita brevior eſſe ſoleat in exercitatis, quam in aliis. Unde metiri licet, quanta ſpirituum, & tenujorum partium quantitas in velociſſima, perpetuaque ſanguinis vertigine peritura foret. qua conceſſa mirari ſuccurrit vitam animantium longe breviorem non eſſe, non ſolum propter indicatam uberrimam conſumptionem, ſed inſtrumentorum attritionem faciendam ex repetitis ictibus tanta feſtinatione circumpulſi liquoris. Nullum videtur corporis exercitium tam vehementem impetum facere poſſe in omnes ſanguinis partes, quam eum cauſa tam feſtinanter circumagens, trudenſque per anguſtiſſima foramina: ex quo pariter timerem ne magis diſſolvenda foret ſanguinis compago, quam ex violenta corporis exercitatione.

Ex magna Circuitus pernicitate accideret etiam, ut nutritio in toto corpore peragi nequiret. Fit iſta, dum partes appulſum alimentum alterant, ſibique aſſimilant, quod aſſimilari nequit, ſi perpetim agitatur a ſanguine rapide præterlabente, qui nihil liquidi ſinit alendis partibus debito tempore adhæreſcere. Nec enim aſſimilatio momento temporis perficitur, immo tempus non adeo breve requiritur, uti viſum eſt antiquis opinatis alimentum partium per varias mutationes ſenſim præparari, videlicet ſanguinem ceſſurum in nutrimentum univerſi corporis in puſillis venis ab circumfuſa partis ſubſtantia primo immutari, mox ab extremitatibus va-

ſorum

ſorum excidere, & in omnia ſpatia diſpergi, & veluti in rorem converti, ubi novam mutationem accipiens partibus agglutinatur, ac tandem magis excoctus perfecte aſſimilatur; ex quibus mutationibus quatuor humores ſecundarii manarunt, humor innominatus, ros, gluten, & cambium. Circuitionis Patroni, qui ſentiunt ſanguinem trajici per carnium intercapedines, gnari, quantum celeritas Circumactus opponatur nutritioni, non unum excogitarunt effugium. Gulielmus Cole exiſtimat per corporis habitum ſanguinem lente ferri, nec eo impetu, ut alimenti alteratio, & adhæſio impediatur; cui tamen remanet eadem ſolvenda difficultas in corporis partibus internis. Nutritur cor, nutriantur aliæ partes internæ, per quarum ſubſtantiam, ut docent, tarde ſanguis non circumfluit; imo per ipſum corporis ambitum non ita tarde decurrit, ut nutritionem fieri permittat moram non adeo brevem exigentem pro mutatione nutrimenti. Etenim, ſi vena in manu vulneretur, expedite cruor exilit, quod Adverſariorum documento evincit cito traduci ſanguinem per carnium ſpatia ex arteriis in venas. Huc adde, quod Leeuvenhoekius ſentit ſanguinem æquali celeritate moveri per majora, ac minora vaſa. Craanen conatur ſe hiſce anguſtiis expedire, aſſerens nutritionem fieri per cohæſionem particularum alimenti alendæ parti, hanc per convenientiam minimarum ſuperficieculárum; quia, quo partes ſe tangunt in majore ſuperficie, eo firmius cohærent, uti experimur in duobus hæmiſpheriis ex marmore confectis admodum politis, ſibique ita oppoſitis, ut ſe invicem tangant in multis ſuperficiei punctis. Tam enim firmiter ſibi adhærent, ut non niſi pon-

*De ſecretione animali.*

*In tractatu de nutritione.*

pondere centum librarum poſſint divelli, & ſeparari. Quibus ita conſtitutis nutritionis rationem explicat, tametſi per carnium ſubſtantiam ſanguis feſtinus flueret. In repetitis, ut inquit, tranſitibus, quæ partes nutrimenti ita particulis alendis apponentur, ut ſe invicem apprime tangant, ſtatim hærebunt, neque a vi circumacti liquoris poterunt ſejungi; unde nutritio. Itaque ex ſententia Craanen ictu oculi nutritio peragitur, neque requiritur alimenti mora in partibus, ut præparetur adhæſioni, quæ tamen opinio defendi non poſſe videtur, niſi poſita homoæmeria Anaxagoræ,

*Oſſa videlicet e pauxillis, atque minutis*
*Oſſibus, & ſic de pauxillis, atque minutis*
*Viſceribus viſcus gigni, ſanguenque creari,*
*Sanguinis inter ſeſe multis coeuntibus guttis.*

Niſi enim ulla mutatio fit in partibus, nec aliquid novi acquirit alimentum, neceſſe eſt ut antea ſimile foret ſubſtantiæ, quam reparat, abſumptaque nervi, vel oſſis pars ex micis nervi, vel oſſis reſtituatur; quæ opinio abunde impugnatur a Lucretio. Quod ſi partes alimenti diſſimiles ſunt ſubſtantiæ alendarum partium, nequeunt repente per ſolum contactum aſſimilari, novamque naturam aſſumere; certo tempore opus eſt, ut fiat alimenti converſio; idque docent aliæ mutationes in noſtris corporibus peractæ. Gulielminus ſentit nutritionem nihil aliud eſſe, quam repletionem intercapedinum, & pororum pro naturali capacitate ſucco cuilibet parti congruente, & a ſanguine ſuffecto, qui continua circuitione renovatur, antiquo decedente ſine illius mutatione in ſubſtantiam nutriti, ut communis fert ſententia. Verum aliis hæc opinio ſcopuliis impingitur. Si nulla fit additio novæ

Lib. 1.

Pag. 35. De nat. Sang.

ſub-

ſubſtantiæ, ut ait, ſolidis partibus, ſequitur ut nihil unquam ab eiſdem abſcedat; quod ſi abſcederet, ſaltem in juventute, & virili ætate ſarciendum foret. Apponitur ex Gulielmino in accretione, quod partem auget, cur igitur ſarciendum non erit quod deperditur? cum præſertim nutritio, & accretio eadem materia fiant, atque ab eadem effectrice cauſa. Si pugnet ille ut nihil unquam ſolidi a ſolidis partibus abradatur, difficulter ſeſe tutabitur. Liquet veſtes uſu diuturno, & duriora metalla teri.

Lucre. lib. 1. *Annulus in digito ſubter tenuatur habendo.*

Quid mirum igitur etiam de partibus ſolidis aliquidpiam limari ſaltem in durioribus corporis exercitationibus? Quin etiam obſervamus multo citius in priſtinum vindicari extenuatos ex copioſo, ſubitoque ſanguinis effluxu, quam ex longa ægrotatione, nec alia de cauſa, niſi quod ille vaſa tantum exhaurit, hæc partes ſolidas imminuit, quas propterea ſimili ſubſtantia reparari oportet.

Poſita continuatione venarum, arteriarumque, mutantur obſtacula explicandæ nutritionis, non declinantur. Etenim ſi vi motus concitati ſanguinis perpetim hic truditur per apices arteriarum Bergeri in carnium ſpatia, qui primo pulſus eſt, impedietur, quo minus implicetur, & adhæreſcat a ſubinde propulſo. Sin dicant tantum per poros arteriarum alimenti materiam emitti, neceſſum eſt ut ſtatuant omnes earum poros, parteſque liquoris emiſſas accommodatas eſſe ad omnium ſolidorum meatus, hoc eſt, carnium, tendinum, membranarum, aliarumque, quod non placet De nutr. cap. 14. Taurio docenti ab ipſis partibus *filtrari*, aut ſecerni quod ſibi congruit, nec omne, quod ineſt ſanguini,

omni-

omnibus partibus congruere. Idem auctor ridet Veteres ſentientes liquorem nutritium a partibus attrahi, & mora aſſimilari. Verum cum paulo ante adverterit modos nutritionis eſſe difficillimos, & pene menti noſtræ impenetrabiles, non video cur deridenda ſit Priſcorum opinio, inde fortaſſe ducta, quod obſervarent ſuccum alimentarium abs radice per totam plantam aſcendere, neque id clarius, & ſimplicius explicari poſſe, quam per attractionem ſimilarem, ſeu incitamentum ad coitionem, ut cum Gliſſonio loquar, quod in pluribus rebus apparet, ortum, ſententia Tullii, ex continuatione, & conjunctione naturæ. Quid autem ſolidius, & apertius apponit Taurius ad explicandam nutritionem? Mihi ſane aſperum eſt ad concipiendum ſanguinem, ut placet Taurio, vi motus verticoſi indeſinenter in partes propelli, partem propulſi ſubito, & ſine ulla mutatione affigi, aliam vero, veluti ſigno dato, venas ſubire, aliam vaſa lymphatica. Mallem fateri me neſcire modum nutritionis, quam imaginationes inutiliter multiplicare, mentique vim inferre. At, ſcio, quod meæ imaginationi vim infert, tuam allicit, & tenet; & ambo patronum habemus Protagoram dicere ſolitum, auctore Tullio, id eſſe verum, quod cuique videatur. Verius tamen dixiſſet tot eſſe veri facies, quot hominum diverſas imaginationes: niſi forte ita verum metiebatur, uti guſtum, de quo tritum eſt adagium, diſputandum non eſſe, cum ejuſdem eſſentia a palato pendeat, varietque pro iſtius diverſitate.

*De Anat. Hepatis. cap. 20.*

*Lib. 2. de divinatione.*

*Lib. 1. de Nat. Deo.*

## CAPUT IV.

*Sanguinis Circuitu multa in Phyſiologia, & Pathologia perturbantur, & obſcurantur.*

QUamquam fama percrebuit a ſanguinis circumverſione in univerſa medicina multa inextricabilia facile ſolvi, atque abſtruſiſſimas morborum cauſas, & ſymptomata explicari, tamen exiſtimo multo plura ſatis aperta involvi, & perturbari diſtincta, digeſtaque confundi. In phyſiologicis tam rapidus ſanguinis fluxus turbat, perditque naturalem ſanguinis fermentationem pluribus approbatam, quæ nequit conjungi cum motu tam violento extrinſecus facto. Agitatio inteſtina particularum ſanguinis, dum naturaliter fermentatur, eſt placida, lenis, intraque eoſdem terminos, quæ neceſſario interrumpitur ab impetu circumfluentis ſanguinis hunc totum breviſſimo tempore per tot flexuoſos, arctiſſimoſque canales propellente. Nec enim fieri poteſt, quin motus debilior a robuſtiore vincatur, & impediatur, ut experimur in muſto, quod ab acinis, corticibuſque ſejunctum, & in cado repoſitum, ut ſolent in colle placentino, quotidie exagitatum dulcedinem non amittit, quod eo motu ebullitio interturbatur. Acriter opponitur cretenſis Adverſarius Pag. 12. hanc reddens rationem muſti concuſſionis. *Non ut ebullitionem ejus intercipiant, ut ille ſupponit, cum a nimia illa agitatione pars ſulphurea excandeſcens nimis indebitam ebullitionem conciperet, ſed illo motu vorticoſo partes omnes circumvolventes conjugationes ſalinas impediant, ne a liquore*

*ſecre-*

*ſecretæ fundum vaſis petant, & ſpicula ſua mittant ad illius acorem*. Quibus affirmat partem ſulphuream a nimia illa agitatione excandeſcentem conflagraturam eſſe; ac poſtea ſubdit eodem motu violento ſolum inhiberi ſalinas conjugationes. Enim vero ſi motus violentus aptus natus eſt ad concitandam vehementem, nimiamque ebullitionem, inflammandaſque particulas ſulphureas, quocunque fine muſtum concutiatur, id certe efficiet; neque finis concutientis mutare poteſt effectum concuſſionis; quod tamen non evenire experientia demonſtrat, & idcirco eum motum ad dictum effectum ineptum eſſe. Nunc peto quare in muſto concuſſo non copulentur partes ſalinæ. Alia non apparet cauſa, niſi quod motus externus interiorem prohibet, quo partes ſalinæ ab aliis, & potiſſimum oleoſis evolvuntur, ſibi mutuo occurrunt, tandemque implicantur. Ut enim explicat Lemerius, vini ebullitio non aliunde concitatur, quam ex multo ſale, ut vocant, eſsentiali impetum in partes oleoſas, abs quibus vinciebatur, faciente, dividente, & lacerante. Porro abſoluto conflictu multæ partes ſalinæ, excuſſis intermediis oleoſis, copulantur, unde dulcedinis jactura. Salium igitur conjunctio inhibetur in jactato muſto, jacturaque dulcedinis propter impeditam jactatione ebullitionem. Hoc ipſo argumento, quod motus Circuitionis maxime officit motui vario particularum ſanguinis contendit Bentekoe contra Vvilliſium febrem minime conſiſtere in motu inordinato ſanguinis, nimioque fervore, imo in præſens non pauci perſuaſum habent ſanguinem neque naturaliter, neque præter naturam fermenteſcere propter alias etiam rationes,

*Curſus Chymici pag.12.*

ſed præſertim continuum Circuitionis motum. Cum tamen iidem auctores alium motum inteſtinum ſanguini tribuant, hic ipſe pariter a vorticoſo, atque extrinſecus facto perturbabitur.

Antequam hoc caput Adverſarii, in quo hæc objecit de muſto, dimittam, placet ejuſdem titulum expendere, quoniam & ipſe me de tituli abuſu condemnavit. Hoc caput, quod primum eſt ejus apologiæ, inſcribit: *De cauſa materiali Circulationis* deinde unum, vel alterum verbum facit de ſanguinis elementis, poſtea motum ſanguinis trifariam dividit, & tandem ita concludit. *Propoſitum itaque noſtrum exigit, ut poſterioris hujus motus, nempe Circularis rationes expendamus.* Si naturam cauſæ materialis intelligit, cur hanc agitandam ſibi proponens aliorſum divertit? Quid habent rationes Circuitionis cum cauſa materiali? Quas autem rationes in eo capite penſitat? Unam tantum, quam colligit ex neceſſitate nutritionis. Reliqua omnia quæ memorat de ovi incubatu, de teſticulorum, & arborum ſtructura, de anatome plexus choroidis, nil prorſus attinent ad examen rationum Circuitus, & ad cauſam materialem; ut in eodem capite a primo, & ſecundo themate fere ſemper longo intervallo aberret; cui propterea capiti ſolum multiplex, variuſque titulus congruere poteſt. Mihi credat; hoc non eſt apologias conſcribere, & cenſorem agere, ut de ſe prædicat, ſed cæmentarium lacunas qualibet congerie replentem.

Impetus circumflui ſanguinis ſenſuum interiorum operationibus opponitur, quarum præcipua inſtrumenta ſunt ſpiritus animales diverſis motibus e re ſenſibili ſuſceptis diverſas rerum notas cerebro imprimentes;

quos

quos propterea aliunde jactari non oportet, ut quales a re ſenſibili motiones acceperunt, ad Cerebrum deferant. Similiter ut cerebrum, quales deferuntur, hos motus recipiat, & inde ſuas edat functiones, aliunde percellendum non eſt. Veruntamen ſi ſanguis per cerebri vaſcula, & ſubſtantiam properato circumvolvitur, neceſſum eſt ex continuo illius appulſu principis ſenſus organa urgeri, veſtigia rerum hic, illic aſſervata turbari, deleri, motuſque ſpirituum animalium aliis motibus confundi, omniaque peſſum ire; quibus abſurdis tandiu Adverſarii involuti fuerunt, quandiu ſanguinem per intercapedines partium circumire autumarunt. Ab omni tamen difficultate tuti non ſunt Adverſarii etiam poſita continuatione arteriarum, venarumque, quibus dubitandum occurrit, ne motus rapidus ſanguinis per vaſa cerebri, capitiſque, per quæ volunt perniciorem eſſe, quam per reliquas pleraſque corporis partes, officiat rationis functionibus obeundis, ad quas conſtat nos minus eſſe præparatos ab aliqua cauſa externa ſanguine commoto. Ac profecto ſi viverent illi Priſci, qui animam purpureo colore infecerunt, & cum ſanguine miſcuerunt:

*Purpuream vomit ille animam, & cum ſanguine miſtam:*

exiſtimo aut minime Circuitioni ſubſcripturos eſſe, aut mutaturos ſententiam, nec ipſis placituram animam perpetua vertigine laborantem.

Inter ſanguinem venarum, arteriarumque inſigne apparet diſcrimen, quod ille ſit multo tenuior altero, motu, & colore vividior; quam diverſitatem referunt ad majorem lymphæ, aeriſque immiſti copiam, qua ſanguis arteriarum donatur. M. Au. Severinus teſta-

tur

tur ſe in ſanguine ex icta arteria profuſo plus duplo ſeri deprehendiſſe, quam in ſanguine venæ, quam majorem ſeri, aeriſque quantitatem opinatur cum aliis Bergerus ab arteriis in vaſa lymphæ ſecedere, eoque ſanguinem venarum craſſiorem reddi, atque ſegniorem. Verum ſi arteriæ continuato meatu in venas deſinunt, ut pleriſque placet, non ita expeditum eſt, hanc lymphæ, aeriſque ſecretionem tueri. Quo enim artificio, qua vi in arteriis capillaribus ſeparabitur lympha multo aere permiſta? Semper urgetur ſanguis, ut docent, a ſubſequente, patet vena capillaris eum receptura. Iter igitur ſuum prompte progredietur, nec ullum offendiculum efficiet, ut pars aquoſa ſeponatur. Siquidem vel vaſa lymphatica ſunt ampliora venis capillaribus, vel anguſtiora. Si ampliora, potius videntur apta nata ad recipiendum craſſiorem ſanguinem, quam partem magis tenuem, & aquoſam. Sin ſtrictiora ſint, latiores venæ, in has ſanguis totus expedite fluet, nihilque occurrit, unde debeat ſegregari magna pars lymphæ. Quod ſi hæc ſeparatio nequit peragi in capillaribus arteriis, multo minus peragetur in majoribus ramis, per quos celerius ſanguis decurrit, nec ullo impedimento e recta via deturbatur. Hæc inſuper ſecretio videtur parum conſentanea legibus Circuitionis. Sanguis eo facilius ſurſum impellitur per anguſta vaſa, quo liquidior eſt, interjectoque aere mobilior. Itaque cum per venas capillares ab arteriis ſimilibus egreſſus debeat contra proprium pondus curſum ad ſuperiora inchoare, neque ulla appareat cauſa, quæ ibidem ejuſdem motum roboret, augeatque, ſi opinemur in arteriis capillaribus abjungi ma-

gnam

gnam partem lymphæ, aeriſque, craſſioremque proinde fieri cruorem, minuſque mobilem, liquet eundem potius ad moram, quam aſcenſum præparari.

Sanguinis circumductus illam etiam diverſitatem explicatu difficilem reddit, quæ ſæpe apparet in paucis unciis ſanguinis ex eadem vena detractis. Sub initium Martii anni 1716, quo hæc agitabam, perilluſtris fœmina triginta quinque annorum incidit in pleuritidem lateris dextri, ob quam meo juſſu a brachio affectæ partis extractæ ſunt octo ſanguinis unciæ, exceptæque in diverſis vitris, quas poſt prandium exploravi. In tribus primum emiſſis ſuperficies obducebatur cruſta quaſi digitum tranſverſum craſſa, coloris inter flavum, albumque medii, e quibus non modicum ſeri flavi ſeparatum erat. In aliis tota moles rubeſcebat ſine ullo cruſtæ veſtigio, modicumque ſeri ſepoſitum. Utraſque ſecui, paremque in omnibus firmitudinem, partium compactionem, & mucroni renixum inveni. Idem ſæpiſſime in aliis obſervatur, imo interdum multo craſſior cruſta. Quocirca, ſi ſanguis ante venæ vulnerationem promiſcue, feſtineque per eam ferebatur, unde nam tanta, & ſubita diſſimilitudo primas inter aliaſque ſanguinis uncias? Multum a ſtatu naturali putat Verhayen recedere ſanguinem magna cruſta, licet alba, tectum; cum quo ſi dicas deſcriptum cruorem vitiatum fuiſſe indicio cruſtæ, hæc major debuiſſet exiſtere, vel ſaltem æqualis in cruore poſteriore, quæ tamen nulla fuit. Neque vero mente concipere poſſumus primas uncias inquinatas fuiſſe, mundas, defœcataſque reliquas rubentes, nulloque craſſamento flavo, vel albo involutas; quando utræque ex eodem fluento velociter per venas moto hau-

*Lib. 2. tractat. 1. cap. 9.*

hauſtæ ſunt. Sin autem eam concretionem non a vitio ſanguinis, ſed naturali conditione obortam dicas; quod frequens eſt obſervatio etiam in ſanis cruorem poſterius emiſſum eſſe rubicundiorem priore portione; quæſo promas cauſam, unde flavum illud, albumque concreverit in ſanguine prius tracto, quæ nulla fuerit in altero. Philippus Verheyen arbitratur cruorem poſterius eductum floridioris eſſe coloris, & rubrioris, quod natura multum arterioſus eſt, alter totus venoſus, ideoque carens magna parte materiæ ab aere deſumptæ, qua ditatur arterioſus. Forſan id Verheyen darem, ſi in utroque cruore cruſta extitiſſet, ſed craſſior in primo ob minorem aeris quantitatem, tenuior in ſecundo ob majorem, in quo tamen nulla fuit; vel ſi ea diverſitas apparuiſſet poſt exhauſtum ſanguinem univerſum vicinarum venarum. Apparuit autem poſt tres uncias extractas, quas ſolas contineri in vicinis venis quis affirmet? Præter hæc quia ſanguis ex arteriis minimis tranſit in pariles venas, atque in hiſce exilibus vaſis vel parum, vel nihil diſſimilis eſt, diſſimilitudo, quæ apparet in detracto e vena ei attribui nequit, quod pars altera propria venarum ſit, arteriarum altera. Dum enim hæc e truncis majoribus arteriarum delabitur in capillares ramos parum, vel nihil capillaribus venis differentes, quod erat proprium arteriarum amittit. Fruſtra vero ſubdit Verheyen, per venæ vulnerationem ſanguinis curſum accelerari, minuſque iccirco materiæ aereæ ab arterioſo ſanguine ſecerni, atque ab ejus ſuperſtite copia poſterius effuſum ſine cruſta rubere, & pellucere. Quippe oſtenſum eſt lymphæ, aeriſque ſecretionem magis optari, quam probari. Quænam igitur idonea ejus diver-

*Lib. 2. tract. 2. cap. 7.*

diverſitatis cauſa erit? Licet opinari ex Veterum ſententia in cruore prius educto fuiſſe coactas partes albas, non fuiſſe in altero propter præpoſitam earum quietem, vel lenem & lentam tantum motionem, qua magis paratæ ſunt ad ſeparationem a diſſimilibus, quam quæ inſunt ſanguini deinceps extracto, qui veniens a loco paulo remotiore magis agitatur, agitatæque partes novam acquirunt miſtionem, implicationemque, indeque impeditur ſecretio diverſorum. Si enim per quietem fit ſeparatio, neceſſum eſt minus commotas fuiſſe partes prius hauſtas, quam poſterius.

In Pathalogia quoque non pauca turbat, obſcuratque Circumactus; idque primum nitar oſtendere in pluribus morbis capitis, quorum alii primarii ſunt, alii per conſenſum, hoc eſt alii geniti ex cauſa in ſolo capite exiſtente ibique nata, alii in toto corpore, alii in certis partibus ſubjectis; cujuſmodi eſt melancholia, quæ ex communi veterum placito alias generatur ex ſanguine atrabilario reddito in toto corpore, alias in ſolis venis capitis, alias ex hypochondriis male affectis. Orta melancholia, aut vitio totius ſanguinis, aut hypochondriorum eandem, vel paulum diverſam in omnium ſententia explicationem habet. Quæ vero progignitur ex ſanguine tantummodo in vaſis capitis depravato ex legibus Circuitus defendi nequit, ex quibus nequimus imaginari vitium aliquod in ſanguine caput irrigante, quod toti fluento commune non ſit, niſi dicimus capitis vaſis obſtructis illius communionem cum reliquo tolli. Ex qua tamen ablata non melancholiam produci, ſimilemve morbum ſalvis operationibus volunt, ſed apoplexiam has præpedientem. Fateantur

igitur neceſſum eſt morbos capitis vel organicos eſſe, vel a cauſa generali, fuſaque per omnem ſanguinem genitos, nullum creari poſſe a ſola vitioſitate ſanguinis circa caput. Mihi vero videntur plures capitis morborum cauſæ luculentius explicari admiſſo aliquo vitio quantitatis, aut qualitatis ſanguinis in ſolis vaſis capitis, quam congruenter ad Circuitionis principia rejecto. Conſtat in aliquibus capitis doloribus tendi venas oculorum, arterias plus ſolito micare, nil ſimile in aliis partibus apparere; quod arguit in vaſis capitis aut majorem copiam ſanguinis, aut calorem, quam in reliquis, neque propterea ſanguinem circumduci per univerſum corpus ab actione cordis, vel æquipondii viribus; ſi utraque cauſa ſanguinem omnibus partibus æqualiter diſpenſat. Catalepſim, latine deprehenſionem, exiſtimat Aetius aliquando produci a multitudine ſanguinis ſubito caput occupantis, & ſuperimplentis, quemadmodum ſe vidiſse teſtatur in adoleſcente copioſo ſanguine referto: qui cum triduum exegiſset neque claudens palpebras, neque tranſmovens oculos, ad vehementes vociferationes, quarta die ſanguinis eruptione larga per nares facta, ab omnibus moleſtiis confeſtim liberatus eſt. Libenter audirem ab adverſariis, iiſque præſertim qui ſanguinem ratione æquilibrii circumagi opinantur, quo pacto repentini, uberioreſque liquoris accurſus in caput fiant, quos ſi negant, oportet ut congruentiorem cauſam deſcripti morbi, ſimiliumque in medio ponant. Illud etiam auget difficultatem plurium capitis affectionum explicandarum, quod fautores Circuitionis nequeunt cum Antiquis confugere ad intemperies calidas, vel frigidas

*Lib. 6. cap. 4.*

par-

partium ſolidarum; ſi communis ſententia docet calorem vitalem oriri ex lucta inter partes tenujores ſanguinis, craſſioreſque, parteſque ſolidas magis, vel minus incaleſcere, quatenus magis, vel minus calido ſanguine irrigantur, e quo proinde caloris aucti, vel imminuti cauſa in ipſis partibus ſolidis petenda eſt.

Fit anaſarca, ut placet Vvilliſio, ex majore lymphæ copia, quam venæ, ductuſque lymphatici excipere poſſint, in omnes carnium intercapedines diffuſa, tumorem laxum, & mollem in corpore univerſo excitante; quam ſententiam tueri nequeunt, qui putant ſanguinem per carnium interſtitia in venas illabi. Etenim ſanguine per illa ad venas tranſeunte, cur ſimul non influet effuſa lympha? An quia hujus copiæ impar eſt venarum capacitas? Ergo in anaſarca laborantibus, velis, nolis, Circuitus intercipietur. Quando venæ uſque adeo repletæ ſunt, ut nequeant fluctuantem lympham recipere, neque poterunt ſanguinem, imo multo minus, ut pote lympha craſſiorem, qui præterea a lympha exotica refrigeratus in carnium ſubſtantia concreſceret. His ipſis auctoribus, alia multa enodanda ſuperſunt, inter quæ cauſa effluvii ſanguinei, quod accidere docent occluſis venis, ac nequeuntibus effuſum cruorem ab arteriis reſugere, qui propterea cogitur extra ſuas orbitas ferri. Unde ſequitur ſanguinis effluxum produci potius a ſanguinis frigiditate, craſſitie, aliiſque cauſis obſtruentibus, quam a calore, atque tenuitate, quibus, ut evidens ratio docet, plerumque ſanguis ad egreſſum incitatur; ac proinde pro curatione aperientia non obturantia, & conſtringentia convenirent. Præterea, rogo, doceant,

quare cauſa venas occludens non una obturet arterias? Quod ſi concedimus continuationem venarum, arteriarumque ſequitur, ut ſpontaneæ ſanguinis eruptiones ſciſſis duntaxat vaſis, non apertis eorum oſcillis fiant: quæ tamen utpote factæ ſine violentia, ſine dolore, brevique ceſſantes probabilius creduntur produci ab oſculorum apertione, quam tunicarum ruptione.

Non pauci aſſerunt febres ab adaucta ſanguinis fermentatione accendi, quæ vehementiore luctantium particularum motu calorem auget, & Circumactus celeritatem, quæ tamen ex ſuperius dictis valde inter ſe pugnant. Quanto enim concitatior eſt motus ſanguinis extrinſecus provocatus, tanto remiſſior inteſtinus ſit oportet. Utriuſque incrementa nequeunt copulari. Neque vero obicem evitaveris, rejecta cum multis naturali, & febrili ſanguinis fermentatione, qui nihilominus ſponte fateris ineſſe ſanguini motum quendam proprium, & inteſtinum, quem niſi in omnibus, ſaltem in pluribus febribus adauctum eſſe ex vehementiore calore aliiſque indiciis manifeſtum eſt. Quicquid igitur opponitur adauctæ in febribus fermentationi, pugnat etiam adverſus motum inteſtinum ſanguinis, quem fermentationem appellare recuſas. Alia plura a ſanguinis Circuitu ſunt offendicula ad exponendas tot febrium differentias, & ſymptomata, quorum rationem ſæpe deſumebant antiqui ex diverſis mutationibus ſanguinis in vaſis diverſis. Sic febris ardentis, & tertianæ continuæ diſcrimen in diverſitate loci humoris putreſcentis collocabant, affirmantes febrem ardentem ſolum produci poſſe ab humore putreſcente in venis ventriculi, vel jejuni inteſtini, vel alterius loci pro-

pinqui ventriculo, idque ut infinitæ ſitis, qua premuntur ægrotantes, idoneam cauſam afferrent. Tertianam autem continuam tam intenſa ſiti carentem opinabantur fieri a bile in venis putreſcente, non peculiariter in prædictis vaſis; quibus omnibus repugnant Circuitionis leges, neque tamen probabiliora ſuppeditant ad hanc, & aliarum tot febrium diverſitatem explicandam.

Alias oppoſui ex calore ſanguinis Circuitionem accelerante, atque ex majori celeritate ejuſdem calorem augente id abſurdum ſequi, ut tandem Circuitio intra minimum punctum temporis perfici oporteret. Reſpondit Cretenſis. Quid quæſo? Audiamus Cenſoris acumen. Fatetur a Circulo accelerato calorem intendi, negat illum a calore incitari. Quoniam, ut ait, a ſucco per nervos inſtillato cor movetur. An ita cor moveatur, non diſputo. Quicunque ſit cordis motor, certiſſimum eſt a calore ſpiritus omnes concitari, ab his motum cordis, arteriarumque, nec non Circuitionis, ſi admittitur. Quoties ab ira, vel labore, vel potu falerni quis incaleſcit, nonne ſtatim cordis, arteriarumque pulſus intenditur? Quid evidentius? Sed adhuc lepidior eſt Adverſarius, dum certat, & enititur, ut probet non poſſe Circuitionem intra punctum phyſicum individuum temporis peragi, quaſi de hoc ego contenderem. Id Patronis Circuitionis objeci tamquam abſurdum eamdem ſequens, ut ex ſequentis repugnantia antecedentis etiam pateſieret. Si ſequela conceditur, nil ulterius exopto; imo Adverſarius meas partes tuetur, dum probat Circulum minimo temporis momento abſolvi non poſſe; ſibique contrarius, dum me maledictis inceſſit, reipſa protegit. Pag. 39. 40.

Sæpe

Sæpe obſervamus morbos acutos, & præſertim febres per ſpontaneas excretiones curari, in quibus modo per alvum, modo per vias urinæ, aut ſudoris, fomes febrilis, qui ſanguini, ut pleriſque placet, admiſtus erat, foras extruditur. Qui tamen hæc ſeparatio fiet ſanguine in orbem rapto? quo motu perſeverante omnia ſemper confuſa remanent, & perturbata. Pulverem offunde aquæ, nunquam hæc depoſitis ad imum extraneis clareſcet, niſi quieſcat. Vinum recens, neque probe defœcatum, ſi perpetim concutiatur nunquam perſpicuum ſemotis fœcibus evadet. Monet igitur Senex in ſtatu febrili quieſcendum eſſe, in quo ſolet natura nocuum ſeparare mox expulſura, quæ commotis, turbatiſque humoribus ab incæpto revocaretur. Fit nocui ab innocuo ſecretio in ſanguine medio peculiari motu inteſtino particularum, quem externus, & violentus, ut oſtenſum eſt, perturbat, impeditque. Quinimmo, licet aliquod recrementum ſeponeretur a ſanguine, ſepoſitum non poſſet excerni, niſi aſſignentur peculiaria orificia, quæ particulare recrementum, nec olim ſepoſitum, minime ſanguinem recipiant. Ea porro difficile aſſignabunt, qui volunt diverſas ſeparationes agi per figuras ſeparandi accommodatas orificiis excipientium, ſaltem pro variis purgamentis in repentinis febrium mutationibus ad alvum labentibus. Sunt etiam alii morbi, qui per particulares ſecretiones a toto ſanguine curantur, interque alios inſania, ut docet Cous, *Inſanientibus ſi varices, vel hæmorrhoides ſupervenerint, inſaniæ fit ſolutio.* Galenus in commentario inquit, excitatis varicibus inſaniam deſinere craſſo, & melancholico ſucco, abs quo inſania producebatur, ad locum

vari-

varicis depulſo; cui experientia ſuffragari videtur, ut habemus ex obſervationibus Schenchii. Daniel Federer faber ahenorum circa 27 ætatis annum mania correptus fuit, & aliquot menſes catenis lecto affixus. Subortis autem in cruribus varicibus venis craſſo, nigro, & fœculento ſanguine multifariam diſtentis ab inſania liberatur. Ita fere annos 23 vixit, ſed ſingulis annis per intervalla ſæpius acerbiſſimis varicum doloribus cum crurum inflammatione, & diſtenſione miſere torquebatur. Remedio erat, præter fomenta ex herbis inciſio varicum, e quibus ſurſum, & deorſum facta compreſſione craſſus, & reſiccatus cruor exprimebatur. Ergo ex Hippocratis, & Galeni doctrina in deſcripto fabro icciirco diſcuſſa eſt mania, quod natura, ut ait Hippocrates, docta ſine doctore ſanguinem atrum, craſſum, retorridumque effectorem maniæ in crura rejecit. Annuentne Hippocrati, & Galeno Adverſarii? Obſtat aſſenſui motus in gyrum, qui omnia confundit, nec patitur ſeparari humorem craſſum e reliquo ſanguine, atque in peculiari vaſe colligi. Præterea conceſſo ejuſmodi humorem ex reliquo ſanguine ſecerni, ſi dicant ad majores venas crurum ferri per arterias, venaſque capillares, in hiſce propter ſuam craſſitiem, & earum anguſtias neceſſario hæreret, ſtagnaretque. Sunt adeo minuta hæc vaſa, ut vix exquiſitiſſimo microſcopio detegi poſſint. Lib. 1.

Non ſola natura maniam ſanante varices excitantur, ſed aliis de cauſis, & præſertim ab aſſidua ſtatione, immodicis laboribus, & peregrinationibus, interdum etiam ex plenitudine, ut mulieribus utero gerentibus. Circuitionis fautores, quæſo explicent, quo pa-

cto

ſto ab hiſce cauſis varices producantur. Apparet in iſtis venam immodice dilatatam eſſe, ſubjectum cruorem reliquo quidem craſſiorem eſſe, ſed non penitus concretum, & gypſeum. Tumor enim preſſus cedit, moxque redit. Quid igitur præter naturam venam dilatavit? Num pondus ſanguinis? At ſurſum aſcendit, neque ſtagnat, niſi poſt varicem. Eruditiſſimus Bernardinus Ramazzinus de morbis artificum ita exponit varicem creari ex diuturna ſtatione. Compreſſis arteriis deorſum tendentibus e diſtentione muſcularium fibrarum non eo impetu truditur ſanguis in carnium ſubſtantiam & venas, ut ſurſum queat per lineam perpendicularem aſcendere. Unde inibi ſubſiſtens varices efficit. Hac tamen, niſi fallor, de cauſa ſanguis prius ſtagnaret in carnium interſtitiis, vaſiſque capillaribus, quam in trunco majore, in quo ſcilicet minora impedimenta offendit, quam in carnium anguſtiis, & capillarium venarum, & ſtagnando omnia cruris vaſa varicoſa efficeret, non tantum unius partem. Porro dubitant aliqui num cruor vere ſtagnet in varice. Mangetus inquit in varice quandam quaſi ſtagnationem fieri. Qualis autem erit hæc quaſi ſtagnatio? Inter celerrimum motum, & tardiſſimum alii plures, diverſique intercedunt; at inter quietem, & motum quid medium excogitari, aut fingi poteſt, quod quaſi ſtagnatio vocetur? Num altera pars quieſcet, movebitur altera? Opinantur enim non nulli cum Joanne Forti per medium craſſum cruorem varicis tenujorem circumagi; ita illum ventilari, ac minime putreſcere. Quo poſito tenujor ſanguis per mediam varicem ſibi continenter viam muniens eam brevi tolleret, qui ſingulis

*De morbis artificum.*

cir-

circuitibus partem aliquam craſſiorem ſecum abriperet, & pluribus, brevique repetitis omnes. Proinde clariſſimi Recentiores, inter quos Bellinus, affirmant in varicibus Circuitum omnino impediri. *De miſſ. Sang. propoſit. 9*

Affectionis hypochondriacæ tam frequentis ægrotantibus æque, ac pene dixerim medentibus moleſtæ ex principiis Circumactus nulla ſatis aperta, convenienſque cauſa excogitari poteſt, quæ medicationi reſpondeat. Vetus eſt opinio eam naſci ex vitioſis humoribus in vaſis ventris inferioris collectis, ramis venæ portæ majoribus, ſplenicis, meſentericis, epiploicis, gaſtricis, & gaſtrepiploicis. Hinc tot incidentia, atque aperientia excogitata ad tollendas obſtructiones, quæ a Recentioribus quoque uſurpantur, vel diſſentientibus Circuli theorematis, quibus evincitur ea vaſa obturari non poſſe. Succos enim obturantes unde vaſa recipient? Ab arteriis majoribus fluunt humores in minores, ex iis in carnium meatus, vel proxime in capillares venas, qui proinde nequeunt ſua craſſitie oppilare vaſa, niſi omnes ſucci ejuſdem ſint conditionis. Nec enim patitur impetus rotati liquoris craſſiores partes ſecerni, atque in particularibus vaſis reponi. Sit ergo totus ſanguis craſſus, & melancholicus, aptuſque ad obſtruendum. Cur potius vaſa in viſceribus occludet, quam in aliis partibus, puta, manibus, pedibuſque, immo totius corporis habitu? Si ſanguis adeo glutinoſus eſt, ut nequeat per exilia vaſa viſcerum infimi ventris tranſire, qui poterit per anguſtiores carnium poros, aut per capillares canales in toto corporis ambitu? in quo præterea denſatur a frigiditate ambientis nos aeris. Fortaſſis reſpondebunt ſanguinem craſſiorem fieri in aliquibus partibus vitio

Aaa earum

earundem, eoque parere obſtructiones; cui reſponſo opponitur celeritas circumfluentis laticis, quæ non ſinit hanc craſſitudinem in partibus contrahi. Vel aſſignetur efficax cauſa, quæ citiſſime cruorem craſſefaciat. Eritne intenſus calor humidiorem partem abſumens, an frigus condenſans? De frigore nulla poteſt eſſe ſuſpicio. Calor etiam videtur ineptus; quippe qui eo gradu viſceribus ineſt, quo ipſi ſanguini, cujus rigatione volunt Recentiores viſcera duntaxat caleſcere. An igitur erit ſuccus acidus fermentans? Quæritur quomodo, & unde eo ſit delapſus. Si hujus acidi humoris parens eſt fluentum ſanguineum, cur etiam alio non ſpargitur? Cur eædem obſtructiones non eveniunt in meatibus capillaribus totius corporis ambitus? Neque vero has ſpinas declinabunt Adverſarii, ſi arbitrentur ſolas glandulas viſcerum obſtrui, non vaſa. Licet enim glandulæ non forent ſola vaſorum implicatio, ut aliquibus placet, tamen ut tueantur a craſſitie communi totius ſanguinis ſolas glandulas viſcerum obſtrui non capillares canaliculos in ambitu corporis, debent oſtendere poros glandularum eſſe arctiores omnibus capillaribus, ideoque fieri poſſe, ut ab eadem ſanguinis craſſitie utrique meatus non obſtruantur, quod oſtendendum nemo, ut opinor, ſuſcipiet. Donemus tamen oſtendi poſſe. Illud profecto inde ſequetur, ut nequeant occludi glandulæ viſcerum, quin pariter occludantur cutaneæ, & deinde capillaria vaſa. Itaque judico multo facilius explicari generationem obſtructionum in viſceribus, ex veteri ſententia de ſanguinis quiete, quam nova de pernici in orbem motione.

Geo-

Geofilus, aliique pro certo habent poſita ſanguinis vertigine facile oſtendi, quomodo venenum extremis etiam partibus morſu incuſsum tam cito ad cor raptum animal interficiat; quod Galenicis tanquam ex ſuis theorematis inexplicabile objiciunt. Oppoſitum tamen in diverſitate venenorum, quorum alia citius, alia tardius in vitæ penetralia invadunt, experientur. Feſtinum veneni ab extremo pede ad cor aſcenſum tribuunt pernicitati Circuitionis idem ad ſuperiora rapienti; quod tametſi congruat veneno in cor illapſo intra ſpatium, quo ſanguis a puncta parte ſolita feſtinatione ad cor progreditur, certe minime congrueret venenis, quæ citius, vel tardius cor petunt, quam ſanguis a commorſa parte. Quo igitur impulſu hujuſmodi venena in cor irrumpent? Geofilus credit a calore veneni Circuitionem feſtinari; eoque calidius venenum cor celerius adire, frigidum tardius. Quo pacto conſequentem effectum aſſignat tanquam cauſam prioris. Quamvis aliquod virus propter intenſiorem caliditatem altero cor citius adoriretur, tamen ut Circumactum urgeat, neceſſum eſt prius ſuas faces quoquo verſum ſpargat, corque ſubeat. Major igitur celeritas Circuitionis conſequetur raptum veneni ad cor, non illud deferet. Cæterum docent plerique plura venena non ex caloris exuperantia, ſed abs tota ſubſtantia vires ſuas mutuari. Quid meditaberis Cretenſis ad hos nodos diſſolvendos? Probas mutari pulſum etiam in eodem homine *ſucceſſione temporum, tot paſſionum, impreſſione, ætatum mutatione.* Inde concludis mirum non eſſe, ſi unum venenum citius altero cor penetret, *cum unum, & idem pro ſanguinis celeritate, vel tarditate, aut ſpirituum diverſa tem-*

*In noviſſima de cauſis, ac prognoſticis pulſuum methodo.*

*Pag. 53 & ſequ.*

*perie ſuum diverſimode peragat opus in corde*. Ergo omnia venena intrinſecus paria reputas, ut Stoici peccata. At peſtis canis rabidi cur tandiu latet poſt inflictum morſum in quocunque corpore, & quomodocunque affecto, ut raro ante vigeſimum diem ſe prodat? Cur ſubito non excandeſcit, ut aſpidis venenum, vel ſaltem poſt tempus, quo ſemel, aut bis, terque, quaterque peracta eſt Circuitio? Id profecto nequit aſcribi diverſæ ſpirituum temperaturæ, aliiſque cauſis exterioribus, evincitque venenis ipſis ineſſe vim diverſam, atque diſparilem impetum ad cor diverſo multum tempore penetrandi, ſuamque tragædiam abſolvendi; qui tamen non cohæret Circuitionis doctrinæ ſi velit venena a liquore circumfluo ad cor deportari. Namque omnia intra tempus non valde diverſum communicarentur; quando ſanguis non valde diſpari velocitate ſemper ſuum iter conficit. Hæc ſane offendicula non eos manent, qui raptum veneni ad cor referunt in continuatam partium alterationem, ad quam intelligendam Delio natatore opus non eſt, niſi Adverſario, qui etiam multo clariora non percipit. Quicunque ſit veneni character, quem explicare non eſt præſentis temporis, hoc primo imbutus ſanguis ſocias partes uſque ad cor immutat, vel per continuatam productionem ſimilis qualitatis; aut ſi hæc diſpliceat, eo modo, quo Petrus Gaſſendus exponit a veneno peſtilenti aerem corrumpi, qui putat hanc corruptionem fieri ab halitu virulento ſua corpuſcula aereis particulis immiſcente, harum ſitum tranſponente, & pervertente, ſibique ſimiles in eandem texturam transformante; quod confirmari poteſt ex veneno canis rabidi, quo in hominem commorſum eadem

*In ſintagmate philoſophiæ Epicuri de peſtilentia, cap. 7.*

dem

dem rabies transfertur, non infirmum argumentum in ſimilem texturam commorſi ſanguinem mutari.

Indubitatum erat Antiquis phlegmonas excitari a copioſiore ſanguinis fluxu in certas partes, vaſis majoribus oneroſam copiam in minora deponentibus, & tandem in vacua ſpacia muſculorum; unde tumor cum dolore, & rubore. Recentioribus autem quid videtur de hoc uberiore humorum accurſu? Si rejiciunt, difficulter earum ægrotationum cauſam explicabunt, & curationem factam per ſanguinis effuſionem. Sin admittunt, Circuitionis legibus adverſantur; quibus conſtat ſanguinem a corde univerſo corpori æqualiter diſpenſari, ut nequeat major quantitas in certam partem decurrere, niſi adſit cauſa efficacior diſpenſatore, quæ illam trahat, vel impellat, quam in pluribus inflammationibus aſſignare perarduum eſt. Qui vero generationem inflammationum non uberiori ſanguinis illapſui attribuunt, ſed congeſtui facto, ut explicat Diemerbroekius, propter obſtructionem venarum impedientem ingreſſum effuſi ab arteriis ſanguinis in carnium intercapedines, nequeunt hoc placitum defendere, niſi cauſam indicent, quæ oſcula capillarium venarum obturet, minime ſimilium arteriarum. Omnis autem cauſa tumoris, de qua mentionem faciunt, cujuſmodi eſt refrigeratio, contuſio, ſanguinis craſſitudo, apta æqualiter eſt ad obſtruendas exiles venas, arteriaſque. Quorſum hæc, inquies, ſi extabuit opinio effuſionis ſanguinis ab arteriis in carnium intercapedines? Placuit adnotare, quot falſas imaginationes Circumactus pepererit. Præterea non nulli nondum ab ea ſententia deſciverunt. *De Anat. pag. 278*

CA-

# CAPUT V.

## *Sanguinis Circuitio ſecuriori medicationi repugnat.*

Lib. 1. de Offic.

CONſiderate agere, judicio Tullii, pluris eſt, quam cogitare prudenter, virtuſque præſtabilior quæ in actione continetur, quam contemplatione, eodemque reſpectu cognitiones, quæ proxime pertinent ad actionem aliis præſtare creduntur. Quamobrem, cum hac mea ætate animum iis addixerim, quæ propius faciunt ad conſiderate agendum, uti liquet ex opere ſuperiore, fortaſſis non inſtauraſſem diſceptationem de ſanguine circumlato, niſi multa complecteretur uſui meliori proxime conducibilia, & præſertim venæ feriendæ, frequentiſſimum remedium. Vidimus multa in phyſiologia, & pathalogia a Circuitione perturbari, obſcurioraque reddi, ſed majus negocium exhibent, gravioraque de eadem dubitandi momenta, quæ inde in parte curatoria pervertuntur: unde minus tuta morborum medicatio evadit, nec operi meditatio reſpondet. Quam prudens ejus inventi defendendi conſtantia, quod minime convenit cum actionis utilitate? Atque non convenire primum probat Adverſariorum confeſſio. Laurentius Donchers affirmat *majores errores in praxi ab hac vertiginoſa, & rapida ſanguinis circulatione ſuboriri, quam a putata olim quiete reſpectiva ſanguinis*; cui ſubſcribit Gavinellus vir doctus deſiderans *aliqualem modificationem in doctrina de ſanguinis circulatione motu nimis rapido, & vertiginoſo*. Num igitur ſcutica, aut flagello dignus ero, ſi ea de re dubitem, unde

unde non ſolum nulla ad medendum utilitas, ſed multiplex, ipſis Adverſariis fatentibus, eſt errandi occaſio? Sæviat, ut libet, in me multitudinis dicacitas, dummodo cautior, & humanior meos tractem ægrotantes, & mecum ipſe congruam.

Quamquam multa adverſus ſanguinis emiſſionem ejaculata ſunt ab Antiquis, & Recentioribus, tamen doctiorum ſuffragiis, & eventuum felicium frequentia inter præſtantiora remedia reponitur, rite ſervatis legibus de uſu tanti remedii ſtabilitis; quas tamen omnes nuperus Circuitus aut ſuſdeque vertit, aut funditus tollit. Triplici de cauſa frequentius vena in morbis pertunditur, revulſionis, derivationis, atque vacuationis, & licet aliquando ſolius vacuationis, ſæpius tamen ſimul omnium gratia. Enim vero ſanguinis gyrus revulſionem omnem, & derivationem de medio tollit. *Revulſio*, ut communiter definitur, *eſt humoris in aliquam partem fluentis averſio ad oppoſita diſtantiſſima habita fluxus originis, communitatis vaſorum, & rectitudinis ratione* a medicis inventa ad retrahendum ſanguinem errantem, & copioſius in certas partes illabentem. Verum poſita Circuitione, ſicuti nequit latex uberior potius in hanc, quam in illam partem irrumpere; item per venæ punctionem nequit ad oppoſita remotiſſima retrotrahi. Eſt certa cauſa, ut ajunt, a qua ſanguis jugiter a centro ad ſumma corporis, hincque ad centrum conſtantiſſime volvitur, & æqua lance omnibus vaſis diſtribuitur, quæ nequit ſuperari a venæ punctione naturalem curſum humoris pervertendo, atque ad oppoſita diſtantiſſima deducendo, tametſi ejuſdem celeritas in diverſis partibus, ut docent, mutaretur.

Aſſu-

Aſſume porro hanc deductionem fieri. Quandiu durabit? Vix ad vigeſimam horæ partem, intra quam, ut placet Louvero, gyrus perficitur; ut ſi qua pars ſanguinis ab itinere ſuo receſſiſſet, quam primum in viam compelleretur, ac nullius foret utilitatis tam brevi deſitura revulſio.

Derivatio, licet ab Antiquis omnibus non uno, eodemque modo explicetur, attamen ex communiore ſententia apte definitur humoris e laborante parte ad viciniam deductio, qua utebantur ad ſuccos in offenſam partem incumbentes, & moleſtos alio trahendos, quod præſidium Circuitio deſtruit. Vel enim ſanguis derivandus ſtagnat in vaſis obſtructis partis affectæ, vel ſuum curſum expeditus continuat. Stagnantem, retentumque ab obſtructis vaſis difficillime dimovebit venæ ſectio in parte propinqua. Eum vero, qui urgetur impetu motus vorticoſi, non poteſt ſcalpellum huc, illucque contra incitamen Circumactus adducere, quem ſi etiam adduceret, eodem brevi rurſum impelleret idem incitamen. Quid ad hæc Adverſarii? Alii uno ictu has omnes difficultates abſcindunt, non diſſolvunt, Revulſioni, & Derivationi valedicentes, quibus aſſentitur Cretenſis. Vvilliſius tamen, Laurentius Bellinus, Baile, aliique illis præſidiis patrocinantur etiam admiſſa Circuitione. Sic Baile dijudicat venæ apertionem in brachio ſiniſtro eſſe maxime commodam ad revellendum ſanguinem largius ad lienem fluentem, ob fibras arteriarum ab arteria ſplenica per aortam arteriæ brachii ſiniſtri continuas; quæ continuatio fibrarum communium determinatis partibus eſt rectus poſitus ab Antiquis optatus in peragenda revulſione.

*In Diſſertationibus.*

ſione. Hæc Baile, cum quo non diſputo, utrum ille ſit rectus poſitus, quem Veteres deſiderabant in revulſione. Verum enim vero, poſito Circumactu, nil proderit ad retrotrahendum fibrarum continuatio. Primum non video qui poſſit copioſior latex delabi ad ſplenem contra vim totum ſanguinem univerſo corpori æqualiter pro vaſorum capacitate diſtribuentem. Quod ſi copioſiorem fluere imaginemur, venæ diviſæ adminiculo in brachio ſiniſtro nulla habebitur utilis retractio. Quinam enim ſanguis retrahetur? Non ille quidem, qui arterias deſcendentes ingreſſus eſt, decurritque ad ſplenem, qui proculdubio inchoatum curſum non retro aget. Solum igitur retrahi poteſt qui fluxurus ad ſplenem erat, ſed propter pertuſam in brachio venam in arterias ſuperiores aſcendit, quod accidiſſet etiam ſine fibrarum continuatione. Huc adde, quod ceſſante ſanguinis effuſione ceſſat etiam revulſio, ſanguiſque ſolito ritu truditur a corde in arterias deſcendentes, & aſcendentes.

In Apoplexia idem auctor, aliique poſt venam in brachio recluſam jubent jugularem perfodi. Quo, precor, ſcopo? Num ut ſanguinem derivent, & evacuent in cerebri vaſa largius illapſum, ut placebat Antiquitati? Niſi ſtagnet in vaſis obturatis, ſuopte impetu per venas jugulares ad cor celeriter remeat. Stagnantem vero neque per jugularis fiſſionem in motum revocabunt, ut mox oſtendemus contra Mangetum. An potius ut vicinæ arteriæ exinanitæ minus ſanguinis ad cerebrum convehant? Quæcunque vena vulneretur, poſtquam occluſa eſt, cauſa ſanguinem in gyrum torquens paulo poſt in omnibus vaſis exæquat, citiſſime

renovato Circuitu, moxque cerebrum, aliæque partes æquali liquoris quantitate ſuperſtiti reſpondente, & ſingularum capacitati rigantur; idemque prorſus attuliſſet vena brachii pertuſa, ut plane conſtet ſanguinis vertigine inutilem reddi loci delectum ad venam in quavis ægrotatione perfodiendam; fruſtraque in morbis capitis venas temporum, poſt aures, narium aperiri, in angina linguæ, in melancholia hypochondriaca podicis, in iſchiadico dolore poplitis, ſuppreſſis menſtruis tali, redundantibus brachii. In hiſce diverſis partibus venas feriebant Antiqui revulſionis, aut derivationis gratia, quas de medio tollens Circuitio irritum quoque facit loci delectum in vena perforanda. Quocirca ſibi magis congruunt Circuitionis Patroni, qui fatentur ex ejus theorematis revulſionem omnem, & derivationem aboleri, & nihil intereſſe, utrum vena in hac, an illa parte incidatur; quibus tamen alia, & graviora impendent abſurda derelicta veteri methodo reſerandæ venæ. Sed prius audiendus eſt Cretenſis ejuſ-
Pag. 49. dem familiæ Circumactus fautor, qui mea, ut ait, in me retorquet arma inflammationes per phlebotomiam curantem. *Quando ille in inflammatione ſanguinem detrahit, quodnam ſuum conſilium in tali remedio? Vel enim liquor ille in ſuis ſe continet canalibus, vel per membrorum debacchatur ſubſtantiam. Si primum, injuſtum eſt genialia ſanguinis ocia per phlebotomiam violari. Cujus enim noxæ ſunt illa damnanda, ut importuno tali remedio tentet expiare? Si ſecundum, quibus ſyphunculis grumeſcens extra venas cruor exugi poterit per phlebotomiæ tormenta.* Hac ſubtilitate in me mea convertit arma verſutus hoſtis, cui ſtatim meum, ut petit, conſilium patefacio. Suboriente

inflam-

inflammatione largius fluens humor ad partem affe-ctam revulſionem, qui fluxit, partiquæ affectæ proximus, ſed nondum e vaſis egreſſus, concretuſque derivationem, parti tenacior hærens, atque ineptus ad remeandum in vaſa vacuationem per ipſam partem affectam, ut protritum eſt, expoſcit, ſed homo doctus ignorabat. Nunc cedo, qua me parte feriat retorta cuſpis? Sanguinis effuſio revellens, aut derivans imperatur propter ſanguinem in vaſis contentum, ſed paratum ad egreſſum. Subdis Cretenſis non eſſe violanda ſanguinis ocia tanquam genialia per ejuſdem emiſſionem. At in inflammationibus ſanguis non ſervat genialem quietem, ſed uberiore rivo in locum inflammatum confluit; & iccirco præſidium venæ ſectionis inventum eſt, ut motus oppoſito motu corrigatur, quodve lapſum eſt derivetur; in quo quid mihi adverſatur, ut mea poſſis in me argumenta retorquere? Verius dixiſſes Te non intelligere, ut alibi faſſus es, qua confeſſione multa Tibi condono. Eſt erranti, ut ait Cicero ad Octavium, medicina confeſſio. Verum Ipſe pariter parum fidis argumento retorto, qui hæc determinas. *Conſtanter affirmamus ſuperſtitionem eſſe Antiquitatis mentibus noſtris nondum exciſam venam ſeligendi potius hanc, quam illam pro ſanguinis miſſione*; & paulum infra: *Quod ſi interdum Circulationis fautores venam ſeligimus, ut ſanguinem mittamus, emeritos tales ſeniorum ſcrupulos ſimplicioribus imponimus pro myſteriis*. Multa in rem medicam fortuito irrepſiſſe, & poſtea multorum aucta ſuffragiis eſſe pro comperto habendum eſt. Venarum autem, locique delectus in ſanguinis eductione non ſuperſtitioſo Antiquitatis cultu, ſed vera ratione fulci-

Pag. 28.

 tur.

tur. Per venæ ſciſſuram in brachio longa liquet experientia identidem incipientem phrenitidem, jugulantem anginam, narium hæmorrhagiam, ſputum cruentum, alioſque morbos cohibitos eſſe, quod ſola tali vulneratio non præſtitiſſet. Erumpentibus immodice menſtruis quis audeat talum ferire? Nullus forte, uno excepto Vvallæo affirmante fluxionem menſtruam facilius ſiſti venarum inferiorum punctione, quam brachii contra frequentem experientiam oſtendentem nullo forſitan remedio ſuppreſſa menſtrua promptius evocari, quam vaſis inferis pertuſis. Quicquid tamen affirmet Vvallæus, ex eodem conſtat diverſis venis ictis diverſa accidere, ideoque venarum, locique delectum negligendum non eſſe, vel repugnantibus legibus circumlati ſanguinis. Quid adhuc a graviſſimis auctoribus venæ talaris recluſio in mulieribus utero gerentibus punitione digniſſima cenſetur? Nempe quod uſus oſtendit eadem abortum moveri. Aſſerimus tamen non ſemper, ſed ſæpe venæ punctionem in talo abortivam eſſe, & utrumque experientia oſtendi, ideoque ſolum certis poſitis conditionibus non temere præſcribi. Cur igitur frequentior cauſa abortionis vulneratio ſaphenæ, quam baſilicæ? An quoties fœminæ abortiunt poſt ſaphenam inciſam, id aliis fortuitis cauſis aſſignabimus, non ipſi inciſioni? Hæ obſervationes longo annorum excurſu factæ, comprobatæque non conveniunt cum caſus inſtabilitate, indicantque cauſam conſtantiorem, ſcilicet vim illatam ſanguini a vena perforata in loco particulari. Opinionum commenta delet dies, inquit Tullius, judicia naturæ confirmat. Hæc quæ frequentem medelam tutantur a Te

*In methodo medendi.*

*Lib. 2. de Divin.*

dili-

diligentius erant excutienda, Cretenſis, qui naturæ genio, ut de Te gloriaris, initiatus es. Totum phlebotomiæ artificium curſim tranſegiſti confeſſus Te *ſimplicioribus emeritos Antiquorum ſcrupulos pro myſteriis imponere*; in quo non tam miror a Te ſanguinis ducendi leges ratione, & tot ſæculorum obſervationibus ſancitas, quam boni nominis curam contemni, dolos, & pudenda detegi. Anne decet Medicum, quem ſummus præceptor ad vitam, & artem caſte, ſančteque tuendam invitat, & obſtringit, aliud agere, aliud ſentire, ſuperſtitiones pro myſteriis evulgare? Quid hoc eſt aliud, quam quotidie mentiri, ægrotationis afflictionem augere, tibique commiſſam ſimpliciorum fidem prodere? Idne permittit Aethica, cuius Te magiſtrum profiteris, dum me vellicas, quaſi ultionis nomine abuſus eſſem? Sit ille abuſus; quoniam de nominibus objecta prætereo, cum in rebus ipſis multo graviora Tibi regerenda ſuperſint. Me hercle turpius eſt publicam fidem fraudando ab Aethica deſciſcere, quam vocis unius paulo laxiore uſurpatione. Verum ſicut in me, item de Te multa inconſiderate dixiſti; idque ut melius cognoſcas, efficiam. Fateris poſt Circuitus inventum non eſſe immutatam praxeos methodum. Toties igitur abs Te vena cruentabitur, quoties a Veteribus, videlicet modo ad revellendum, modo ad derivandum, & evacuandum, hoc ſolo diſcrimine, quod e re ipſa id imperabant Antiqui, Tu ſuperſtitionis gratia. Etenim ſi Circuitionis omnem revulſionem adimit, cur novaculam ad hanc obtinendam infiges? Ergo ne ſanguinem ægrotantium, vitæ fomentum, & præſidium, hac ſolum de cauſa profundes, ut anilibus ſcru- Pag. 7.

ſcrupulis ſatisfacias? At, inquies, venam potius hanc, quam illam perperam vulnero, ſed aliquam ex indigentia, neque ſuperſtitionem voco ſanguinem mittere, ſed potius ex hoc, quam illo vaſe. Ita ſi reſponderes, ſcito hanc eſſe Venarum praxim, ut citra ſanguinis in toto copiam vena ſecetur ſolum ad eum retrahendum uberiorem in partem aliquam invadentem; in quo caſu, quo titulo venam ſolves, ſi raptus in orbem ſanguis omnem retractionem ſubvertit? Aut erit omittenda illius ſolutio, permutandaque vetus praxis, aut ſine ſpe ullius utilitatis cruentandus, & debilitandus ægrotans. Quoniam autem peculiarem de ſanguinis effuſione e vaſis ſedis mentionem feciſti, placet hinc tuæ medicationis labem, & calamitatem magis declarare. Propono curandum morbum melancholicum, in quo præcipiunt Antiqui vaſa ſedis incidi rati in eiſdem fœculentum ſanguinem acervari, quod Tu negas, ut pareas Circuitionis legibus, nihilotamen ſecius infantiæ præjudicia ſequutus, ſervaturuſque veterem praxim, & ſuperſtitionem ab uſu inveterato myſterii ſpecie decoratam, atque a vulgo exceptam, citra omnem indicationem hirudine hæmorrhoides aperies, tuiſque reclamantibus theorematis humanum ſanguinem profundes; quod calamitoſum eſt ægrotanti, teque graviter criminatur violatæ fidei, & officii medici. Hæc ſi bene percipis, vel Circumactui renuntiandum, vel immutanda venæ ſolvendæ methodus. Utrumque ſine repugnantia tueri nequis, & ſine gravi crimine venas laborantium hoc ſolo pretio exhaurire, ut Veterum, quæ derides, præceptis annuere videaris. Sapientem, monitu Ariſtotelis, non tantum ea, quæ ex prin-

*Lib. 6, Mola. Nichomach, cap. 6.*

principiis ſunt cognoſcere, ſed etiam circa principia verum dicere oportet. Porro, ſi teſte Fernelio, iniquiſſimum eſt in altiſſimis philoſophiæ quæſtionibus aliud ſentire, aliud dicere, quanto turpius peccabit, qui in ægrotantibus curandis aliud ſentiet, aliud aget in perniciem auxilium petentium? Eſto. Accitus Medicus ita ſuum ægrotantem alloquatur. Sanguinis Circuitio avitas leges perfodiendæ venæ funditus convellit. Ceſſat omnis revulſio, & derivatio, locique vulnerandi delectus. Sed quia nondum conticeſcit fama de hiſce placitis Avorum, nondum hæc rejecit, hoc ſolo rumore ductus, & abſque indigentia revulſionis, & derivationis nunc Tibi ſanguinem ex brachio detraho, deinde ex hæmorrhoidibus ad illius fœcem educendam, ut credebant Antiqui. Ita loquentem medicum ad ſuum ægrotum quis patienter ferret? Quis ſubito non exploderet? At Tu idem non coram uno ægrotante, ſed orbe univerſo profeſſus es, nec ulla excuſatione fucaſti, ſed quantum inerat doli patefeciſti, extuliſti; *emeritos tales ſeniorum ſcrupulos ſimplicioribus imponimus pro myſteriis*. Itaque ſi vis pie, ingenueque medicinam facere, congruenterque circumflui ſanguinis theorematis, hæc Tibi, tuiſque collegis methodus obſervanda. In nullo unquam morbo venam feries, in quo nulla ſit ſanguinis plenitudo, quæ ſola ſanguinis effuſionem petere poteſt accommodate Circuitionis præſcriptis. Solius revulſionis, & derivationis nomine nunquam aſſumenda lanceola, ut ſolebant Antiqui, qui etiam abſque ſanguinis redundantia, eum educebant a parte affecta retracturi, aliove deducturi. Proinde in phrenitide, angina, pleuritide, aliiſque inflammationibus

*Lib. 2. de Abditis re. cau. cap. 6.*

cave

cave venam ferias, niſi tumeant repleta vaſa ſanguifera. Cum vero copia inciſionem expoſcet, quamcunque libuerit, venam adorire, ſive loco dolenti proximam, ſive remotam, cum nihil inter utramque differat, quantum attinet ad plenitudinem minuendam. Quando in muliere deſiderabitur fiſſio venæ, non eſt a brachio ad pedem traducendum ſcalpellum, ac perpetuo utraque pars vulneranda, ut ſolent plurimi noſtratium medicorum, qui primo brachium deinde talum idcirco feriunt, ut deorſum retrahant humores, quos credunt per venæ ſolutionem in brachio ſurſum fuiſſe adactos, qui ſi permaneant in ſententia, neque velint deſiſtere geminatis ſemper ictibus in miſeras fœminas ſævire, luculentius oſtendere ſtudebo quantum adverſentur legibus Circuitionis quotidiano ſermone celebratæ, ut iiſdem devotum ſexum importunis ſcalpellis liberem. Aſſumamus intra horam viginti vicibus renovari Circuitionem, quamvis non pauci velint pluribus. Cum igitur mane in fœminis cubiti venam feriunt, & ad veſperum tali, vel poſtero mane, inter utramque inciſionem excurrit ſpatium vel decem circiter horarum, vel viginti quatuor; ſi decem, hoc tempore ducenties iteratur Circuitio; ſi viginti quatuor, quadringenties & octogies antequam tali vena aperiatur poſt apertionem baſilicæ. Quis autem credat repetitis toties circuitibus non tolli motum humorum ad ſuperiora, ut putant, concitatum per detractionem ſanguinis e cubito? Motus ſurſum rectus eſt, oppoſituſque vorticoſo, a quo proinde neceſſario impeditur. Clauſa vena cubiti ſubito ceſſat cauſa propter quam eo confluebat ſanguis, non ceſſat motus cordis eum circumfe-

rens;

rens: neque fieri poteſt, quin ſanguis per tot renovatos Circuitus æqualiter corpori diſpenſetur, eo conceſſo, quod uberior accurriſſet ad ſuperas partes hiſcente vena. Satis itaque confirmatum eſt methodum oppido diverſam tundendæ venæ requiri admiſſa Circuitione, atque rejecta, quam tamen poſt eam inventam minime ſervant, aut ignari quid ad eam ſequatur, aut deterriti ab inveterata oppoſita conſuetudine, cujus gratia vidimus Cretenſem non deſeruiſſe veterem morem reſerandæ venæ, atque ægrotantium utilitatem, ut mihi videtur, antiquo ritui, quem habet pro vano ex dogmatis Circuitionis poſtpoſuiſſe. Quoniam autem multa diſſeruimus contra Adverſarium plus quam iratum ſumpta ex methodo ſecandæ venæ, pauca cum pacatiore diſputemus, atque joculari ſtylo, ut ait, utente in Adverſarios Circuitionis, quaſi in phyſicis ſapientior eſſet, qui minus dubitat. Quinimmo exiſtimo nullo tempore majora abſurda impune evulgata eſſe, quam præſenti, quo ſcriptoribus pleriſque tanta eſt veri fiducia. Mangetus celebris copia ſcriptorum auctor, qui meum opuſculum adverſus ſanguinis circulum oppugnat, conatur oſtendere quo pacto etiam eo poſito poſſit rite teneri antiqua praxis de vena findenda. Credit per iſtius fiſſionem accelerari ſanguinis curſum in parte vulnerati vaſis, eoque retardari in oppoſita, & aliis etiam, ſed inæquali mora; ex quo tamen nil colligi poteſt ad revulſionem defendendam. Concedatur quod optat Adverſarius. Vix pauca momenta permaneret beneficium revulſionis, poſt quæ ad eandem velocitatem totus latex redigeretur, licet, dum flueret e vena pertuſa, per

*Tom. I. par. 2. Biblio-cæ anatomicæ.*

Ccc oppo-

oppoſitam partem lentius, ut dicunt, converteretur.

Majoris celeritatis reſpectu, qua credit Mangetus in loco ſauciæ venæ Circuitionem peragi, recluſo inquit vaſe, qua morbus urget, ſanguine velocius moto agitari infeſta fermenta in toto eo tractu latentia, iterumque in ſanguinem trudi, vireſque in receſſibus ſuis acquiſitas amittere, eademque de cauſa ſi quid obſtructi in capillaribus, aut etiam majoribus vaſis reperiatur, excuti, evellique; idemque docuit Laurentius Bellinus, affirmans in eo morbo cædendam eſſe venam, in quo aliquid hærens vaſis dimovendum eſt, abripiendumque. Itaque duo affirmat obtineri Mangetus per venam ictam in parte affectioni proxima, excuſſionem latentis vitioſi fermenti, & ſanguinis ſtagnantis in capillaribus, & etiam majoribus vaſis; & hac duplici mercede judicat particulares ſanguinis vacuationes recte inſtitui, poſtquam majora vaſa ſoluta univerſalem præſtiterunt. Uſque adeo confidis, domine jocosè Mangete, parum adauctæ circumfluentis humoris velocitati, ut inde tam uberem fructum expectes? Sanguis magna pernicitate continenter circumagitur, majoremque requirere ad commovenda infeſta fermenta, & diſcludendas obſtructiones harioli eſt, non Philoſophi. Quis enim jure aſſeveret a ſanguine aliquanto celerius circumducto propter venæ ſectionem, tolli obſtructiones, atque elici fermenta, quæ antea tot repetitis gyris reſtiterant? Quandiu durabit hæc major celeritas? Certum temporis ſpatium definiri nequit, cum multa fortuita, & ignota retardare poſſint, vel incitare circumfluentem humorem. Conſiderato tamen ſolo impulſu addito per venæ apertionem, par

*De miſſ. ſang. Propoſit. 6.*

eſt

eſt credere breviſſimum eſſe tempus, quo perſeverat major velocitas, ut pote quæ ſtatim a clauſa vena incipit decreſcere; qua brevitate nequit Circulus perficere, quod antea multo longiore ſpacio non potuit, ſi obſtructiones genitæ ſint ab humorum craſſitie, & lentore, unde gigni ſolent.

In pluribus morbis capitis, velut in mania, atque in quibuſdam inveteratis doloribus utiliorem eſſe arteriæ quam venæ inciſionem, neque Adverſarii inficias ibunt. Verum ſi nihil differt inter ſanguinem venarum, arteriarumque, vel ſi quid differt, maxime pendet abs trajectione de vaſe in vas, neque longius durat, quam mora in eodem, quæ breviſſima eſt, pluries ſingulis horis inſtaurato Circumactu, cui bono arteriam potius, quam venam feriemus majore vulneris periculo? Laurentius Bellinus reſpondet magis, & citius frigefieri corpus ab arteria puncta, quam vena, quod ſanguis arteriæ multo calidior eſt, quam venæ; & idcirco utiliorem cenſeret ſectionem arteriæ, quam venæ, ſi utraque æquali periculo finderetur. Si tamen paulo copioſior ſanguis e vena ducatur, quam arteria, nonne pari gradu refrigerabitur, ac perforata arteria? Imo etiam æquali quantitate detracta. Cum enim tantum laticis ſubito ex arteria in venam influat, quantum e vena detrahitur, qui elutriatus frigefit, æqualis refrigeratio per diviſam arteriam, ac venam obtinebitur, fortaſſis aliquanto tardior, ſed inſenſili temporis ſpacio. Quapropter ſi arteriæ potius, quam venæ apertio inſtitueretur ſola ratione majoris refrigerationis ſuperflua prorſum eſſet, cum idem minore incommodo per venam ictam conſequi poſſimus. Porro videmus ſe-

*De ſang. miſs. propoſit. 7.*

ctam arteriam aliis morbis opitulari, quos neque ſolus calor auctus parit, neque tollit imminutus. Affirmat Paræus a ſe curatam deſperatam hemicraniam vulnerata in temporibus arteria; quod non raro pariter obſervatum eſt de mania, quæ diu repetitis venæ inciſionibus invicta per inciſam arteriam ſubacta eſt. Quis credat has affectiones a ſolo intenſiore calore genitas fuiſſe, per ſolam refrigerationem ex puncta arteria extinctas? Aliam igitur generalem cauſam excogitavit Bellinus, qua prævalet arteriæ punctio in certis morbis expugnandis; aſſeritque per eam tutius, & commodius dimoveri, & abripi quod hæret ſummis vaſis, morbumque creat, & per eandem inſtar prodigioſi remedii in ipſo opere ſubito morbum auferri poſſe. Namque velocior fluens ſanguis per arteriam, quam venam, magis etiam concitatur ductus ab arteria, quam vena. Idem tamen impetrabis per venæ punctionem, ſi paulo latius vulnus infligas, & paulo plus ſanguinis educas, evitabiſque incommoda arteriæ pertuſæ. In idem etiam excogitatum pugnant, quæ nuper diſſeruimus contra Mangetum, majoremque refrigerationem ſperatam ab icta arteria, quam vena.

*Lib.16. cap.4.*

Præceptum utiliſſimum eſt ab omnibus Medicinæ Optimatibus comprobatum in loco affecto nunquam eſſe ſauciandam venam, puta, frontis in morbis capitis, niſi prius univerſalis evacuatio præceſſerit, majore vaſe brachii vulnerato; cujus rationem reddunt, ne hoc ordine prætermiſſo ad locum affectum humores abundantius confluant, remaneantque; quam rationem deſtruit Circuitio, poſtquam vena clauſa eſt, in omne corpus humores æqualiter diſpandens, nec ſinens

eo

eò copioſiores accurrere, quo cæperant per venæ apertionem. Quin etiam ipſa vacuatio, ſive fiat ex frontis vena, ſive brachii peræque generalis exiſtimanda eſt, quando totum fluentum magna pernicitate circumvolvitur, & jugiter elutriatur.

Mos erat medicis, ut animadvertit Valleſius fere in omnibus affectionibus hepatis, & lienis poſt alias tentatas evacuationes ad punctionem venæ, quæ in extrema manu eſt inter digitum auricularem, & anularem tanquam ad ſacram anchoram confugere, quod & ipſe comprobat hanc ſubdens rationem. *Certe extremæ partes internarum ſunt emunctoria naturalia, non tamen quæcunque quaruncunque, ſed earum, cum quibus habent rectitudinem; velut extremæ manus hypochondriorum, dextra hepatis, ſiniſtra lienis, atque membri cujuſcunque excrementa naturaliter vergunt in illius emunctorium, & quo natura vergunt per loca conferentia, eo oportet duci. Ergo maxime expedit laborante hepate venam ſecare in manu dextra, quia facile trahetur, quo ſecundum naturam conſuevit pelli.* Hæc ridebunt Recentiores, e quorum mente neque jecur, neque lien in manum dextram, vel ſiniſtram pellit peculiaria excrementa tanquam in proprium emunctorium; dum omnia perennis Circulus promiſcua facit, neque particulares ſuccos in certas partes conjicit. Sin autem cum tot clariſſimis Antiquis admittunt ſalvatelæ vulnerationem ad certos morbos curandos peculiariter conferre, debent aliam rationem producere Circuitioni convenientem, quam difficillime invenient. Sed opinor reſponſuros fortuitum eſſe levamen habitum ex vulnere ſalvatelæ, non ortum ex peculiaris humoris

*Lib. 7. Contro. cap. 5.*

va-

vacuatione contenti in vaſis manus. Si tamen ita ſentiunt, deſinant ſaltem imponere, atque in longis febribus denique manum ferire, quaſi remedium aliquod novum molirentur more antiquorum. Id etiam opponitur circumflui ſanguinis dogmatis, quod per ſalvatelæ fiſſionem obſervatum eſt minus vires affligi, quam vaſis amplioris; nihilo tamen ſecius Vvallæus affirmat in minoribus, & exilioribus venis fervidiorem, & tenujorem ſanguinem exiſtere; ex quo ſequitur, ut iſtæ neceſſario majore virium impendio vulnerentur, quam ampliores, viribus conſervandis multo magis conducente ſanguine tenujore, & calidiore, quam frigidiore, & craſſiore. Contra Vallæum etiam manifeſte pugnant cucurbitulæ ſcarificatæ, quæ quotidianæ experientiæ teſtimonio, multo minus vires delumbant, quam vena grandis inciſa.

*In epiſt. de motu ſang. ad Barthoinum.*

In bubonibus malignis, vel gallicis inguinum Veteres fere omnes venarum ſuperiorum ſciſſionem exhorrebant, ne virus ad cor, & arcem vitæ traheretur interturbato naturæ conatu illud in partes ignobiles ablegantis; proinde cruentæ vacuationis occurrente indigentia, talum feriebant, ut ſolent pariter Recentiores plerique, qui accerſiti ad curandum laborantem gonorrhea, vel gallico bubone, ſi alia de cauſa poſtulatur venæ ſectio, abſtinent a ſecanda in ſuperioribus partibus ob formidinem ſurſum alliciendi veneni, ſed contra Circuitionis leges, quæ irritum faciunt loci delectum in perforando vaſe. Alia plura poſſem proponere offendicula ex ſanguinis circulo inter medendum occurrentia, quibus ſuperſedeo, cum fere omnium una, eademque ratio ſit toties inculcata.

CA-

# CAPUT VI.

*Toti rei medicæ videtur accommodatior fluxus, & refluxus ſanguinis a Galeno poſitus, quam motus rapidiſſimus in orbem.*

Ex quavis corporis particula in aliam quamcunque viam patere celeberrima eſt Hippocratis ſententia identidem a Galeno repetita. *Confluxio una, conſpiratio una, compatientia omnia.* Quod ſi in aliis corporis partibus evenit, id maxime in venis, arteriiſque, vitalis ſpiritus, & liquoris conceptaculis, quorum conjunctio, atque communio magnam efficit partem publicæ conſpirationis, vitam adminiſtrat, & tuetur; in quam, meo arbitratu, reſpexit Tullius, qui corporis humani fabricationem deſcribens, ubi ad venarum, arteriarumque intextum pervenit, hæc habet: *Utræque autem crebræ, multæque toto corpore intextæ vim quandam incredibilem artificioſi operis, divinique teſtantur.* Venæ igitur, arteriæque ita intexuntur, ut ſecta alterutra totum pene ſanguinem profundat, quo argumento Galenus mutuam inter hæc vaſa communicationem concludit, & contentorum conſortium, de quo non obſcure, nec ſemel loquutus eſt, qui ait ideo ſe ſe mutuo venas, arteriaſque contingere, ut ſit conſpiratio quædam, & materierum communio, & alibi definite affirmat ſemper transfluere humores ab venis in arterias, niſi quam maxime craſſi ſint. Similiter arteriæ, ut ipſemet docet, venis aliquidpiam reddunt. *In toto corpore mutua eſt anaſtomoſis, atque oſcillorum apertio arteriis ſimul, & venis.*

*Lib. de Alimento.*

*Lib. 2. de Nat. Deo.*

*De uſu pul. cap. 5.*

*Lib. 5. de uſu part. c. 2.*

*In lib. de Plenit.*

*Lib. 6. de uſu part. cap. 10.*

*venis, tranſumuntque ex ſe pariter ſanguinem, & ſpiritum.* Neque vero Galenum fugit motus ſanguinis per pulmones a vena arterioſa ad arteriam venoſam ſaltem in validioribus contractionibus thoracis, & pulmonum, quibus, ut inquit, compreſſa vena arterioſa ſtillat

*Lib.6. de uſu partium cap. 10.* quidpiam in arteriam venoſam. *Nunc reditu ipſius ſanguinis per os magnum venæ intercluſo, dum undique vena comprimitur, deſtillat quidpiam per exigua illa orificia in arterias.* Itaque ex Galeni mente quidam eſt ſanguinis

*Lib. de uſu Pulſ. cap. 5.* fluxus, & refluxus inter venas, arteriaſque, quæ, ut docet, dum dilatantur ex venis hauriunt, dum contrahuntur in eas intrudunt, non quidem totum ſanguinem, ſed tantum partem aliquam. Atque in hac mutua, non tamen integra liquorum transfuſione divinum illud artificium forſitan conſiſtit, quod Tullius inter venas, & arterias demiratur. Eſt profecto in pluribus locis tam arcta conjunctio venarum, arteriarumque, ut nequeant ſine ſanguinis effuſione ſeparari, in quibus non temere exiſtimamus fieri contentorum communionem. Remanet ſolum determinandum ex mente Antiquorum quid, & qua quantitate a ſiniſtro ventriculo trudatur in aortam, atque num indeſinenter, an per certa intervalla; quod ſi perpendiſſent Antiqui, vel in ſententiam Recentiorum incidiſſent, vel ejuſdem præcipua fundamenta deſtruxiſſent. Si enim ſanguinis notabilis portio jugiter ab corde pellitur in arteriam, evidens eſt reditus ejuſdem ad cor ab extremis. Sin admodum tenuis ea portio ſit, vel ſolum per certa intervalla projectio fiat, aufertur neceſſitas Circuitionis. Ergo

*Lib.1.de Hippo.& Plato. D c.0.2.* a corde non ſolum aerem, ſed etiam ſanguinem in arteriam immitti contra Eraſiſtratum probat Galenus, diver-

diverſum tamen ab eo, qui continetur in venis, quam diverſitatem in ipſo corde acquirit, quod cum Platone ſtatuit fontem ſanguinis calidiſſimi, & tenuiſſimi, ſed minime determinavit, qua quantitate, atque an ſemper a corde immittatur in arteriam, quod, unde conſtruitur præcipuum Circuitionis fundamentum, facile forſitan eſt vati ad determinandum, certe difficillimum phyſico, totumque in conjectura, aut arbitrio poſitum eſt, ut plane conſtet inde ductam conſecutionem de Circuitione ambiguam prorſus eſſe, temereque reprehendi de ea dubitantem. Itaque Antiqui reliquerunt definiendum Recentioribus, qua quantitate e corde ſanguis in arteriam influat, qui ſanxerunt in homine ſano, & florente unciam ſanguinis in diaſtole cor ingredi, egredi in ſyſtole, quod collegerunt ex capacitate cordis, atque ſecta oblique arteria crurali canis, quæ, ut expertus eſt Bergerus, vix vigeſima horæ parte quatuor ſanguinis libras effudit, licet cordis pulſus fatiſceret; quo nil minus credit admitti in diaſtole cordis, atque in ſyſtole extrudi. Carteſius autem inter Recentiores ſolum paucas guttas ſanguinis a venis in cor labi opinatur, ibique valde attenuari, & quaſi in fumum verti, quæ ſententia etſi a pluribus impugnata patronis non deſtituitur. Ita ſi aſſeramus cum Carteſio paucas guttas ſanguinis in cordis conſtrictione tranſire ad arterias, ceſſat omnis neceſſitas Circuitionis. Cum enim nova chyli copia quotidie venas intret, hæc reparat ſanguinem a corde in dies diſpenſatum arteriis. Neque vero licet ex capacitate ventriculorum cordis unciæ ſanguinis arguere tantundem in illos intrudi, extrudique; ſicuti ex capacitate ventriculi non bene

*De Nat. huma. cap. 5.*

quis colligeret tantundem cibi ingerendum eſſe. Ad hæc ſi ſanguis in arteriis tenujor eſt, magiſque expanſus, ut fatentur, quam in venis multo magis talis erit in corde omnium partium, ut placet Verheyen, tam ſolidarum, quam fluidarum calidiſſimo, quod inſuper ex ſententia Raymundi Vieuſſenii continet peculiare fermentum ſanguinem attenuans, exaltans, rarefaciens, concitanſque; eoque paucæ guttæ ita rarefactæ plus exigent ſpatii, quam denſioris quantitas multo major, ſufficientque implendis ventriculis. Porro quod addebat Bergerus de ſanguine intra vigeſimam horæ partem ex diviſa arteria profuſo, nihil prorſus evincit; cum aliter res habeat in animali vulnerato, & ante vulnus, quod liquet ex ipſo arteriæ pertuſæ evento. Quatuor libræ ſanguinis, ut ait Bergerus, vigeſima horæ parte in cane quadraginta, & ſex librarum ex foramine arteriæ profluxerunt. At tantundem procul dubio vigeſima horæ parte non ferebatur ad eandem illæſam, docentibus ipſis Adverſariis per venæ vulnerationem augeri celeritatem circumflui liquoris in parte vulnerata, eodemque majorem quantitatem accurrere; ut inde nequeant metiri quantitatem, ante vulnus per eam fluentem, atque inde conſtituere quantitatem cor ingredientem, egredientemque. Quamobrem ſi ex conjecturis præfinienda eſt quantitas ſanguinis a corde arteriæ impertita, videtur magis accedere ad inſtitutum naturæ, qui valde paucam eam facit, quam paulo uberiorem, cujus neceſſitas probari nequit, ſi conſideremus plures fieri omnino incruentas cordis conſtrictiones. Cor viperæ extractum, & in diſco poſitum, ut a pluribus obſervatum eſt, ſuos motus per horas quinquaginta

*Tracta. 1. cap. 3. de temperat.*

ginta

ginta continuat. Expertus quoque ſum in cane vivo inciſo, cor maxime agitari, licet ipſe venam cavam, ubi cordi inſeritur, valide comprimens inhiberem humoris in cor ingreſſum. Quapropter aliunde nulla exiſtere poteſt neceſſitas continuæ propulſionis ſanguinis a corde in aortam, niſi quod neceſſario ſemper ſanguis cor intret, ſubinde per conſtrictionem neceſſario effundendus; quæ tamen neceſſitas Adverſariorum auctoritate perpetua non eſt, ſed ſolum accidit in ſanguinis redundantia, docente Bartholino in valde extenuatis plures pulſus fieri ſine ulla ſanguinis effuſione ob ejuſdem penuriam. Neque ſane tam facile perceptu eſt quemadmodum in magna humorum inopia, qualis fuit Hiſpaniarum Regis, ut vidimus ex Helmontio, in ſingulis contractionibus cor ſanguinem arteriæ diſtribuat, continuetque Circuitionem. Aliquot ante obitum diebus in prædicto principe vix quartam ſanguinis partem remanſiſſe gravis eſt conjectura ex iis, quæ apparuerunt in cadavere, quam neſcio quo pacto explicaturi ſint Adverſarii rivo continuo per cor eſſe trajectam, & Circuitum continuatum. Quando enim vaſa pene vacua ſunt, ſanguini in finibus arteriarum exiſtenti nulla inſtat pone premens copia, cogenſque delapſum contra propriam gravitatem aſcendere; eoque magis, quod in magna humorum, ſpirituum, & virium inopia cordis pulſus multo languidior ſolito eſt, debilique niſu trudit liquorem in arteriam; qui proinde non poterit per tot anguſtias meatuum carnis, vel ſaltem vaſorum capillarium præcedentem uſque ad cor adigere. Quod ſi in extenuatis cor pluries jactari poteſt ſine ingreſſu, egreſſuque ſanguinis, non eſt major ratio, cur

*De Chyli, & motu ſanguinis.*

ita moveri non poſſit ſemel, iterum, & ſæpius etiam in ſtatu naturali, evinciturque manifeſte non eſſe neceſſariam continuam cordis ſanguineam irrigationem, ut moveatur. Ex quibus animadverto ſequi Circuitionem ſaltem ſine juſta ſanguinis copia non eſſe continuam, ſed intermittentem. Cor movet in orbem ſanguinem, quatenus hujus portionem pellit in arteriam reliquum impulſuram. Si trudere ceſſet, opus eſt ut hoc tempore ſanguis in toto corpore inſiſtat. Aſſumamus igitur congruenter ad confeſſionem Bartholini extenuatis viginti vicibus cor vacuum conſtringi. Hoc certe ſpatio quieſcet in vaſis ſanguis, quem judico poſſe difficillime ab exigua quantitate ſanguinis poſtea in arteriam trudenda in motum priſtinum reduci, atque ab anguſtiis capillarium expediri.

Sublata neceſſitate continuæ, & copioſæ projectionis humoris ab corde in aortam, æquo animo admitti poteſt deſcriptus a Galeno motus, & præcipue, quod toti rei medicæ utilior eſt multo pernicitate Circuitionis. Primum eo ſolo poſito, non rapidiſſimo in orbem retinetur diverſitas inter humores venarum, arteriarumque, & ſimul communio, quæ non omnia confundit & turbat, uti motus rotatus, ſed citra confuſionem perficit, dum ita conveniunt hi liquores, ut quodlibet vas ſemper ſuum aſſervet, ob exiguam accedentis, & recedentis portionem. Interim totus latex ſemper agitatur laborem arteriarum ſequutus, quo temperato motu conſervantur ſanguis, ſpiritusque, non diſſipantur, non impeditur fermentatio ſanguinis, non perturbantur ſenſuum interiorum actiones, nec alia timenda ſunt abſurda, quæ vidimus impendere a Circui-

cuitione; quodve optabilius eſt, veteris praxeos ratio non evertitur ſuadens pro morborum diverſitate in diverſis locis peculiaria vaſa vulnerari.

## C A P U T VII.

*Productis hactenus experimentis Circuitio legitime non demonſtratur.*

MAximam ineſſe ſenſibus veritatem cum Tullio affirmamus, ſi & ſani ſunt, & valentes, & omnia removentur, quæ obſtant, impediuntque, ſicuti de viſione explicat idem auctor. Itaque, ait, & lumen mutari ſæpe volumus, & ſitus earum rerum, quæ intuemur, & intervalla aut contrahimus, aut diducimus, multaque facimus, uſque eo dum aſpectus ipſe fidem faciat ſui judicii. In ſenſibus etiam Lucretius ſcientiarum fundamentum collocat, verique principium *Lib. 4. Academ. quæſt.*

*Invenies primis ab ſenſibus eſſe creatam* *Lib. 4.*
*Notitiam veri, neque ſenſus poſſe refelli,*
*Qui niſi ſint veri ratio quoque falſa ſit omnis:*

idque convenit cum effato Ariſtotelis a plurimis propugnato, nihil eſſe in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu. Quocirca ſi ſenſus de Circuitione, debita adhibita diligentia, ſententiam tuliſſet, negocium confectum foret, & ratio caneret receptui, quæ non opponitur ſenſu proxime, clareque perceptis. Porro experimenta, quibus innititur ſanguinis circumactus, hunc ſenſui non obtrudunt, ſed indicant interventu rationis, hoc eſt quædam ſenſu deprehenſa proponunt,

abs

abs quibus ratiocinatione ad alia progrediendo de Circumactu concludunt; ut mirum minime ſit certiſſimum non eſſe, atque prorſus ineluctabile inde prolatum judicium, atque Hieronymum Franzoſium probandum ſuſcepiſſe, *anatomica experimenta in hac nova opinione nihil opitulari*. Nonnulli tamen opinantur ope microſcopii in quibuſdam animantibus circumerrantem cruorem aſpici. In rana, ut ait Baglivus, manu ſiniſtra accurate apprehenſa, & lumini ſolis objecta, ſi microſcopio unius lentis dextra manu detento exploretur, Circuitus cernitur, cum venæ, arteriæque diaphanæ ſint. Hæc riderent Cyrenaici, qui veri judicium in ſolo tactu interiore collocabant, neque Tullius approbaret, qui, ut aſpectus fidem faceret judicii, idem non ſolum ad ſolem, ſed in umbra cernere vellet, nec ſolum oculo microſcopio munito, ſed nudato, neque ſemper ranam ſiniſtra, chryſtallum dextra apprehenderet. Ac ſane quemadmodum in rana vaſa, contentuſque ſanguis ſine microſcopio, aliove artificio apertiſſime cernuntur, cur eodem intuitu etiam currens liquor non aſpicitur? Ranam & ipſe decorticatam in radio ſolis non ſemel exploravi, nilque circumvolvi vidi. Sed homines tam ſolertes, & ſagaces cur potius ranas, quam ſemetipſos obſervant? In homine excarni quantum prominent totis artubus præſertim a labore tumentes venæ? Quam ſe prodit ſub nigro colore contentus humor? Quis autem hunc vidit unquam ab extremo pede, vel manu aſcendere? At venæ perſpicuæ non ſunt, quemadmodum in rana. Infunde ſyringe liquorem aliquem in venam. Hujus motum intra eandem ex undula tumefaciente gradatim tunicas non ob-

*Cap.14. de motu cordis, & ſanguin.*

*De Circulat. ſangu. in rana experiment. II.*

obſcure videbis. Quid igitur non etiam ſanguinis? Magna velocitate, ut ajunt, impetuque ſurſum impellitur, maxime cum a motu, vel alia cauſa vehementer ſanguis incaleſcit. Cur igitur venæ tunicam prompte mobilem non agitat? An quia ſanguis ex venis ſtrictioribus in latiores pergit, & ſine fluctuatione, ut mihi reſponſum eſt ab togato Circuitionis patrono? Effugiat, ſi placet, motus oculos, cum neque repleta vaſa ſunt, neque novus accedit a calore impulſus, tumorque ſanguinis. Hiſce tamen additis difficile patior inviſibilem ejuſdem curſum remanere. Quinimmo ita concitatum motum non ſolum aſpici oporteret ex tunicæ jactatione, ſed ad eandem ſentiri appulſum. Si arteriæ hypochondriorum vehementius vi morbi pulſent, ſtatim pulſatio, & concuſſio percipitur; eoque percipienda foret etiam venarum agitatio ab æſtuante ſanguine, pluſque ſolito in ipſas impetum faciente. Sed hæc Adverſarii gravioribus intenti tanquam frivola prætereant. Perpendam ego, quæ proferunt experimenta ad evincendum Circuitum per intermediam argumentationem. Sit primum, quod a phlebotomia in brachio ducitur. Chirurgus, ajunt, venam brachii ſecturus ſupra ſecandam partem humerum verſus, non infra verſus manum brachium circumligat, venaque ſupra vinculum flaveſcit, ſubtus intumeſcit, ibique vulneratur, definitaque ſanguinis copia expedite detrahitur. Hinc colligunt ſanguinem ab extrema manu ſurſum acciri, non ab humero deorſum ferri, de quo tamen forſitan dubitabunt, ſi animis non occupatis mihi parumper faveant. Ergo tumentes a vinculo venæ pungantur. Exiliet impetu ſurſum facto ſanguis ingenti, ſi vis, copia; quod

quod mihi accidere non poſſe videtur, ſi ſanguis erumpens a venis capillaribus truncum vulneratum adit, ſed evacuato liquore a ligamine uſque ad extremos digitos contento poſtea guttatim egrederetur, ea ſcilicet quantitate, qua e venis capillaribus pervadit in majores; e quibus certe copioſo fluctu non effertur, ſed exiguis guttis pro tubuli capacitate, quæ collectæ, licet plurimi ſint capillares meatus in qualibet parte, nequeunt æquare quantitatem exeuntis ſanguinis ex amplæ venæ foramine; e quo, ut liquet ex cucurbitulis ſcarificatis, multo citius eadem quantitas ſanguinis exit, quam e pluribus capillaribus vaſis inciſis. Neque autem ſola parvitas vaſis, e quo latex in ampliora migrat, lentam tenuemque emiſſionem ſanguinis pareret, ſed etiam modica quantitas, quæ ad vaſa tranſmittitur. Docent tempore inter unam, alteramque ſyſtolem medio ſolum tantum laticis ex omnibus arteriis permeare in venas, quantum qualibet ſyſtole a corde pellitur in aortam, cujus quantitas ex plurium calculo vix unciam pendet. Quare ſi hanc dividamus in tot partes, quot ſunt parvæ arteriæ per totum corpus repentes, e quibus tranſit ſanguis ad venas, ex arteriis brachii infra funiculum admodum exigua pars unciæ ſingulis ictibus cordis tranſire poterit, atque ex vulnere prodire, ſi concedant eodem tempore in reliquo corpore Circumactum continuare. Veruntamen e ſaucia vena duæ, vel tres libræ ſanguinis, imo plures ſaltem in robuſtioribus corporibus eximi citiſſime poſſunt. Huc adde id modicum ſanguinis multo lentius, ut dicunt, in extremis moveri, quam prope cor, quod auget probabilitatem inde non procedere copiam, quam ex adaperto

vaſe

vaſe celeriter proſilire cernimus. Reſpondit Socius noſter, cui hæc objecimus, uberiorem rivum duci ad locum ſectionis, quia plena ſunt vaſa, ſanguiſque eo copioſior accurrit, ubi minorem invenit renixum, qui procul dubio minor eſt in loco ſecturæ. Reſponſum placeret, ſi ſanguis ſuo pondere delatus deorſum flueret. Fertur aqua in plagas inferiores, ſemperque deſcendendo uberior eo delabitur, ubi vel nullum, vel levius obſtaculum offendit. Sanguis autem ex vena pertuſa manans contra propriam gravitatem ex imis partibus in ſuperas tendit; quo propterea ſolum ea portio pervenire poteſt, quæ valet ſurſum trudi ab incitamine circumvoluti liquoris, admodum exigua quantitas, ut ex habita ſubductione conſtat. Quocirca ſi & quantitas conjecti ſanguinis ſingulis ictibus cordis in arterias brachii impar eſt cito effluenti copiæ ex icta vena, & anguſtia capillarium venarum, per quas tranſit effluxurus ſanguis, nequit parere tam velox, tamque copioſum effluvium, reliquum eſt, ut judicemus ſanguinem e vaſis amplis partium ſuperiorum traduci; judiciumque iccirco comprobatur, quod ſi brachium duobus funiculis quinque, aut ſex digitorum tranſverſorum intervallo conſtringitur, vena inter utrumque perforata, erumpet ſanguis, ut ſolet ab unico ligamine, modo aliquantum laxaveris ſuperius vinculum cor verſus, nil alterum manum verſus. Verum his poſitis, ſi ſanguis a partibus inferioribus non accitur, cur venæ poſt vinculum manum verſus intumeſcunt? Non aliunde, inquiunt, quam a retento ſanguine infra vinculum, qui ſurſum per venas trudebatur. Sic res haberet, ablataque fortaſſis eſſet omnis du-

dubitandi ratio, ſi ſanguis per arterias brachii deſcendens ſolum infra ligamen venis infundi poſſet. Cum autem in qualibet brachii parte pateat ſanguini tranſitûs ab arteriis in venas, certum videtur eum ubique fieri citra, ultraque ligaturam, & iccirco non intumeſcere partes, quia retinetur ſanguis aſcenſurus. Obſervamus in temperaturis frigidioribus e ſecta vena lente ſanguinem exire, aliquando ſponte ſupprimi, cujus ſuppreſſionis cauſam difficile inveniemus, ſi aſſerimus a ligamine prohiberi ſanguinis aſcenſum. Cum enim arteria non ceſſet effundere humorem in venas, oporteret hunc rivo continuo ſcatere quoad ligamen ſurſum agi non ſinit. Non igitur temere exiſtimo cauſam tumefactæ venæ a ligatura non eſſe petendam ex præpedito circumflui ſanguinis aſcenſu, ſine quo non difficile aſſignari poſſe puto. Pars ſanguinis ſubtilis, & actuoſa, quæ perennem vim facit in partem craſſiorem, & hoc pacto, uti docetur, calorem accendit, circumligato brachio, depreſſiſque in ea parte venis, irritatur, cumque nequeat liberos ſuos, & naturales motus obire, intra breve ſpatium poſt vinculum retenta, alios velociores, & perturbatiores concipit, augetque calorem, & ſanguinis expanſionem, qua incipit tumere vena, non tamen quantum optat Chirurgus: qui præterea valide perfricat partem ad ictum deſtinatam, & vicinas, jubetque vulnerandum digitos agitare: quibus irritamentis concitatus humor plenus vita, motuque ex aperto foramine erumpit, & quidem promptior in juvenibus, quam ſenibus, in viris, quam fœminis, in calidioribus, quam frigidioribus naturis, ſollicitante exitum calore, impetuque majore

ſpi-

ſpirituum cauſa elatæ poſt ligamen venæ. Itaque experimentum venæ ſecturæ in brachio, vel opponitur Circuitioni, vel ſaltem evidenter non favet. Ac profecto illius patronus Vvallæus poſt examen eorum, quæ accidunt in venæ inciſione hæc habet: *Quæ cum ita ſint, omnibus arbitror liquere ea, quæ in venæ ſectione accidunt, aut comprobare Circularem ſanguinis motum, aut ei ſaltem non refragrari*. Dubitarunt igitur aliqui Adverſariorum de quo alii tanquam demonſtratione gloriantur. *In Epiſt. de motu ſang. ad Barthol.*

Externa Circuitionis munimina, atque ut ea credit Vvallæus, debiliora aggreſſi ſumus. Nunc interiora, arcemque ipſam petimus. Pecquetus multis experimentis certat, enititurque Circuitum demonſtrare, quorum veluti ſumma eſt, quod expendendum aſſumo, a quo etiam Verheyen credit evidentiſſime propoſitum evinci. Cruralem venam ab arteria comite ſeparatam ligatamque, qua turgebat, videlicet extrema verſus, perforavit. Scaturivit prompte, alacriterque ſanguis. Tum vinxit ſociam arteriam. Extincto protinus impetu ſanguis venoſus guttatim primum extillans, demum deſtitit exire, & non ſemel expertus eſt vincta arteria laticem e vena ſcatentem cohiberi, effluere ſoluta. Efficaciſſimum, fateor, primo intuitu, apparet tentamentum, & triumphale, ſed diligentius inſpectum, excuſſumque tanti momenti, roboriſque non eſt, quantum præſeferre videtur. Probat iſthuc non rapidiſſimam ſanguinis vertiginem, ſed tantum commercium inter venas, arteriaſque, quod Galenus in eo poſuit, ut venæ dent aliquid arteriis, hæ regerant venis, quod neceſſarium crediderim, ſaltem ubi hæc vaſa ita *In diſſert. anatomica* *Lib. 2. Tract. 4. cap. 4.*

 con-

connexa, conjunctaque ſunt, ut ſine laceratione ſejungi nequeant. Arteriæ quidem venis impertiunt partem aliquam contenti ſanguinis, multo aere turgentis, ſpiritumque vitalem appellatum, a quo ſanguis venoſus quodammodo animatur, vitalemque impetum ſuſcipit. Hinc aer toti ſanguini admiſcetur, licet inæquali portione, parciore venoſo, uberiore arterioſo, ut iſtius major tenuitas, & roſeus color demonſtrat, potiſſimum ortus ab aere copioſiore interjecto, quemadmodum liquet ex cruore recens emiſſo, & coagulato, cujus pars magis rubet, quæ aerem uberius haurit. Quanta vero aeris quantitas inſit ſanguini Boyle ita conatus eſt invenire. Calentem agni, oviſque ſanguinem diſruptis fibris in vaſe vitreo patuli oris repoſitum in Recipiente clauſit, & aere diligenter exhauſto, poſt diutinam expectationem, vidit ebullire, & adeo expandi, ut extra vitrum exundaret; cujus non niſi quartam partem ante expanſionem implebat. Tantum aeris latebat in ſanguine, qui graviore ſubtracto ſe ſe adeo extendit. At Galenus negat aerem, ut mihi Cretenſis improperat, in arteriis contineri; eoque bacchatur, & exclamat. *Heu audaciæ ſummæ deliramenta! Ubinam ſacramentum ſuum in Galeni auctoritatem!* Quis unquam acerbius in eum, a quo ne verbo quidem laceſſitus ſit, excanduit? Niſi omnes Galeni ſententias ſecutus eſſem, iccirco hæc convicia promeruiſſem vix a furente illiterato ejaculanda? quibus certe nunquam paria reponam, non ægre ferens me ab Adverſario intemperantia vinci. Sed videamus num a Galeno tam turpiter, ut opponit Cretenſis, deſciverim. Probat Galenus contra Eraſiſtratum ſanguinem natura arteriis ineſſe, ne-

Pag. 22.

que

que ſolo ſpiritu, & aere repleri, ſed aerem non removit, immo paſſim affirmat eum ab arteriis per univerſam cutem attrahi, copioſumque contineri. *Recipiunt autem in ſe ex aere nobis circundato non exiguam portionem.* Anne mihi craſſiora poterant opponi, quæque luculentius demonſtrarent, cuinam debeantur ea convicia? Itaque perpetim tranſultat aer cum ſpiritu arterioſo in venas per vaſorum aperturas, fortaſſis etiam per inſenſiles meatus conjunctarum tunicarum. Nec enim earum tunicæ ita ſunt compactæ, ut ne vapori quidem exili aditum permittant, ſicut objecit Cretenſis, cui defuerunt conſpicilla ad id deprehendendum. Siquidem non pauci clari nominis Recentiores, inter quos Craanen, perhibent arteriarum texturam eſſe valde fibroſam infinita ſpatiola admittentem, per hæc tranſire ſubtiles ſanguinis partes ad ſolidas corporis, immo cum hiſce ſubtilioribus etiam aqueas, aliaſque ſalinas, acidaſque. Ergo, ſubdit Cretenſis, quando vena pungitur, perciperemus flatum ſibilare per vulnus, ut per vulnera pulmonum, quaſi poſſet contra me oſtendere tantum aeris, eodemque impetu ex arteriis in venas tranſilire, quantum per reſpirationem in pulmones. Aut igitur prius id probandum erat, aut conſequens omittendum. Ad Pecqueti experimentum redeo, in quo renovato comperi rem aliter evenire, ac ipſe narrat, minuique per ligaturam arteriæ impetum effluentis ſanguinis, non ſupprimi effluxum. Anno 1721 die 1 menſis Januarii Joannes Baptiſta Morgagni in academia patavina anatomiæ profeſſor primarius, ſuiſque diligentiſſimis ſcalpris, nitore ſermonis, atque ubertate eruditionis, qua rem anatomicam litteris mandavit, cele-

*De uſu Pulſ. cap. 5.*

*De Nutritione.*

celeberrimus, me rogante, deſcriptum Pecqueti experimentum in cane perfici domi ſuæ curavit. Nudatæ ſunt vena, & arteria cruralis prope inguen palmi circiter longitudine, dumque ſecabatur caro, ut ſupponi poſſet arteriæ filum, exiguum vas inciſum eſt, ut apparuit ex ſanguinis effuſione, quæ tamen nihil obſtitit tentamento. Facta vaſorum ſeparatione primum ligata eſt vena, deinde arteria. Detumuit vena cor verſus cis vinculum, ultraque intumuit, ut ſolet etiam in phlebotomia vincto brachio, punctaque, qua flacceſcebat, effudit ſine ſaltu cruorem, primo copioſius, deinde parcius. Hoc eodem tempore conſtricta filo arteria, tenſior, amplior, turgidiorque reddita eſt cor verſus, depreſſaque ad extrema; atque pulſatio, quæ ante ligamen intuentibus non apparebat, poſt vegeta cor verſus apparuit, ceſſavitque effluxus e proximo tenui vaſe diviſo. Paulo poſt ſoluta arteria, qua vena turgebat, inciſa fuit, & citius dicto emicuit in altum impetuoſus ſanguinis gurges, eodemque fere impetu continuaſſet, niſi denuo conſtricta fuiſſet arteria, cujus conſtrictio minuit quidem ſaltum exilientis ſanguinis, non compeſcuit. Ad majorem experimenti fidem ſoluta arteria eſt, iterumque ligata, in cujus ligatura ſemper canis miſerando latratu contortus eſt, atque jactatus, qui conſtans fuerat in conſtrictione venæ. Verum neque primo, neque ultimo injectum arteriæ vinculum retinuit effluentem e foramine venæ ſanguinem, qui modo ſine ſaltu ſcatebat, modo ſaltuatim, præſertim cum ſpongia aqua calida imbuta vulnus tergebatur. Admirati ſumus omnes indeſinentem e vena effluxum animo ſimul ad Pecquetum intento, & oculo ad ligamen arte-

riæ,

riæ, admirationemque auxiſſet totius ſanguinis egreſſus, ut in procinctu videbatur, niſi diſſectum fuiſſet medium animal ad lactea vaſa, lymphatica, thoracicumque tyronibus oſtendenda. Veruntamen exclamat Pecquetus: *Mirum! extincto prorſus impetu ſanguis venoſus guttatim primum extillans, demum penitus fluxum compeſcuit.* Idem experimentum eodem anno die 3 Aprilis ejuſdem opera repetitum eſt, ſed in cane valde diſſimili primo, qui venaticus erat, procerus, muſculoſus, ſtrenuus, impatiens ligaturæ, validoque ſemper conatu reluctans. Minor ultimus, pinguis, manſuetus, Dominæ delicium, ligatura, & inciſione parum irritatus. Ergo ligata vena crurali, ut in alio cane, ictaque infra ligaturam, qua tumebat, exivit ſanguis cum ſaltu ſed demiſſiore, quam in altero. Tum vero devincta arteria ſanguis erumpens impetum amiſit, non tamen ceſſavit emanare. Tandem arcte, quantum potuit ligata eſt coxa infra vinculum venæ, moxque ſubſtitit emanans cruor tametſi laxatum fuiſſet arteriæ ligamen. Quia vero in hoc tentamento, ſicut in altero canis ad conſtrictionem arteriæ vehementer contortus eſt, placuit cauſam veſtigare, detectique ſunt nervi duo non exiguæ magnitudinis ita arcte adhæreſcentes arteriæ, eademque membrana irretiti, ut neceſſario ſimul cum arteria ligati fuerint, unde doloris vehementia, & cauſa contortionis. Si comparemus hæc experimenta, omnem diverſitatem in effluxu cruoris e vena perforata ex ipſa canum diverſitate, non ex diverſa tentamenti ratione facile deſumemus. In cane venatico, dum incidebatur, magnus erat ardor animi, pectoris motus, vehementeſque totius corporis contortio-

tiones. Omnia languebant in altero, ex cujus propterea vulnerata vena, quoad vincta erat arteria, ſine ſaltu cruor exibat, lenteque. Itaque hiſce experimentis illud apparet, impedita vinculo arteria valde debilitari ſanguinis e vena erumpentis impetum, expedita inſtaurari, alterum non demonſtratur, ſanguinem ab corde jugiter per arterias propelli ad extrema, per venas celeriter ad cor redire; cum ille perſeveret exire vel revincta arteria, per quam credunt ſanguinem ad venas tranſire. Porro enervatus impetus ſcatentis ſanguinis per ligaturam arteriæ arguit quidem materierum communionem inter vaſa a Galeno poſitam, impeditumque arterioſum afflatum, abs quo major ſanguinis vigor, & mobilitas, non evidenter probat ejuſdem circuitionem, uti deſcribitur. At enim poſt arctiſſimam conſtrictionem totius femoris ſuppreſſus eſt ſanguis. Ergo ab extremis partibus ad cor refluit per venas. Qui ſic argumentatur, animadvertat etiam ſine ligatura arteriæ interdum ex vena vulnerata ſanguinem non effluere, ſicuti conſtat ab experimento paulo infra exponendo, & obſervatur non rariſſime in ſectione venæ ægrotantium. Circumligatum itaque femur non demonſtrat compeſci ſanguinem propter inhibitum ejuſdem accurſum ab inferis ad ſuperiores partes. Poteſt enim idipſum efficere in animante ligatura, quod ex aliis fortuitis cauſis aliquando oritur, prohibetque ſanguinis effluvium ex hiante vena. Huc adde revinctam eſſe coxam, poſtquam multum ſanguinis exiverat. Neque vero mihi diutius adlaborandum eſt huic argumento; cum oporteat ipſos adverſarios reddere rationem, quare conſtricto femore non effluxerit ſanguis

guis ex perforata vena abſque conſtrictione arteriæ. Namque non in ſolis extremis membris patet aditus ex arteriis in venas, ſed in toto femore, ſupraque partes ſauciatas. Si dubitent, reſpiciant ad membrorum obtruncationem, per quam non tollitur communicatio arteriarum cum venis in reliquis partibus, nec inhibetur, ut docent, Circumactus. Nempe exiles venæ naſcentes a parvis arteriis quoquoverſum ſparſis ubique inter truncos majores viam muniunt transfuſionis. Quin etiam inter eoſdem truncos pluribus in locis eſt via proxima communionis ſine ope minutorum canalium, ſcilicet ubi arctiſſima conjunctio vetat incruentam ſeparationem. Quidni igitur a ſuperioribus arteriis ſociis venis infuſus ſanguis exit ex patente vena, ut antea exibat, vel lino coarctata arteria? Quare concluſionis evidentiam non percipio; cum præſertim nequeat obſervari, quid eveniat a ligatura in toto vaſorum contextu, quem Cicero divinum appellat, ſupraque captum humanum; cum nequeat ſtatui, utrum quod apparet, e natura ſit, an fiat propter illatam violentiam. Illud evidens eſt, poſſe ſanguinem ab arteriis tranferri ad venas, & aliquando totum transferri, ut in morientibus, in quorum cadaveribus videmus exhauſtas arterias, repletas venas, cujus cauſa olim a me aſſignata. Adverſarii ſententia, riſum ab Eraclito excuteret. Sit illa digna riſu, ut alia multa in phyſicis. Congruebat tamen veteri doctrinæ, quam tuebar. Tu vero ſuperciliose doctor, quid ſerium, & Te dignum apponis? *Ideo, inquis, in cadaverum venis tantum ſanguinis reperitur, parum in arteriis, quia cum per cor ipſum & pulmones tantum detur tranſitus de venis in arterias, dum hoc auto-*

 *toma-*

*tomaton moveri deſinit in animalium obitu, de venæ arterioſæ ramulis in arteriam venoſam, & inde per cordis ſiniſtrum ventriculum ſanguis permeare prohibetur.* O gravem virum, & ſolum ſeria pronunciantem! Quod ſolum detur tranſitus ſanguinis ab venis in arterias per pulmones, & cor, qui occidente animante intercipitur, colligis in cadaveribus exhauriri arterias, repleri venas. Vide, quæſo, quam efficaciter? Quando ſanguis ex gelu propinquæ mortis permeare prohibetur e vena arterioſa in arteriam venoſam, non ne tranſitus quoque e minimis arteriis in pariles venas interpellatur? Quapropter ſicuti venarum repletionem parit vetitus ſanguinis progreſſus a vena arterioſa in arteriam venoſam; arterias quoque replebit ex ipſis ad venas in toto corporis ambitu intercepta ejuſdem profectio; eoque magis, quod Circuitionis eſt theorema, tantum ſanguinis in toto corpore ab arteriis transfundi ad venas, quantum a corde in aortam. Si ad aliquod tempus impediretur ſanguinis fluxus de venis ad cor, & aortam, interim ex arteriis in corporis ambitu concederet in venas, utique implerentur venæ, depletis arteriis. Verum quouſque cor movetur, ut doces, ex neceſſitate Pag. 27.
cauſæ motus, nulla fit ſine ſanguinis diſtributione contractio, & iccirco non poteſt humor in venis acervari, exinanitis arteriis. Alii Circuitionis Patroni ita hujus problematis rationem exponunt, ſcilicet occidente animali cordis motum poſteriorem eſſe motu pulmonum, hinc fieri ut per motum cordis extrudi quidem poſſit ſanguis ſiniſtri ventriculi in arterias ad corporis ambitum, & inde in venas, ſed præpedito pulmonum motu nequeat ille remeare amplius ad ſiniſtrum cordis

ven-

ventriculum venis relictis; cui rationi acquieſcere nequeo, niſi prius determinent, quot contractiones cor edat poſt inhibitum motum pulmonum, & ſanguinis per eoſdem tranſitum. Unicam tantum edere conſtat ex eorum opinione, qui volunt illud non poſſe jactari ſine ſanguinis irrigatione, quæ cum modicum ſanguinis pellat in aortam, procul dubio nequit totum ſanguinem, vel majorem partem venis intrudere, cum certum ſit ex legibus Circuitionis tantum ſanguinis ex omnibus arteriis migrare in venas in ſingulis contractionibus, quantum a corde in aortam, quæ quantitas in morientibus admodum exigua eſt. Totus igitur ſanguis, qui arteriis inerat, ante ultimam cordis contentionem remanebit excepta portione, quæ reſpondet quantitati ultimo expulſæ a corde, de qua valde dubito remanſerit in arteriis, an potuerit ad venas progredi. Etenim merito crederem in toto corpore plurimarum arteriarum motum, a quo ſanguis venis importatur, ante ultimam cordis conſtrictionem fatiſcere cum obſervatum ſit horis aliquot ante obitum interdum nullum percipi pulſum in carpo: ex quo major potius quantitas ſanguinis reperienda foret in arteriis, quam venis. Quocirca non ita, uti creditur, poſitum eſt in proclivi determinare pro variis accidentibus, qualis ſit motus ſanguinis, quæ translatio, & quomodo fiat. Quinimmo, etſi ejuſdem naturalis curſus euntis & redeuntis per omnium partium omnia vaſa deſcribi ſolet ſimiliter ac ſi præclariſſime cerneretur, nihil affirmate ſtatui poſſe cenſeo; fateorque me meis Adverſariis tam felicem imaginationem, neque tot dubitationibus obnoxiam, quot meam experior, invidere.

*De Chyli, & motu ſanguinis.* Aliud experimentum, quod admodum Circuitioni favere creditur, exponit Bartholinus affirmans ligata prope cor arteria aorta inter cor, ligaturamque ſuperius ſe aperuiſſe arteriam, & vidiſſe per foramen ſingulis pulſibus aliquid exire; deinde poſt varias ſupputationes fingit etiam ſolum ſcrupulum liquoris in ſingulis pulſationibus e corde in arteriam ejectari; atque cum compererit pluſquam decem ſanguinis libras ſingulis horis cor pertranſire, quantum neque ex ingeſto cibo, neque ex alio penu poteſt cordi ſuppeditari, concludit neceſſarium eſſe ejuſdem ad cor recurſum. Verum, ut alias, reſpondi, non recte arguuntur ex violento eventu lacerati canis placidi naturæ, & ordinarii ritus; quia, ut habemus apud Celſum ex Empiricis, interiora ſub ipſa trucidatione mutantur; eodemque reſpectu felleus Helmontius caſtigat eorum anatomicorum inſcitiam, qui ad experiendum, num e capite in pulmones humor aliquis defluere poſſet, vivum canem diſſecuerunt, dumque ad laryngem eſt deventum, injecerunt oretenus juſculum peregrino colore imbutum, cumque reperiſſent ejus modicum arteriam tinxiſſe, ſtatim adjudicavere poſſibilem fluxionem humoris a capite in pulmones. Nimirum, ut ait, in tanto carnificinæ ejulatu intra laryngem eſt abreptum quod e natura non ſolet illabi. Similiter multo vehementius concutitur cor, ut ego pariter expertus ſum, dum animal frendet dilaceratum, atque in ſtatu naturali, uti certum ſit omnes ſpiritus admodum exagitari, motuſque extraordinarios viſcerum, & vaſorum cieri, quibus mirum non eſſet, ſi ſolito major copia ſanguinis ad cor protruderetur, atque

*In Præfatione.*

*In Catarrhi deliramentis.*

pe-

perennem effuſionem efficeret. In ſuperioribus etiam oſtendimus ad partes uberiorem ſanguinem accurrere, dum vulneratur vena, quam ante vulnus. Enimvero ipſe Bartholinus aſſerens in valde extenuatis plures pulſus fieri ſine ullo ſanguinis impendio, probat ex ſuo experimento non poſſe decerni quamlibet cordis conſtrictionem cruentari. Cretenſis opponit in ſectione vivi animantis minus ſanguinis ad cor acciri, & ex corde ad arterias, quam in ſano, nec laniato; idque duplici de cauſa, propter contractionem aortæ minus ſanguinis recipientis, corque in tot vibrationum ſubſaltus diſtractum, neque potens rhythmum ejectionis ſuæ in arterias proſequi. Inde profanum exiſtimat, qui credit in ſingulis ictibus nil humoris diſpenſari arteriis. Sed vidit ne Adverſarius evenire, quod aſſumit? Se vidiſſe non affirmat, qui fatetur ſe nondum cum Herophilo, & Eraſiſtrato vivorum animalium præcordia incidendi provinciam ſuſcepiſſe. Stet igitur Bartholino vivi canis ſectori, qui perhibet largiorem laticem in vivo animali lacerato ab corde in arterias pelli, quam in illæſo. Cætera vero non minus laxe concludit. Ex cordis contextu, quem inquit eſſe hujuſmodi, ut eo conſtricto neceſſario contentus humor ablegetur, infert ſingulis conſtrictionibus ſanguinem intra arterias exprimi, in quo tam perſpicax, & cenſorium ingenium non vidit, ut continuetur ſanguinis e corde propulſio, neceſſum eſſe, ut nunquam deſinat ingreſſus; ideoque prius eſſe probandum continuum ingreſſum, ut inde ex cordis fabrica continuus conſtet egreſſus. Tam perſpicuam rerum conſequentiam non perſpexit Adverſarius, nilque memoravit de perpetua ſanguinis in cor itione, qua Pag. 27.
non

non demonſtrata, manifeſtum eſt neque perpetuum e corde diſceſſum demonſtrari poſſe. Sed conſulat clari nominis Neotericum Laurentium Bellinum, qui explicans pulſum rarum, ejuſdem cauſam adjudicat cordi ſine intruſione ſanguinis in arterias ſe ſe contrahenti, quod nil ſanguinis in ſiniſtrum ventriculum derivetur.

Alia ſolent proponi experimenta ad Circuitionem demonſtrandam, quibus in idem recidentibus, ac propoſitis, ſatis erit hæc perpendiſſe. Id ſolum omitti nequit, quod attinet ad valvulas venarum, quas Adverſarii nervoſiſſimum circumducti ſanguinis argumentum exiſtimant. Has eſſe obſervant tenuiſſimæ ſimul, & denſiſſimæ ſubſtantiæ in interna cavitate venarum, ſtatim ſub ramorum exortu incipientes, non autem in ipſis exortibus, earum plurimam partem in venis brachiorum, & crurum reperiri, nullas prorſus in arteriis; ita vero ſitas eſſe ut ab extremis cor verſus patulæ ſint, a corde extrema verſus occluſæ: quod, ut credunt, arguit ſanguinem per venas ab extremis cor verſus aſcendere, non a corde ad extrema deſcendere aditum valvula præcludente. Borellus inſuper tribuit valvulis conditionem incitamenti ſanguinis cor verſus, in quo tamen ſibi defuiſſet natura, quæ ubi ſanguis ad cor validiore indiget incitamento, nullas valvulas locavit, ſicut in vena cava, per quam adeo largum fluentum contra propriæ gravitatis niſum aſcendere oportet. Hieronymus Franzoſius hunc valvulis uſum tribuit, ut retardent impetum ſanguinis a partibus attracti, qua mora ſanguis venarum melius mutatur, & concoquitur ab arteriali nutritionis gratia. Mihi arridet uſus Aquapendentis, cum quo nunc, ut olim affir-

*De motu animalium Par. 2. Propoſit. 33.*

mo

mo valvulas tutamen eſſe præſidiumque venarum, inhibendo, ne ſanguis nimio impetu in motibus vehementioribus ad extrema proruat, vaſaque nimis diſtendat, aut diffringat, externaſque partes largius irriget, quam viſcera vitæ officinas. Argumento eſt valvulas præſertim reperiri in longioribus, & imbecillioribus venarum tunicis, & idcirco rupturæ obnoxiis, atque in his membris, quæ labore, motuque magis exercentur. Quocirca ſtatuendum eſt eas ſaltem, quieſcente corpore in totum non claudi, atque hoc pacto deſcendentem liquorem retardari, ut ſenſim defluat, non penitus cohiberi, ut opinantur Adverſarii. Vel dicas certis temporibus aperiri, aliis claudi, ut variant motus, poſitus membrorum, aliæque circunſtantiæ, puta, ut accidit muſculis conſtrictoriis. Donantur illæ fibris motricibus, quarum ope, ut docent, tanquam exigui muſculi contrahi poſſunt, & relaxari. Quanquam igitur in cadaveribus infuſus e parte ſuperiore liquor a valvulis delabi omnino prohibetur, inde colligi nequit idem evenire in viventibus; nec alio pacto convenientem uſum valvulis aſſignare poſſumus, immo poſita Circuitione irritæ, & præpoſteræ videntur. Nec enim adjuvant laticis aſcenſum, ut placet Borello, ſed debilitant, ac remorantur, ut pote quæ venæ capacitatem anguſtant, quam reſtrictam offendens humoris curſus ex alveo ampliore progredientis neceſſario quidpiam velocitatis amittit, dum aliunde non inſtauratur impulſus, ut inſtaurari credit Borellus per machinam valvularum inſtar pilæ luſoriæ repercuſſæ; qua, ut ait, vena a muſculis compreſſa formam cylindricam perdit, & commutatur in duo infundibula minus capacia ipſo cylindro.

Li-

Licet enim ita forſitan accideret commoto animali, compreſſaque vena, quieto tamen, ceſſanteque muſculorum preſſu, & venæ conſtrictione perverteretur valvularum machina non amplius aſcendentis ſanguinis incitamentum, ſed obſtaculum.

Extant quoque valvulæ in venis jugularibus deorſum ſpectantes; ex quo Harvæus impugnat uſum illis ab Aquapendente aſcriptum. Verum par ratio de omnibus eſt. Si jugulares valvulæ erecto capite ferientur, vetant in declivi, ne nimia humoris copia extremam perniciem paritura ad cerebrum irruat. Attamen neque in erecto capite omni carent officio. Credit Ariſtoteles ſanguinem neque copioſum, neque craſſum, ſed tenuem ſincerumque in caput ferri; & quamvis Taurius id oppugnet, non inficiatur idem fere omnes Neotericos ſentire. Itaque valvulæ, ut placet Franzoſio, retardantes curſum ſanguinis efficiunt ut minor ſanguinis copia, tenujorque tantum portio caput ſubire queat; & iccirco, vel in ſublimi capite fructuoſæ. Magis autem conformatio, & diſtributio vaſorum opponuntur Circuitioni, quam favent valvulæ. Arteriæ, venæque circum cor, & viſcera multum amplæ, robuſtæque, ad corporis circumferentiam repunt, non rectæ, æquales, expeditæque, ſed inæquales, arctiſque plexibus involutæ, atque in tortuoſas propagines diviſæ, ſemper decreſcentes, ut tandem in membrorum confinio in minutiſſimos ſenſumque effugientes canaliculos anguſtentur. Cur igitur in extremis tam difficiles vaſorum anguſtiæ, niſi fini, ſed principio novi motus, videlicet repetentis ad cor ſanguinis deſtinabantur? Cur fere ubique multiplices vaſo-

*Lib. 2. de part. animalium.*

*In anatomia rationali Part. 2. cap. 3.*

*De motu cordis lib. 2. cap. 13.*

vaſorum flexus in oppoſitas partes diſtracti circumeuntem humorem multum remorantes, ejuſdemque impetum cor verſus infirmantes, ſi tam celeris Circuitionis natura indigebat? Magis hæc conformatio opponitur rapidiſſimo, & vorticoſo motui, quam uſpiam valvulæ dilapſui ſanguinis. Sed opponantur. Cum oſtenſum ſit non in ſolis extremis ſanguinem ex arteriis migrare in venas, ſed ubicunque arteria venam comitem habet, tametſi valvulæ impedirent deſcenſum ſanguinis, neque hic ab extremis ſurſum impelleretur, tamen pars venæ infra valvulas vacua non remaneret, quæ pariter in eo loco ſanguinem ab arteria proxime recipere poteſt.

Satis de valvulis a corde diſſitis. Qualem vero aſſignabimus uſum valvulis grandium vaſorum cordis? Nihil nobis addendum eſt ad ea, quæ ſtatuerunt Antiqui de uſu earum valvularum, a quibus Recentiores minime diſſentiunt.

Quando huc uſque Adverſariorum experimentis interfui, nunc meo quoque faveant intereſſe, quod adoleſcens in famulo Xenodochii Cremonæ peregi. Ligato, ut mos eſt, in phlebotomia brachio e vena cephalica prope cubitum tres uncias plus minus ſanguinis eduxi, & ſubinde in apertam venam unciam unam, vel alteram lactis infudi extrema verſus impediente plenitudine vaſis uberiorem infuſionem. Permiſi parumper quieſcere vulneratum, poſtea remoto vinculo in venam humerum verſus lac iterum injeci, expediteque ſubito aſcendere vidi ratus inde Circumactum demonſtratum. Sed vix ad aliquod ſpatium aſcenderat, eo ſcilicet, quo a vi ſyringis impulſum erat, cum ſtatim venæ infra

 ſectio-

ſectionem extuberare viſæ ſunt a relabente humore, ut mihi clarum videtur, deſcenſum nacto per propaginem cephalicæ ramo interno baſilicæ conjunctam. Ab infuſo lacte brachium ab eo loco, in quem lac aſcendere videram uſque ad extremos digitos frixit, ac vincto vulnere aliquanto laxius, ad horæ quadrantem frigus perſeveravit. Demum ſoluto vulnere exitum ſanguinis ſurſum, ac deorſum fortiter venam comprimendo ſollicitavi inſpecturus, num aliqua lactis veſtigia cum exeunte cruore apparerent; ſed penitus immadidum vulnus remanſit, & conatum aucturus ſupra illud vinculo circumducto iterum compreſſione vaſis ſanguinem elicere niſus ſum, ſed improviſus horror vulnerati conatum irritum fecit, & tentamenti finem. Ergo lac ſurſum ſyringe impulſum mox infra relapſum eſt; unde non temere concludi exiſtimo per eas venas ſanguinem non aſcendere, ſed deſcendere. Fac enim aſcendere. Lac per eaſdem non deſcendiſſet. Uncia una, vel altera lactis infuſi offendens ſanguineum fluentum ab incitamine Circuli ſurſum adactum, quibus viribus ei reſiſtet, & in oppoſitum tendet? An ingenito pondere? Verum nonne vis, & incitamentum gravitatem ſanguinis vincens, inque ſuperas partes contrudens multo facilius tam pauci lactis pondus ſuperabit, ipſo ſanguine, ut expertus ſum, levioris? Huc adde plus ſanguinis effuſum eſſe, quam lactis infuſum, idemque ope ſyringis cum impetu ſurſum; quæ omnia in id conducunt, ut ſanguinis aſcendentis impulſus extraneum, & peregrinum laticem ſecum abripere facilius potuiſſet; cum præſertim hæc duo in eodem vaſe poſita ſtatim apprime miſceantur. Iſta

non

non percipit Cretenſis, qui affirmat me hujus exitum experimenti non agnoviſſe, expectationem ſuam amphibologiis feſeliſſe, & ſolum temere decreviſſe ſanguinem per venam non aſcendere? Quando me dubii, & captioſi ſermonis accuſat, fas erat aliquam ex amphibologiis, quibus ſe irretitum dolet, in medio ponere, ut a calumniæ ſuſpicione, & puræ putæ obtrectationis adſereret. Nullam tamen produxit, tantum me ambigue, & quadam ſtygia obſcuritate loquutum eſſe conqueritur. *Sed oleum*, inquit, *& operam perdet, qui tot argumentationibus adverſarii occurrere ſtudet; cum enim illas implicatis involucris obtexerit ille, Oedippo opus eſſet, ut Sphinga cæcis verba nectentem modis comprehendat. Nos vero cum percipiamus illum de induſtria ſtygias affectaſſe tenebras in opuſculo ſuo, ſæpiæ nobis videtur imitatus exemplum atramento ſuo aquas denigrantis, ut facilius a piſcatorum elabatur inſidiis. Quid ergo amplius cum illo digladiabimur, ſi nec armorum ſuorum machinamenta percipiamus, nec minarum ſuarum dolos?* Ergo, ut ait, obſcure, ambigueque ſcripſi, meaſque numeroſas argumentationes implicatis involucris, & ſtygia caligine obtexi. Quapropter ſi oſtendero meam lucubrationem a multis perlectam eſſe, nec ullum queſtum de ambiguitate ſermonis, de involucris, & acherontica obſcuritate mearum argumentationum, manifeſtum erit, extraque omnem dubitationem Adverſarii tarditatem, vel negligentiam in cauſa fuiſſe, cur illas non intellexerit; neque me ſæpiæ exemplum imitatum fuiſſe ad retia declinanda, ſed ejus mentem, animumque nigriore ſæpiæ atramento infectum eſſe, qui non inimico tam hoſtiliter obtrectat, neque percipit ea,

Pag. 29.
Pag. 28.

unde ſumit obtrectandi occaſionem. Ad Te igitur, vir docte, auctor diarii parmenſis, provoco, qui meum opuſculum paulo poſtquam editum eſt de latino in italicum ſermonem lucide, ornateque expreſſiſti: ad vos, eruditi Lipſienſes, qui ſingulas meas argumentationes in veſtris actis preſſe quidem, ſed luculenter expoſuiſtis, nec uſquam vos hæſiſſe dixiſtis, multaque tanquam involuta, & tenebricoſa omiſiſſe. Hæc ne clare narro? Hæc ne percipis Cretenſis? Quo autem Te vertes, ut mei texti, non tuæ mentis obſcuritati tribuas, niſi mea argumenta penetrare potuiſti? Hæc item intellexit ſine dubio Mangetus, qui pariter adverſus me Circumactus apologiam conſcripſit, idemque non ſolum tuo patrocinio minime uſus eſt, ſed neque tuum opuſculum, quod viderim, indicavit, dum bibliothecam medicam conſtruebat. Intellexit Gavinellus, qui conniventibus oculis more aliorum circulo ſanguinis non aſſentitur, ſed æque doctus, atque ingenuus fatetur me multa etiam medicinæ optimatibus ſolutu difficilia in ſanguinis circulum oppoſuiſſe. Quid alios nominem? Unus inventus es, cui meæ ratiocinationes ſtygia nocte pene obſcuriores viſæ ſunt, nec ſine prodigio penetrabiles, quo facile cognoſcere poſſis, me non propoſuiſſe ænigmata a ſolo Oedippo enodanda, ſed a quolibet in dialecticis mediocriter exercitato. Id ſolum mirari non deſino, Te in illam ſcriptionem efferate invectum eſſe, cujus magnam partem non intellexiſſe minime diffiteris. Legiſti ne quæ ad Lectorem in eadem ſum præfatus? Petii, ne multiplices, variaſque rationes a me hinc, & illinc depromptas ſingillatim æſtimaret, ſed ex omnibus ſimul decerneret, an probabi-

babilem opinionem ſequutus eſſem. Tu vero non ſolum id mihi non conceſſiſti, quod mutuus litteratorum amor, humana ſocietas, juraque officii exigebant ex toto mearum rationum contextu ſententiam ferendo, ſed plurimas ex illis obſcuritatem cauſatus præteriiſti, hoc eſt illas, contra quas nihil tibi dicendum occurrebat, & ſolum aliquas hoſtiliter tractaſti, quo in auctorem tot ſpicula, loquor tuis verbis, veneno infecta vibrare poſſes, quaſi a Te Mecænatem inſidioſe alienaſſem, aut Te paribus antea conviciis oneraſſem, quem ne leviter quidem vellicaveram, neque noveram. Itaque ſi Te tanta maledicendi libido inceſſit, fruere genio tuo, exacue dentes, & maledicta ſemper in hoc conflictu tam inhoneſto victoriæ certus. *In fine Apologiæ.*

Præter deſcenſum lactis in allato experimento contra ſanguinem aſcendentem, repugnat Circuitioni interceptus illius exitus e patula vena, etſi vinculum aſcenſum impediebat, urgebamque digito. Si enim ſanguis per truncum, ramoſque perforatæ venæ ſurſum ferebatur, ligamine progreſſum vetante, acervatus eſſet in vena, & ſaltem ex digiti preſſu emanaſſet. Vel Adverſarii fateri coguntur penitus coercitum eſſe Circumfluxum toto eo tempore, quo vulneratus inhorruit, quo longo intervallo, & hora una longiore objiſſet, cum velint ex paulum interturbato, non vero penitus ſuppreſſo motu graves animi defectus oriri.

Mangetus affirmat ſe ſe quoque lactis infuſionem expertum eſſe, ſed aliter contigiſſe atque mihi. Probi viri fidem in dubium non revoco, ſed ipſe mihi non detraham, quodve ſenſu percepi, auctoritate non excidet.

Non

Non nulli ex Circuitionis Fautoribus pugnant, ut demonſtrent eam quoque ab Hippocrate fuiſſe non obſcure indicatam, multaſque colligunt ſententias eandem, ut imaginantur, aliquo modo deſignantes; quæ tamen rite penſitatæ, nil aliud arguunt, quam communionem inter venas, arteriaſque, quam & concedimus, & propugnamus. Olim eas recenſui, expendique, multis adjectis Senis documentis ſanguinis gyro contradicentibus, quæ incudi redderem, ſi operæ pretium foret; ſed plerique Recentiores parum ſolliciti ſunt de Hippocratis aſſenſu, diſſenſuque rati Circuitionem demonſtrari, non probabili ratione concludi. Quin etiam Pitcarnius tam copioſe, tamque dilucide hanc quæſtionem agitavit, ut nullum reliquerit locum ſuſpicandi Hippocrati Harvæjanum Circuitum innotuiſſe; qui oſtendit multo plura, & apertiora eſſe, quæ tradidit Hippocrates evidenter Circuitioni repugnantia, quam obſcure tantum faventia. Atque in eadem verborum Hippocratis ambiguitate verſatur Noel Falconet, qui ante tres annos emiſit Lutetiæ Pariſiorum librum gallico ſermone, in cujus ultima parte nititur probare Hippocratem non dubitaſſe de ſanguinis circumductu, imo in libro de Virginum morbis agnoviſſe argumentum præcipuum ſuppeditatum a ligatura vaſis. Exiſtunt in Hippocraticis monumentis multi verborum textus ſimiles Ariſtotelicis ocioſis philoſophis in quancumque partem flexibilibus.

*De Inventoribus.*

Habes, amice Lector, quæ animum meum perculerunt, neque permiſerunt, ut ſanguinis Circuitum ita certum, & evidentem, ut rumor eſt, exiſtimarem, dubitandi momentis in apertum prolatis, quæ, licet

aliis

aliis ejuſdem ponderis minime viderentur, ſinceris tamen veritatis ſtudioſis non iri contemptum ſpero, quibus neque novitas gratiam facit, neque tollit vetuſtas, neque invidioſa ſunt, quæ alii primi excogitarunt, & a receptiſſimis placitis abhorrent. His ſcribo, non multitudini, neque poſtulo, ut meæ lucubrationes, qualeſcunque ſint, in arce collocentur, quaſi Minerva Phidiæ, atque per omnium ora ferantur, & præconia, quaſi aliquid novi, admirandique a ſenſibus proxime derivatum opera exquiſitiſſimi vitri in lucem afferrent. Contentus ſum me probabilem opinionem ſtatuiſſe varias conjecturas colligendo, aliorum experimenta penſitando, aliaque iſtis obtrudendo, & rationem minime a ſenſu alienam ſecutum eſſe. Neque, meo judicio, luſit operam, qui in phyſicis obtinuit, ut inveniret probabilia; quorum occurſu, ut ait Tullius animus humaniſſima completur voluptate. Ad hæc mihi videor audire Recentiores non paucos obſtrepentes, aliosque microſcopiis, alios ſcalpris anatomicis inſtructos, alios chimicis fornacibus intentos, alios fabrilia tractantes, quaſi veritatem moliri vellent, non detegere, exclamare, ſoli experientiæ fidendum eſſe, nilque luce dignum, quod ſenſus aliquis non comprobaverit. O miros, egregioſque conatus! quibus crederes medicinam, quæ olim magna ex parte in conjectura poſita erat, amplificatam, & ditatam fuiſſe plurimis notionibus certis, & evidentibus, omniaque pene complanata, & firmiſſime fulta. Quoniam ſenſum ducem ſectantur, neque ſenſibus licet reluctari, exiſtimares omnes in unam, eandemque ſententiam conceſſiſſe, cunctaque inventa ſibi conſentire, nec alterum

*In academicis quæſtionibus.*

alte-

alteri litem intendere. Verum, Deus immortalis, quam diſſimilis exitus apparatui! Tantum abeſt Medicinam redditam eſſe certiorem, unamque viam exæquatam, per quam omnes ad ſcopum pergant, vix ſenſibus fides remanſit, & difficile plures reperias, idem qui ſentiant, eademque ſervent veſtigia. Olim certabatur de opinione, quæ probabili nixa ratione ſuapte natura dubitationibus, diſſenſionibuſque patet. In præſentiarum autem quæ ſenſibus percepta dicuntur, tanquam dubia exagitantur, quæque alter ſe vidiſſe affirmat, negat alter, aut aliter ac viſa ſunt alteri, apparere contendit, ut ſi de omnibus honeſte ſentire velimus, cauſam diſſenſionis conjicere oporteat in ſenſum imperfectiorem alterutrius, vel imperfectius vitrum. At vide in quas anguſtias redigatur judicaturus de majeſtate, admirabilique artificio naturæ, quantum recedere debeat a diligentia, quam Tullius adhibendam eſſe animadvertit, ne decipiamur a viſione. Cur enim perfectius judicabitur vitrum, quo alter ſe videre affirmat alteri inviſibilia, quam imperfectius, ejuſque oculi alterius acutiores? Multa oculis aliter ac ſunt, offeruntur, uti remi fractura in aqua; errorque vel alia viſione, vel alio ſenſu corrigitur. Cum autem contentio eſt de re aſpecta ope microſcopii, quo pacto alterutrius deceptionem deprehendemus? Nullum ſuppetit alterius ſenſus auxilium, nullum oculorum ex ſimplicitate naturæ, nullum aliunde: in qua inopia cogimur ſine Carneadis inſtitutione aſſenſionem cohibere.

Quid ergo benignis auribus non audiendus qui tantum probabilia profert, non oſtentat nova tanquam ſenſibus manifeſta, quæ mox alter contra ſenſum eſſe,

ratio-

rationemque probaturus ſit? Numquid injurioſus eſt in Rempublicam literariam probabilium indagator? In humana ſocietate is officium ſervare dicitur, judice Tullio, qui nihil agit, cujus probabilem cauſam reddere non poſſit; pariterque qui ſua excogitata probabili ratione munit, erga literatos officium tuetur, qui propterea non gravate ferent hæc me adverſus communem ſententiam attuliſſe, imo humaniter excipient, protegentque. Lubricum eſt fere ab omnibus diſſentire, adverſo flumine navigare, & multitudini opponi, idque minime conatus eſſem, ſi venarer plauſus, & encomia; quorum in præſens tantum eſt ſtudium, mercatura, & abuſus. Una mihi veritas cordi eſt, cujus inveniendæ gratia apud plurimos offendere non dubitavi, & animoſorum dicacitati obtrudi. Id tamen ipſum me doctioribus commendabit, qui optime norunt vera profunde deliteſcere, cum falſis confundi, rerumque cognitionem agitatione, ut monet Tullius, infinitam fieri. Horum ego judicium plurimi facio, ultroque requiro non pugnaciter reluctaturus; ſtrepitum, & vulgi garrulitatem, attonitaſque perſuaſiones contemno; quem tamen benevolum experiar, ſi ſerio animadvertet nullam poſſe idoneam reddi rationem methodi pertundendæ venæ, quæ fere ab omnibus uſurpatur; & plures errores, Adverſariorum judicio, in praxi ex velociſſimæ Circuitionis invento, quam credita ab Antiquis quiete oriri. Quin etiam Archibaldus Pitcarnius non ſemel conqueritur fere ubique a Recentioribus adhiberi medendi methodum quanto magis congruentem placitis Antiquorum, tanto magis legibus Circuli repugnantem. Cum igitur, documen-

*Lib. 1. de officiis.*

*Lib. 3. de Oratore.*

*Diſſert. de Circulat. Sang. per vaſa minima.*

*Lib.1. de officiis.* to Tullii, cognitio, contemplatioque naturæ manca ſit, & imperfecta, ſi nulla rerum actio conſequitur, imperfectiſſima ſit oportet cognitio Circuitionis, e qua vel nulla manat actio, vel inconveniens, eidemque contraria. At enim evidens eſt Circuitio, neque in dubium verti poteſt, & ſi multi ejuſdem cognitione ſcienter non utuntur ad morbos curandos. Ergo quæ hactenus ſcripſi nullam tibi dubitationem de ſanguinis circumactu incuſſerunt, ideoque in me novam dicacitatem acuis? Fave iterum, precor, parumper, teque paucis morabor, totam diſputationem in pauca contrahendo. Circuitio ſanguinis vel eſt evidens teſtimonio oculorum, vel rationis. At eam opera duntaxat perfectiſſimi microſcopii viſam eſſe fatentur, & tantummodo in aliquibus animalibus, rana præſertim, & anguilla. Si dicam me idem non potuiſſe aſpicere, repones mihi defuiſſe microſcopium in Anglia elaboratum, vel oculos cum præjudicio conſenſiſſe. Itaque habes pro evidenti Circuitionem, quod ab aliquibus ope chriſtalli aſpecta fuit, ſicque ratiocinaris: Quod aliqui viderunt auxilio microſcopii indubitatæ, perſpicuæque veritatis eſt: ſed aliqui tali auxilio viderunt circuitionem: ergo circuitio &c. Qua tamen ratione probabis majorem, ſi negem? Eſt diſſenſio, ut vidimus, inter doctos viros de aliis rebus, quas alii ſe vidiſſe vitro aſſeverant, alii nihil videre potuiſſe affirmant. Quinimmo Philippus Verheyen expendens placitum de ſemine ejuſdem auctoris, qui ſe microſcopio tot admirabilia vidiſſe, ipſamque Circuitionem in anguilla prædicat, non dubius aſſeverat ſæpe decipi, & decipere hominum ſenſus, ſæpe res aliter, ac ſunt, appa-

rere,

rere, multaque ſenſibus externis aſcripta opus eſſe ſolius imaginationis; idque eorum errore comprobat, qui nubium ſpeculationi intenti credunt ſe in eis videre equites armatos, aliaque miranda; quæ tamen aliis nullo præjudicio occupati eaſdem nubes intuentes non cernunt. Quod certe ſufficit retinendo aſsenſui non ſolum Academici philoſophi, Peripatetici, Stoici, ſed etiam Epicurei irriſoris dialecticæ. Solem Epicurus, auctore Tullio, quaſi pedalem, aut bipedalem eſſe judicavit, poſſe etiam minorem eſſe quam videatur, aut majorem, ſed non multo, ut oculi aut nihil, aut non multum mentiantur, ſed nudi, qualeſve a natura accepimus, non artificioſo vitro quaſi perſonati. Valeat etiam per me phyſica, quæ vitro, atque inde dubitabili viſione fulcitur. Verum quæ generatim dicta ſunt de intuitu per microſcopium, reputemus in viſione Circuitionis ſimili modo facta. Motus inteſtinus & proprius ſanguinis, impetus vagantium, & irritatorum ſpirituum; hoc eſt ſanguinis partium tenujorum, & actuoſarum in animali decorticato nonne ſunt apta ad fallendum cupidum videndæ Circuitionis, & ingerendam Logico ſuſpicionem ejus, quod viſum eſse putatur? Qui pariter non conſideret ſe poſſe in particula ſeminis galli gallinacei arena non majore plus quinquaginta millia puſillorum animalium vehementer agitatorum numerare, ut numeravit Leeuvvonhoekius, qui ea fortuna aſpexit Circuitionem, qua numeravit in tam exigua quantitate ſeminis tot millia animantium, quas reor ſe ſe ordinate, & diſtincte diſpoſuiſſe, ut poſſent numerari. Enim vero hiſce viſionibus relictis rationem conſulamus. Si perſiſtis in ſen-

*Lib. 2. Acad. & 1. de fin.*

*Apud Verheyen de ex in. ſem. per mic oſc.*

 ten-

tentia, Circuitionem ab experimentis nuper expoſitis, & ponderatis illatione facta legitime demonſtrari, peto, ut argumentationem logica forma concludas. Periclitatio Pecqueti de ligatura venæ, arteriæque, & punctione in cane, ſi qua alia, creditur efficaciſſima ad evincendam Circuitionis evidentiam. Ex hac igitur argumenteris. Quod in uno cane inciſo Pecquetus comperit, in omni cane inciſo comperitur. Sed Pecquetus in uno cane inciſo comperit ea, quæ Circuitionem evidenter oſtendunt: ergo hæc in omni cane comperiuntur. Sic profecto argumentati ſunt quicunque hactenus Circuitionem ea periclitatione probari exiſtimarunt, qui mehercle minus in logicam peccaſſent, ſi quod teſtatur Pecquetus ſe in uno cane expertum fuiſſe, in aliis pluribus canibus vidiſſent, nec ex uno idem in omnibus eventurum eſſe autumaſſent, proptereaque certiſſimam Circuitionem. Mirum creditu! Poſtquam Pecquetus ſuam edidit experientiam pro Circuitione comprobanda, nemo, quod ſciam, in eam inquiſivit, tentavitque an res ſic haberet, uti narratur. Bis ego iterari curavi tentamentum in diverſis canibus, & in utroque res aliter evenit, ac refert Pecquetus. Favet itaque mihi quod creditum eſt firmiſſimum a Pecqueto jactum Circuitionis fundamentum, admonetque Recentiores, ut ſolertiores expendant, quæ prædicantur experta, nec hiſce fidem præſtent, niſi eadem toties experti fuerint, quoties requiritur ad adipiſcendam inductionis idoneam probabilitatem. Propter eandem rationem tentamentum a me deſcriptum factum in ultimo diſſecto cane, in quo circumligatis coxa, & crure ſuppreſſus eſt effluens ſanguis, nil exhibere poteſt ad evin-

cen-

cendum ſanguinis circumactum, niſi pluries repetatur. Atque niſi quis a logicis didicit ex uno, vel duobus inciſis canibus non poſſe evidenter argui idem in omnibus futurum eſſe, diſcere poteſt ab experimento Pecqueti per nos iterato. Poſtquam vero in pluribus canibus id accidere viderit, oportet ut demonſtret non aliunde potuiſſe ſanguinem ſupprimi, quam ex impedito ejuſdem ab extremis ad cor aſcenſu, quod difficillimum ad demonſtrandum judico; neque ſane logicus demonſtrandum ſuſciperet bene gnarus quam paucæ ab orbe litterario condito extent demonſtrationes, quot conditiones ad eas recte concinnandas requirantur, quarum una neglecta tota moles ruit, ut non defuerint doctiſſimi viri, qui nullam etiam num demonſtrationem ex legibus ariſtotelicis confectam eſſe probaverunt. Sed tanto patrocinio non indigemus. Ante has concertationes, & diſſidia dixit Ariſtoteles in mortuis animalibus naturam principalium venarum aboleri; & in vivis fieri non poſſe; ut quemadmodum ſe habeant, cernatur. Cujus judicium flocci faciendum non eſt, ut pluribus recentioribus videtur; quos admonitos volo ſe una cum Ariſtotele aſpernari tot clariſſimorum virorum teſtimonium, & præſertim Tullii, cujus ingenium ſupra omnem aleam poſuit Plinius, qui paſſim Ariſtotelem celebrat, & reliquis philoſophis, uno excepto Platone, in rebus inveniendis, vel judicandis præſtare profitetur, & præſefert. Non defuere alii, quos ſupra indicavi, qui ſub diſſectione mutari interiora crediderunt, nec inde eorum naturam apparere poſſe. Quocirca ut ab experimentis factis in decorticata parte animalis motus vorticoſus ſanguinis evi-

*Lib. 3. de hiſt. anim. cap. II.*

*In Præfatione ad Veſpaſianum.*

den-

denter inferatur, opus eſt ut præter dicta demonſtrent propter violentiam inciſionis, & revincta vaſa accidere non poſſe, ut quicquam in eo mutetur, nihil in corde per ligaturam arteriæ, venæque ei continuarum, nullumque fieri novum curſum, & tranſfuſionem ſanguinis, cui motum proprium tribuunt; uno verbo debent oſtendere omnia ſic habere in animante ſub cultro, & vinculis, uti per ſummam illius quietem, & in ſtatu naturali. Quiſquis igitur ea legens, quæ ſcripſi in ſanguinem circumductum, animum inducis, ut me oppugnes, velliceſque, adverte Te nihil contra me evicturum eſſe, operamque totam luſurum, niſi omnia, quæ pertinent ad indubitatam fidem faciendam conſecutionis ductæ a propoſitis experimentis perſpicue probes, legitimiſque demonſtrationibus communias. Quibus in medium allatis novæ ſententiæ, tuique ingenii felicitatem, & acumen dies, nocteſque ſuſpiciam, & maximis, quibus potero, laudibus efferam; gloriaborque me meis dubitationibus effeciſſe, ut novæ prodeant in lucem ſinceræ demonſtrationes appareatque non adeo difficiles eſſe, & raras, ut perſpicaciſſima ingenia conſtantiſſime ſenſerunt. Sin autem tua ſpe frauderis, nec petita legitime demonſtrare valeas, ægre Tibi ferendum non erit ſi accuſavero plurimorum Recentiorum proclivitatem ad omnia credenda more fœminarum, ſi dixero plura ex nuperis placitis imaginaria eſſe, quam vera, tantumque noſtram ætatem abeſſe a vera ratione inquirendæ veritatis, quantum intereſt temporis inter nos, & priſcos illos philoſophos longe maximos, propter obſcuritatem rerum in utramque partem ſubtiliſſime differentes. An ullus ex illis irride-

ret

ret dubitantem de Circuitione? Imo omnes irriſorem graviter corriperent, nec ſana mente præditum, comparataque ad phyſicorum ſpeculationem judicarent. Verum enim vero ſtupores, contemptus, irriſioneſque meis adverſariis ultro condonarem, niſi extaret aliorum teſtimonium, inventum Circuitionis humanæ vitæ, ex cujus commodo illius laus potiſſimum metienda, vehementer eſſe infeſtum, quod etiam colligi poteſt ex confeſſione Adverſariorum. Illud igitur producam, meoſque adverſarios æternum quieſcere ſinam, neque a vitris, cultris, & ligaturis, aliiſque bene corporatis avocare meis meditationibus, & dubitationibus conabor. Raymundus Reſtaurandus tenet pro certo poſt admiſſam peſſimo fato doctrinam fabuloſi, ut ait, circumactus ſanguinis ab academia medica londinenſi, aliorumque tam infenſæ Mortalium vitæ ſententiæ aſſenſum ex intervallis temporum plura monſtra in medicina, quam in africa prodiiſſe, opponitque Circuitionis fautoribus ſe demonſtraſſe ingreſſum ſanguinis in ſiniſtrum cordis ventriculum, in quo vitæ fundamentum conſtituunt, lethalem eſſe: quod confirmat vetuſtiſſimum placitum Eraſiſtrati clari nominis philoſophi, quem Galenus exiſtimat longe melius Ariſtotele argumentatum eſse de facultatibus naturalibus, aſserentis ſiniſtrum cordis ſinum ſolo ſpiritu repleri, & duntaxat eo ſanguinem interlabi, cum cor denudatur thorace diſſecto: quo ſane Eraſiſtratus non confugit, ut circumductum ſanguinis negaret, aut in dubium adduceret.

*In Zodiaco medico gallico Julii anni 5. cap. 4.*

*De Hipp. & Plato. dogm. lib. 2. cap. 5.*

Satis tandem meis dubitationibus feci ex proprio philoſophandi modo, quem ſi tanquam alienum a Recentiorum inſtituto, atque hodierna philoſophia, ut

ajunt,

ajunt, in experimentis poſita, deſpicias, mihi dedecori non vertam, imo honorificum ducam, ſi aſſecutus ſum ut nuper indicatos veritatis perſcrutatores quadantenus imitarer, quibus rationis acutior, ſenſuum ſimplicior, & ſecurior uſus erat, uberiorque voluptas in pauciorum rerum nexu, & conſecutione exploranda, quam plurium externa facie curſim, & more viatorum intuenda, qua plerique in præſentia contenti ſunt in ſuis experimentis moliendis, ſperant nihilominus poſt magnam eorum acervationem prodituram denique in lucem eſſe clariorem, firmioremque phyſicæ conſtitutionem; qui ſane mihi videntur humano captui magis, quam par eſt confidere, nec animadvertere nullum eſſe incertius argumentandi genus inductione, quam experimenta ſuppeditant, ſi tamen accurate fiant, parique accuratione repetantur, & ponderentur; quem laborem mens noſtra difficile ferens propter ipſa experimenta frequenter labitur: ideoque Fernelius magna ſemper cum laude nominandus, quo tempore longe minor erat experimentorum copia, fortaſſis in efficiendis diligentia major, exclamavit nos tot experimentorum undis, & procellis demergi.

*Lib. 2. de Abd. rerum cauſis.*

FINIS.

IN-

# INDEX
## CAPITUM.


CAP. I. De Methodi medendi natura. Pagina 15
CAP. II. De Methodi medendi diviſione. 35
CAP. III. De fine Methodi medendi, & curatione. 38
CAP. IV. De Curationis differentiis. 45
CAP. V. De ſummis rebus, circa quas verſatur methodus medendi. 50
CAP. VI. De Naturæ indicatione primaria. 58
CAP. VII. De conſuetudine, ejuſque indicatione primaria. 70
CAP. VIII. De nocentis indicatione primaria. 80
CAP. IX. De ſecundaria indicatione Naturæ. 92
CAP. X. De ſecundaria indicatione Nocentis. 116
CAP. XI. De indicatione ſecundaria ſex rerum non naturalium. 130
CAP. XII. De indicationum collatione. 149
CAP. XIII. De primis curationis, & conſervationis principiis. 159
CAP. XIV. De reliquis curationis, & conſervationis principiis. 171
CAP. XV. De Præceptis Medicis. 178
CAP. XVI. Unde deſumenda ſint Medica præcepta. 192
CAP. XVII. De comparatione rationis cum experientia. 201
CAP. XVIII. De uſu experientiæ apud medicos rationales. 211
CAP. XIX. De uſu Analogiſmi apud medicos rationales. 226
CAP. XX. De curatione ignoti morbi. 238
CAP. XXI. De curatione morbi ſolum probabiliter cogniti. 251
CAP. XXII. De apparatu, delectuque doctrinæ ad methodum medendi conſequendam, exercendamque. 269


### APPENDIX METHODI MEDENDI.


De Natura morbi. 301


### NOVA IN SANGUINIS CIRCUITIONEM INQUISITIO.


CAP. I. Difficillimum eſt cauſam efficientem Circuitionis aſſignare. 321
CAP. II. Nondum ſat certæ aſſignatæ ſunt viæ Circuitionis. 337
CAP. III. Celeritas, qua creditur ſanguis circumferri, Circuitioni opponitur. 348
CAP. IV. Sanguinis Circuitu multa in Phyſiologia, & Pathologia perturbantur, & obſcurantur. 354
CAP. V. Sanguinis Circuitio ſecuriori medicationi repugnat. 374
CAP. VI. Toti rei medicæ videtur accommodatior fluxus, & refluxus ſanguinis a Galeno poſitus, quam motus rapidiſſimus in orbem. 391
CAP. VII. Productis hactenus experimentis Circuitio legitime non demonſtratur. 397

# INDEX
## IN METHODUM MEDENDI.

### A

Actio omnis debet vacare temeritate, & negligentia. 142
Aer, & regio, victus ratio, ipſumque vitæ genus ad conſuetudinem pertinent. *Pag.* 95
Aer divinitatis particeps creditus eſt. 130
Aer nunquam primarium indicans eſt, niſi conſideratus tanquam cauſa interna ſanitatis, vel morbi. 131
Aeris nomine quid intelligendum. 131
Aeris conſiderandi utilitates in adminiſtrandis alterantibus remediis. 137
Aetii unctionis uſus in febribus malignis expenditur. 146, 147
Æconomia circa ægrotantem ab Hippocrate commendata in quibus conſiſtat. 44
Ægyptiorum mos medendi. 33
Ægroti plus debent repertoribus corticis peruviani, & hydrargyri uſus, quam omnibus anatomiæ reformatæ inventis. 272
Ætas noſtra multo minus ſtudioſa eſt, quam vetuſta cibi medicamentoſi. 124
Ætas quo pacto faciat ad recte definiendam qualitatem, & quantitatem remedii exemplis declaratur. 99
Affectiones contrariæ multo rarius, quam creditur in eodem corpore eveniunt 157
Affectus ſpecificus cognoſci nequit, niſi cognitione partium, quæ ſunt illius ſubjecta. 104
Alimenti, ut alimentum eſt, opportunæ qualitates quærendæ ſunt potiſſimum ex victu ſanorum. 64
Alphonſi Borelli argumentum contra cauſam proximam febrium Antiquorum refutatur. 280, & duabus ſeq.
Alterantium virtus in cibo, potuque concluſa efficacior eſt ad corrigendas vitioſas qualitates, quam puris medicamentis. 124
Analogiſmi definitio. 226
Analogiſmus pertinet ad rationem non ad experientiam, 226
Analogiſmum triplici modo fieri exemplis declaratur. 227
Analogiſmo utendi occaſio. 228
Analogiſmo quo pacto debeat uti medicus rationalis. 229
Analogiſmi modus ſecundus. 233
Analogiſmi differentiæ ultimæ definitio. 235
Animadverſio in morem diluculo præbendi ſyrupos. 140
Animi motus ingentes quid indicent in curatione. 248
Animis confidere non oportet. 195
Antiquæ definitiones morborum non ſunt putidæ, & ridiculæ, ut eas vocat Gulielminus. 318
Antiquitatem oppido accuratam fuiſſe in morbis obſervandis conſtat ex prædictionibus Hippo. 273
Antiquos tutius eſt ſequi, quam Recentiores. 274, 275
Argenterius refellitur, qui quartum curationi ſcopum adjecit. 41
Argenterius perperam multiplicavit medicinæ partes. 46
Argumenta Paracelſi contra primum curationis principium ſolvuntur. 161
Ariſtoteles aſſerens facilius curari qui per aſſuetudinem, quam qui per naturam incontinentes ſunt, quomodo intelligendus. 80
Ars vera componendorum medicaminum. 237
Aſclepiadi magna ingenii ſolertia ſine experimentis admirabili præſidio fuit ad medendum. 206
Aſſueti plurimis rebus minus læduntur ab extrinſecis. 74

Aſtro-

Aſtrorum qualeſcunque conjunctiones non opponuntur magnis remediis, ſi nulla adſit aeris mutatio. 135
Auctor proprio didicit experimento quantum conferat ad præſcribendum victum, ſenſum ipſum conſulere. 127
Auctor arripit occaſionem agendi de natura morbi ex initio Galeni de Meth. medendi. 301
Auctor transfert ad judicium de experimentis, quod dixit Tullius de cauſis. 214
Auctor paucis componit diſſidia inter varios auctores de indicatione. 20
Auctor detentus febre continua ex genere ſtigmaticarum noluit ullum medicum in conſilium vocare. 28
Avenzoar quam doceat remedii ſpecifici præbendi rationem. 220
Avicennæ conſilium de relinquendo naturæ ignoto morbo refellitur. 238, & 239.
Avicennæ Laus. 193

B

BAglivi leges de Hippocratis cultu, & obſervantia. 193, 194
Balneum frigidum qua ratione profuerit Auguſto. 268
Bilem atram in diverſas partes delatam docet Hippocrates diſſimilium morborum feracem eſſe. 105
Bohnii argumentum pro ſequenda experientia præ ratione. 102
Bohnii ratio de majore refrigeratione ſanguinis ex lata venæ apertione, quam anguſta refutatur. 134
Bohnius pugnans contra Veteres, omnia ſymptomata proxime a morbo non oriri, in pleriſque productis exemplis lapſus eſt. 81, 82
Bohnius perperam opinatur hallucinatos eſſe Antiquos, quaſi omiſerint diſtinctionem inter cauſam continentem, & antecedentem. 84
Bohnius exiſtimans experimentis connexionem indicantis, indicatique aliquando dubiam reddi impugnatur. 188.

C

CAdaverum diſſectiones conducunt ad rectius judicandum de cauſis morborum niſi ſanationis gratia, ſaltem præſagitionis. 288
Cardani error in judicando de lapillo Pontificis Clementis Septimi 217
Caſum magiſtrum, & arbitrum plurium opinionum fortuiti eventus fecerunt. 101
Caſus numeroſior eſt magiſter ipſa natura. 218.
Cauſæ non omnes unam, & eandem præſtant indicationem. 83
Celſi ſententia de tundenda vena in prægnantibus illuſtri exemplo confirmatur. 103
Celſi ratio, cur materia purganda ſit per proximum ventrem, ſicuti juſſit Hippocrates. 108
Cibi, potuſque conſideratio duplici titulo conducit inſtituendis curationibus. 138
Ciborum recta adminiſtratio quibus continetur. 60
Cibi ex diverſa forma diverſam aptitudinem habet ad coctionem, atque diſtribuitionem. 66
Cibi partitio ex viribus, & conſuetudine deſumenda eſt. 66
Cibandi ægrotantis tempus. 67
Coctionis cauſæ genuinæ ignoratio induxit apud Antiquos oppoſitarum intemperierum conjunctionem. 158
Coitus recentis indicationes ſecundariæ. 143
Conditiones curationis explicantur. 42
Conformatio poteſt immutari intra ſanitatis confinia. 72
Conſervatio duplex eſt phyſica, & medica. 169
Conſervatio medica utrum debeat fieri per contraria, an ſimilia. 169, 170
Conſuetudo multifariam utilis eſt in conſideratione remedii. 94
Conſuetudo poteſt declarare indigentiam vacuandi humoris, non efficere. 95
Conſuetudinis obſervationem multum pro-

 pro-

prodeſſe ad curandos morbos exemplis oſtenditur. 96
Conſuetedo vulgaris medendi argumento Tullii reprehenditur. 32
Conſuetudo reliquis indiciis anteponenda pro declarando alendi modo. 61
Conſuetudo ad res naturales refertur. 70
Conſuetudinis duplex ſignificatio. 70
Conſuetudinis definitio. 72
Conſuetudinis bonæ deſcriptio. 74
Conſuetudo miras facit in omnibus ſenſibus alterationes, 71
Conſuetudinis malæ deſcriptio. 75
Conſuetudo vitioſa an mutanda ſit in morbis. 75, 76
Conſuetudo ſive bona, ſive mala ſit quo ad homines ægrotant, ſimilia poſtulat. 76
Conſuetudinis ſervandæ in diverſis morbis diverſa ratio eſt. 78
Conſuetudinis vim certo dignoſcere difficillimum eſt, 79
Conſuetudinis indicatio comparatur cum indicatione naturæ, & temperamenti, 79
Continentis cauſæ variæ definitiones. 313
Contraindicantium alia ſunt primaria, alia ſecundaria. 55
Contraria cur in phthiſi difficulter adminiſtrentur. 160
Contrarietas qua ratione conſideretur a medicis. 160
Contraria quo gradu debeant opponi. 162
Cordialia vocata remedia ſæpe intempeſtive præbentur. 139
Corticis peruviani uſus unde initium. 218
Corticis peruviani rationalis adminiſtratio, 223
Cruda in principiis febrium evacuanda forent, ſi ſuppeterent pharmaca opportuna, 87
Cucurbitulæ non ſunt præmittendæ venæ grandis inciſioni in principio febrium, 247, 248
Curatio ut plurimum per ablationem perficienda eſt, & quare. 240
Curationis multiplices mutationes, 252
Curationis modi mutatio. 254, 255
Curationis mutatio per remedia ſpecie diverſa ſæpe utilis eſt, idque probatur exemplis. 260, 261
Curationis mutatio in oppoſitam ſolum accidere poteſt in morbo conjecturali. 264
Curationis contrariæ ineundæ ratio. 265
Curatio felicior eſt quo magis ad aeris qualitates concinnata. 137
Curationis coactæ interpretatio contra Argenterium. 49
Curationis regimen diſcitur ex indicantibus, & impedientibus remedium. 55
Curationis duplex eſt ſignificatio ampla, & contracta. 45
Curationis legitimæ, coactæque explicatio. 47
Curationem inter, & ſanationem diſcrimen, 39

# D

Democriti, Epicurique ſectatores clare explicant quo pacto debilius contrarium agat cum aliqua victoria in validius. 167
Determinatio ejus, quod inter cauſas internas morbi rationem induit eſt utilis, & neceſſaria, non fatua, uti eam credit Gulielminus. 312
Dialectica manat, & funditur per omnes partes ſapientiæ. 209
Dialecticæ utilitas pro methodo medendi aſſequenda. 269
Dio vellicans Muſam in curatione Augusti vellicatur. 267
Diætæ conveniens modus ordine, forma, & partitione concinnetur. 64
Differentia inter ſtatum inflammationum, & aliarum febrium. 121
Diſcrimen inter impedimenta, & contraindicantia. 55
Diſtinctio inter morbum, cauſam, & ſymptoma tanquam neceſſaria contra Gulielminum propugnatur. 310
Doctrina magis conducit ad methodum medendi, quæ magis Dialecticam ſapit. 289.

Doz-

Dogmaticus vulgaris minus eſt ad medendum præmunitus Empirico. 31
Dogmaticus vulgaris parum differt a Theſſaliis medicis. Comparatur cum Empirico. 30
Dyſenterici plures acerrimis remediis curati fuerunt. 183

E

EMpirica medicina ſolum perfici poteſt a Dialectica ea cognitionum ſeriæ, quæ vocatur theoria medica. 208
Empiricæ medicinæ fundamentum. 173.
Empiricorum error in componendis medicamentis. 236
Empirici quo pacto utebantur experientia. 219
Error medicorum, qui totum corpus generalibus remediis affligunt, cum nihil habent, quod parti affectæ fructuoſe apponant. 182
Error quorundam medicorum qui ægrotos indiſcriminatim parcius cibant. 62
Evidens non eſt quo ordine debeant opponi contrariæ qualitates, ut morboſæ expugnentur. 22
Excrementorum quantitas eadem agitata, & a ſociis benignispartibus ſoluta reddit impuriora corpora, quam minus commota, magiſque permiſta. 121
Exercitatione in curandis ægrotis acquiruntur, quæ neque ſcribi, neque doceri poſſunt. 207
Exemplo ulceris cavi explicatur concurſus urgentioris, conditionis ſine qua non, & cauſæ proximæ. 155
Experientia plura ſtabilita ſunt, quæ a conſilio cœperunt. 205
Experientiam inter, & rationem ſolum diſcrepantia oriri poteſt nobis male cogitantibus. 206
Experimentum per ſolam rationem proximum, & tutum evadit inventionis inſtrumentum. 208
Experientiæ multiplex eſt uſus apud medicos rationales. 211
Experientiæ definitio. 213
Experimenta a quibus auctoribus ſumenda ſint. 215
Experimentorum magnus numerus non ſufficit ut remedium tanquam certum prædicetur. 259
Experientia parit notitiam remedii per effectum, natura morbi cognita per cauſam. 19
Exemplum luculentum ordinis, methodique contracte acceptæ. 26

F

FAcultatibus tantum cibi debetur quantum poſſunt conficere. 60
Febrium non paucarum curatio impeditur, vel retardatur quoad magis ſolliciti ſumus de calore, quam de cauſa caloris. 152, 153
Febris antiqua definitio contra Etmullerum, alioſque Recentiores defenditur. 182, & duab. ſeq.
Febris definitio Etmulleri rejicitur. 285
Febris eſſentia, ut morbus eſt, ad partes ſolidas referenda eſt, non ad humores. 286
Fernelius Medicinæ addictus exuit habitum mathematicum. 292
Fernelii ſententia de methodo pertinaciter non exquirenda expenditur. 49
Fluida data molis æqualitate ſolidis ponderoſiora ſunt. 65
Fœminis quædam magna remedia minime ſunt opportuna. 102
Formæ medicamenti mutatione curata eſt recidiva colica, 255
Fracaſtorius fatum, & naturam conjunxit. 175

G

GAlenus ex perſpiratione colligit non eſſe incidendam venam pueris. 147
Galenus viam ab Hippocrate indicatam ab aliis dirutam reparavit. 15
Galenus medendi methodum quantum attinet ad eſſentiam abſolvit. 16
Galenus non effundit ſanguinem in melancholia ſola cauſa aſpiciendi coloris. 244
Galeni interpretatio removentis ab indicatio-

catione ſyllogiſmum. 20
Galeni monitu actu frigida ſint oportet, quæ præbentur ad refrigerandum. 69
Galeni exemplo illuſtratur quo pacto ex indicatione partis affectæ temperetur curatio. 114, 115
Galeni libri de methodo medendi ſunt locupletiſſimi ad praxim bene fortunandum. 194
Galeni colendi, obſervandique modus. 195
Galeno nullus præſtantius ſcripſit de methodo medendi. 196
Goæ interdum ſanguis quadraginta vicibus educitur. 97
Gulielminus carpens vulgarem ideam morbi refellitur. 302, 303
Gulielminus non tradit indicia ſanitatis vulgaribus notiora. 304
Gulielminus cauſæ continentis naturam confundit. 314, & tribus ſeq.
Gulielminus negligens diſtinctionem diverſarum cauſarum ideam morbi ſuis correctionibus obſcuravit. 320

## H

HAbitus corporis conſideratio admodum utilis eſt in evacuationibus faciendis. 94
Heredias pluribus Recentioribus clarius explicavit mutationes, quæ accidunt ſanguini febricitantium. 280
Hippocrates tempore æſtivo temperat a venæ punctione in ſputo ſanguineo. 133
Hippocrates, & Galenus curationum ſecuritatem ab occaſione quæſiverunt. 43
Hippocrates quomodo mutet conſuetudinem cibandi. 67
Hippocrates quo pacto Medicinæ univerſalia principia, & præcepta ſtatuiſſe videatur. 211
Hippocrates cur inchoaverit curationem ignoti morbi a purgatione, non venæ ſectione. 241
Hippocratiæ ſententiæ : *Cocta medicari oportet, & movere*, &c. plures exceptiones. 180
Hippocratis plures præceptiones inde fluunt, quod natura ſit morborum medicatrix. 176
Hippocratis monitum de contemplandis ægrotis. 214
Hippocratis ratio de tentanda curatione, ignoti morbi. 240, 241
Hippocratis ſententia : *Omnia ſecundum rationem facienti* &c. ſolum valet in morbos manifeſtos. 251
Hippocrates præcipiens frequentem curationis mutationem explicatur. 251, 252.
Humorum diverſitas poſita ab Antiquis explicatur. 279
Hippocratis, & Galeni præceptis quaſi ſancitis legibus univerſalibus parendum non eſt. 32
Hippocratis monitum ad inveniendam rectam victus rationem in ægrotis. 70
Hiſpanorum controverſia de indicatione temperamenti partium ſimilis, vel contrarii morbo ſolvitur. 94
Hippocratis monitum de obſervanda regione in curatione. 96
Hippocratis leges de purgandis utero gerentibus. 102
Humor idem ex partis diverſitate in eodem ægrotante contrarias affectiones progignit. 105
Hiſtoria de Pauſania ſiro ſophiſta. 110

## I

IDea ſanitatis in abſtrato, & concreto tradita a Gulielmino expenditur 305, & ſequent.
Jecoris vitium in Octavio Auguſto unde. 266
Jecoris laborantis ex calido affectu curationis ſumma. 268
Jejunii incommoda enumerantur. 128
Imaginationis perfectioris eſt exiguas quaſque res diſcernere, & æſtimare. 142
Impedimentis ſummotis ſemper adeſt tempus propulſandi lædentis. 88
Indicantia unde dicantur. 50
Indicantia a ſcopis ſecernuntur. 51
Indicati natura explicatur. 56

Indi-

Indicatio magnitudinis partis. 107
Indicatio figuræ partis. 107
Indicatio partium ſocietatis. 108
Indicatio nocentis confertur cum indicatione naturæ. 150
Indicationes nocentis inter ſe comparantur. 152
Indicationibus in contrariis remedii mediocritate utendum eſt. 155
Indicationis triplicis traditæ a ſcholis explicatio. 21
Iudicationis definitio excludens ratiocinium non valet in omnes indicationes. 22
Indicationum omnium fundamentum traditum a Galeno. 21
Indicationis galenica definitio. 18
Indicantis tres eſſe conditiones probatur. 51, 52
Indicantium diviſio in prima, & ſecunda, & ſingulorum deſcriptio. 54
Inflammatione incipiente magis opponitur copioſo victui qua data porta confluens humor, quam incrementum, vigorque illius. 119
Ingenii humani viciſſitudines incredibiles. 277
Intermiſſio pulſus ſola cibi adjectione diſcuſſa. 63
Joannis Petri de Croſa judicium de eventu methodi mathematicæ in aliis facultatibus uſurpatæ. 298
Juvans in omni indicatione non ita clare percipitur, ut ſine alia cogitatione intellectus acquieſcat. 21
Juvantia omnia eadem perſpicuitate ab indicationibus non exhibentur. 23
Jucunditatem curationis plurimi fecit Hippocrates. 43
Jucunditatis in curatione genus quoddam eſt, ſi careat ſuperfluis. 44
Julius Cæſar Claudinus cur ſuum opus inſcripſerit Empiricam rationalem. 213

L

Lateris dolor cum ſputo cruento curatus. 262
Laurentii Bellini demonſtratio de quantitate ſanguinis effundendi ſine virium offenſa expenditur. 292, & duab. ſeq.
Loci affecti conſideratio multas parit utilitates in medicatione, idque variis exemplis probatur. 109, 110

M

Majores uſum corticis peruviani methodo prævenerunt. 189
Mammæ docent quid partis mollities conferat ad medicationem. 106
Materiæ remedii mutatio, & cauſæ mutationis. 256, 257
Medentis functiones tres ſunt, quibus totidem reſpondent methodi agendi. 34
Medicamina conjuncta non idem efficere, ac ſeparata exemplis oſtenditur. 237
Medicaminis virtus bifariam augeri poteſt. 258, 259
Medicaminum varii ſunt affectus pro partium diverſitate. 234
Medicaminum varia poteſtas agendi. 214
Medici redarguuntur, qui media æſtate in tertianis intermittentibus ſanguinem ducunt. 135
Medici rationales qui experientiam rationi præponunt de re imaginaria laborant. 201
Medico rationali quæ ſunt obſervanda in uſu ſpecificorum. 219, 220
Medicus recte ſuo munere functurus ad tria reſpiciat oportet. 39
Medicus nimium ſecurus nihil magni molitur. 43
Medicus in aliquibus morbis propulſandis princeps eſt, ſed in plurimis natura. 39
Medicina conjecturalis non eſt propter methodum, & præcepta. 186
Medicina unde conjecturalis dicatur. 190
Medicina rationalis tantum præſtat empiricæ, quantum virtus cauſi, & fortunæ. 24
Medicina ex rationum collatione conſtat, ſicuti, teſtimonio Tullii, philoſophia. 34

Me-

Medicina vetus hodierna experimentis remediorum divitior fuit. 278, 279
Medicinæ decori, & præſtantiæ duo opponuntur. 250
Medicinæ veteris laus. 200
Medicinæ, & Matheſeos permiſtionem contra majorum inſtitutum eſſe, & rationem probatur. 290, & ſeq.
Medicinæ abuſus tandiu perdurabit, quandiu popularis inſcitia. 250
Medicinæ antiquum eſt ut novis opinionibus pateat. 278
Membrorum proprietas conſideranda in uſu medicaminum. 234
Menſtruis rite manantibus utrum ſit ſecanda vena, vel purgandum, an contra. 144, 145
Methodi vox latius ſumpta duo deſignat, ordinem, & inſtrumentum, habitumque intellectus. 17
Methodi definitio ſcholarum, & auctoris. 18
Methodi vulgaris curandæ febris acutæ cum ſuſpicione malignæ qualitatis deſcriptio. 26, 27
Methodi lex immutabilis. 49
Methodi comparatio cum arte ſyllogiſtica. 36
Methodi diviſio ſcholarum extrinſeca eſt ſumpta a diverſa materia methodo ſubjecta. 35
Methodus medendi totius artis centrum eſt. 16
Methodus medendi eſt uſus excultæ rationis ad medendum. 25
Methodus medendi galenica nulla rerum novitate amittere poteſt foecunditatem notionum pro curandis morbis. 199
Methodus dubia dicenda non eſt, & ſi plura remedia methodo inventa dubia ſunt. 187
Methodus Galenica cavi ulceris ſanandi. 25
Methodus medendi paucis deſcribitur, ſed tanto plura requiruntur ad eam exercendam. 23
Methodus vulgaris curandæ ejuſdem ſpeciei febris in diverſis ægrotantibus reprehenditur 27
Methodus ratione materiæ dividitur in demonſtrativam, & probabilem. 37
Methodus medendi non conſiſtit in collectione præceptionum. 37
Methodus claritatis gratia dividitur in docentem, & utentem. 37
Methodus medendi proponit remedium, non remedii materiam poſitam in particularibus. 56
Methodus medendi phyſiologia poſterior ſolum tractat de natura, qua indicans eſt. 58
Miſeriæ interdum per uſum jucundæ evadunt. 72
Monitum obſervandum in valido cibi deſiderio. 129
Morbi præſentia ſemper integram ſui expulſionem requirit. 90
Morbi definitio galenica eſt aptior quam logica tradita a Gulielmino. 208
Morbi phyſica definitio tradita a Gulielmino impugnatur. 308, 309
Morbi quidam recens orti, & quidam aboliti recenſentur. 228
Morbi ignoti nomine quid intelligendum. 238
Morbi enumerantur, quorum præſentia ſignificatur, eſſentia, & cauſa occultantur. 215
Morbis acutis medenti prius eſt exploranda facies ægrotatis, quam Cœli. 136
Morbis extremis efficaciore remedio ſæpe opponimur. 165
Morbo ſæviente non tam in qualitatum vehementiam, quam in fomentum pugnandum eſt. 165
Morborum in quacunque complicatione una, eademque eſt generalis regula curationis. 156
Morbus ſemper, & primario curationem indicat. 83
Morbus magnus repetitis ictibus debilioribus convelli poteſt. 167
Motus, & quietis indicationes ſecundariæ. 140, 141
Mulier graviter laborans ex gallica lue hydrargyro curata, & argumentum, quod inde colligitur. 185
Muſa demiſit Octavium Auguſtum in frigida lavacra. 267

Na-

## N

Natura demonſtrat eadem ratione moderamen cibi, potuſque, atque aliarum rerum non naturalium. 69
Natura in morbis primum indicans eſt diætæ. 92
Natura in his rebus dominatur, quæ ad quietem animi, delectationemque quæruntur. 128
Naturæ providentiam nemo frequentius medico obſervat. 177
Neceſſitatis inventa omnibus in rebus antiquiora ſunt, quam voluptatis. 273
Nervi puncti Caroli noni galliarum regis curatio facta a Paræo expenditur. 203
Nervi ſubſtantia prompte extranea humiditate imbibitur. 106
Neutrum ſtatum corporis utiliter eſſe excogitatum a Medicis probatur contra Gulielminum. 307
Nihil periculoſius quam unam ſemper, ſtatamque formam medendi obſervare. 28
Nimium rebus in omnibus plus offendit quam parum. 168
Nihil ſimul inventum, perfectumque eſt. 275
Nocens tria complectitur. 80
Nocentis, & juvantis nomine quid intelligendum. 18, 19

## O

Octavii Cæſaris Auguſti curatio. 264
Officium Medici, uti Rethoris diſtinguitur a fine. 38
Optimum quidque in ipſa virtute rariſſimum eſt. 210
Ordo agendorum unde depravetur. 157
Ordinis qualitatis mutatione ſors ipſa in ſocietatem conſilii accerſenda eſt. 258
Ordinis definitio Tullij, & Scholarum. 17
Ordo, & methodus ſtricte ſumpta in qualibet facultate requiruntur. 18
Ordo agendorum ex temporis obſervatione elucet. 41
Ordo ſervandus in auferendis multiplicibus cauſis. 47
Ordo convenit ægrotis in varietate ciborum, qui ſanis præſcribi ſolet ad tuendam ſalutem. 64
Ordinem porrigendorum ciborum ſervandum eſſe contra Bohnium probatur. 65
Ordinem ſumendorum medicaminum natura eorundem declarat, ventriculique, non ægrotationis. 89
Oſores, contemptoreſque veterum controverſiarum redarguuntur. 299

## P

Parotide apparere incipiente quæ uſurpantur auxilia. 112
Parotidis aperiendæ quorundam mos ante pus confectum ignito ferro. 112
Partis dignitas unde deſumenda. 111
Partium denſitas quid requirat, itemque raritas. 106
Partes præſtantiſſimæ non ſunt vehementer alterandæ. 111
Partis ſitus docet locum remedii, & alia non pauca. 108
Peſte affecti largius nutriuntur, quam alio acutiſſimo morbo. 122
Perſpirationis ratio habenda diligenter eſt in adminiſtratione medicaminum. 145
Perſpiratum prohibentia in vulneribus. 147
Petronis ratio curandæ febris. 153
Phlegmonarum diverſa tempora deſcribuntur. 113
Pleuritide, & peripneumonia accedentibus ad ſtatum peculiari ratione augenda ſorbitio eſt. 121
Pleuritidis curandæ mos vulgaris corripitur. 263
Plinius paſſim mentionem facit de rheumatiſmis. 265
Potus qualitas quænam expetenda. 68
Potus ratio a natura demonſtrata excludit ſenſibilem calorem. 69

Præcepta medica non eſſe perpetua cur dixerint Majores. 180
Præceptum vetuſtiſſimum, *non rite curari partem ante totum* explicatur. 181, 182
Præcepta medica in aliquo ſignificato indubitata ſunt. 186
Præceptionum medicarum diviſio. 191
Præceptorum medicorum inventio, & conditiones. 179
Præceptum, quod vetat duci humores ad partem affectam, explicatur. 183
Præſidia lenta, ut ſecuriora ſæpe eligimus ignoratione quantum morbus exigat. 43
Proſperi Martiani interpretatio de magnis temporum mutationibus obſervandis limitatur. 136
Primum, latiſſimeque patens medendi principium exponitur. 160
Primum conſervationis principium exponitur. 168
Principium unde docemur ordinem agendorum in legitima curatione. 172
Proprietas partium conſideranda in curatione. 113
Proſperi Martiani laus. 274
Prudentiæ nullam artem habemus, ſola domina natura eſt. 265
Puerpera laborans tertiana duplici contra opinionem alterius Medici cortice peruviano curatur. 205
Puella animal ſaliva enecans. 71
Pueri intra primos ſeptenos annos non ferunt calida, & acria cathartica. 99
Purgantia quædam fortia longe moleſtiora ſunt die opaco, quam lucido. 135

Q

QUalitatum duplex genus in cibis conſiderandum occurrit. 63
Qualitas remedii patefit abs qualitate nocentis. 86
Qualitates manifeſtas conjunctas cum occultis in ſpecificis remediis præbere occaſionem delectus, methodique exemplis probatur. 220, & ſeq.
Qualitatum ſecundarum, quæ tactiles dicuntur, enumeratio. 106
Quantitas remedii non a ſola nocentis quantitate cognita deprehenditur. 86
Quartana febris primis diebus vomitorio curata. 254
Quæritur utrum morbus, morbique cauſa eodem indicent modo. 85

R

RAtio omnibus præceptis antiquior eſt, eorumque inventrix. 32
Ratio cur Galenus ſcripſerit tot eſſe Methodos, quot ideas morborum. 36
Ratio cur in ſtatu phlegmonarum uberior cibus offerendus eſt, quam in ſtatu aliarum febrium. 120
Ratio adhibendi, privative oppoſita. 163
Ratio adhibendi remedia in oppoſitis contrarie. 165
Ratio quidam eſt ingenii motus ex Tullii ſententia. 298, 299
Ratio multa corrigit, quæ experientia vulgo comprobata creduntur. 205
Ratiocinatio utentis analogiſmo. 227
Rationem inter, & experientiam nullum poteſt eſſe diſſidium. 204
Rationes, quibus caverunt Antiqui ab effundendo ſanguine tempore æſtivo. 132, 133
Rationis deſcriptio ex Tullio. 25
Rationalis profeſſor cur etiam Empiricus vocandus. 212
Remedii quantitas diſtinguenda eſt a quantitate materiæ. 40
Remedia uſurpata pro lenimento ſymtomatum pertinent ad morbum, vel cauſam eum aſperantem. 48
Remedii tempus ſignificatur indicantis præſentia, atque abſentia impedimentorum. 86
Remedia diverſa ex brevibus intervallis præbenda non ſunt. 90
Remedii adminiſtrandi modus a lædente non indicatur, idque contra Argenterium probatur. 90, 91
Remedia quo gradu debeant opponi morbis. 163
Recentiorum multa excogitata nihil habent novi præter deteriorem partem. 201.

Re-

Remedii ſpecifici deſcriptio. 217
Remedia per experientiam inventa frequentius ſubſidio ſunt in unico morbo, quam pluribus complicatis. 224
Remedia empirica ut adminiſtranda ſint a medico rationali etiam in morbis manifeſtis. 225
Res naturales tantum indicantia ſecundaria eſſe poſſunt curationis. 92
Revulſionis neceſſitas in principio inflammationum præclaro evento illuſtratur, & comprobatur. 119
Robur corporis e tribus oritur. 58
Remedia olim minime proſtituta erant, ut in præſentiarum. 242
Repugnantia eorum, qui ſanguinem ducunt, ſolum ut intueantur. 245
Recentiorum ſtudium quale. 270, 271
Recentiores non ſunt feliciores curandis morbis ab Antiquitate non curatis. 271
Recentiorum plures opiniones occiderunt paulo poſt ortum. 275, & ſeq.
Recentiores ut plurimum impetunt veteres doctrinas truncas, nec bene perceptas. 279
Roberti Boyle monitum de experimentis. 289
Res unaquæque conſtituitur in certa ſpecie a propria eſſentia, non a cauſa. 311

S

SAnguine Mortalium multi nugantur. 245
Sanguinis emittendi cauſa inanis eſt intuitus emiſſi. 243
Sanguinem quando ducere liceat in morbo ignoto. 245
Sedem particularium morborum multum habere manenti ad demonſtrandum modum nutriendi exemplis oſtenditur. 125
Senſus partium indicationes diverſæ. 112, 113
Sexus conſideratio prætermitti nequit in curationibus. 100
Similitudo inter morbos requiſita pro conficiendo analogiſmo exemplis declaratur. 231, 232
Similitudo inter remedia non ſola veſtigatione qualitatum quærenda eſt, ſed experimento. 236
Sitis duplex eſt, naturalis, & morboſa. 68
Somni utilitates, & vigiliarum incommoda. 142
Somniferorum modus agendi in cruciatu inteſtinorum. 48
Species, & partes methodi non aliunde melius addiſci poſſunt quam ex Galeno. 198
Subſtantia alendo corpori familiaris, & accommodata voluptate judicatur. 130
Summa rerum, de quibus agit Galenus in lib. Meth. 197, 198
Symptomatis mitigatio non differt ab actione, qua cauſa morbi præſentis adimitur. 46
Symptomatum genera duo ſunt, alterum habens permanentem eſſentiam, alterum non permanentem. 80, 81
Symptomatum alia propriam habent indicationem, alia non habent. 81
Sydenhamium immerito reprobaſſe ſpeculationes medicas oſtenditur. 210

T

TEmpus agendi duplex. 41
Tiberii imperatoris dictum excuſat auctorem pro ſua valetudine medicos non advocantem. 29
Temperamentum partis deſtructum, & alia quæcunque abſentia quo pacto indicent remedium. 53, 54
Temperamentum, corporis habitus, ætas, &c. indicant quantitatem cibi, quatenus virium quantitatem declarant. 61
Tempora morbi, cum nullum habeant contrarium, proprie curationem nequeunt indicare. 88
Temporum morbi cognoſcendorum neceſſitas oſtenditur. 88
Temperamentum in morbis ſimilaribus oppido conducit ad inveniendam contrarietatis menſuram. 93
Tempora particularia morborum docent

cent qua parte diei cibandum ſit. 123
Tullius in curatione affecti animi procedit, uti medicus in curatione affecti corporis. 47

# V

VAlleſius germanam naturam methodi non expreſſit. 196
Valleſius, & Sanctorius rati conſuetudinem ab aſcita natura differre refelluntur. 73, 74
Valleſij monitum de mitigandis ſymptomatis. 49
Vacuationis via mutata multum prodeſt in difficili curatione. 262
Vena tali ſecta aliquando ſubito variolæ, & menſtrua eruperunt. 249
Vena proxime a ſomno non eſt reſeranda. 143
Venæ ſectionem in meticuloſis aliquando expedit omittere. 148
Venæ ſecandæ ritus in diverſis regionibus probat quantum in re medica dominetur opinio. 100, 101
Venter noſcit, quod intelligi non poteſt. 127
Venæ ſectionis diverſis temporibus factæ utilitatem probat exemplum Botalli. 254
Ventriculi ſenſus ſæpe declarat qualitatem cibi, potioniſque; ut varia probant exempla. 129
Victus ratio primario indicatur a robore, ſecundario a nocente. 116
Villacorta refellitur, qui non admittit diſtinctionem inter remedium, & remedii materiam. 57
Vini abſtinentia non raro perperam imperatur. 124
Vires a triplici cauſarum genere offenduntur. 122
Vires debilitatæ reficiuntur duplici modo. 59
Vires oſtendunt, liceat ne contrarium univerſum uſurpare, & quo pacto. 92
Vires unice, ſemperque ſui cuſtodiam indicant. 58
Virtus ſpecificorum æqualiter ignoratur ab Antiquis, & Recentioribus. 107
Virtus in quo poſita ſit ex ſententia Tullii. 24
Vitæ generis conſideratio quo pacto curationem dirigat exemplis oſtenditur. 98
Vitium eſt nimis magnum ſtudium in res difficiles, & non neceſſarias conferre. 211
Vomitio poſt multiplicem, variumque cibum facta facilior, utiliorque redditur. 139
Uſus efficacia apparet in Mithridate. 258
Utendi ratio tribus concluditur, modo, loco, & tempore. 40
Uterus comprobat ſpecificorum virtutem. 114
Vvilliſius irridens Avicennam irriſum promeruit. 286, 287

*Finis Indicis in Methodum Medendi.*

# INDEX

## IN SANGUINIS CIRCUITIONEM.

### A


ADverſariorum confeſſione plures errores oriuntur in praxi ex rapido ſanguinis motu, quam olim putata quiete. 374

Æquilibrium non eſſe cauſam efficientem Circuitionis probatur. 330, 331

Affectionis hypocondriacæ cauſa ex legibus Circuitionis difficulter exponitur. 369, 370

Agere conſiderate pluris eſt, quam cogitare prudenter. 374

Antonius de Pozzis cur dubitet de Circuitione in quadam Baroniſſa, a ſe diſſecta. 340

Argumenta adverſus tranſitum ſanguinis per carnium ſpacia ad venas. 337, & duabus ſequent.

Ariſtotelis judicium flocci faciendum non eſt. 429

Arteria non majore utilitate quam vena pertunditur ex legibus Circuitionis. 387

Arteriæ venis partem aliquam contenti ſanguinis multo aere turgentis impertiunt. 404

Auctor difficile patitur non aſpici Circuitionem. 399

Auctori vix medicinæ limen ingreſſo duriſſima viſa eſt ſententia de ſanguine circumacto. 311

Auctoris experimentum de lacte infuſo in venam brachii. 417, 418


### B


BAile in Apoplexia venam jugularem fruſtra ferire ex principiis Circuitionis probatur. 377, 378

Bartholini experimentum pro Circuitione expenditur. 412, 413

Borelli opinio de uſu valvularum impugnatur. 415

Bubonibus in malignis contra Circuitionis leges timetur venæ ſectio partium ſuperiorum. 390


### C


CArdinalis Toletani fratris Regis Hiſpaniarum hiſtoria. 325

Capitis plures morbi difficile explicantur poſita Circuitione. 362, 363

Carteſii opinio de quantitate ſanguinis in cor delati. 393

Celeritas circumlati ſanguinis apta eſt ad diſſipandum magnam ſpirituum copiam. 348

Circuitionis fautores nondum ſat clare determinarunt in quibus partibus ſanguis elutrietur. 346, 347

Circuitionis ſecundaria cauſa a Gulielmino aſſignata refellitur. 331

Circuitionis cauſa efficiens in cornibus cervinis difficilius explicari poteſt. 332

Circuitionis pernicitas obſtat nutritioni. 349

Circuitio ſanguinis tollit ejuſdem fermentationem. 354

Circuitio reddit difficilem explicatu diverſitatem inter ſanguinem venarum, arteriarumque, itemque inter paucas uncias ſanguinis extracti. 358, 359

Circuitio tollit revulſionem, & derivationem faciendam per venæ apertionem. 375, & duabus ſequent.

Circuitio evertit præceptum de ſecanda vena in parte affecta ſolum præmiſſa univerſali vacuatione. 388

Circuitionis continuatio valde difficilis eſt in valde extenuatis. 395

Circuitionis defenſores debent reſpondere experimento, quo credunt ſuos


Ad.

Adverſarios convinci. 408, 409
Compendium diſputationis de ſanguinis circuitione. 426
Continuatio venarum, arteriarumque in dubium vocatur. 341
Continuatione venarum, arteriarumque poſita difficulter explicatur effuſio ſanguinis in carnes pro nutritione. 342, & duabus ſequent.
Cordis plures conſtrictiones fiunt incruentæ. 394
Craanen opinio de nutritione impugnatur. 351
Cretenſis opinio de concuſſione muſti refellitur. 355
Cretenſis ſuum Adverſarium defendit, dum impugnat. 365
Cretenſis retorquens Adverſarii arma impugnatur. 378, 379
Cretenſis labes, & calamitas in vena ſecanda. 382
Cretenſis convicia in Adverſarium conviciatori deberi oſtenditur. 404, 405
Cretenſis, aliorumque ratio, cur in demortuis inanitæ ſint arteriæ, repletæ venæ refutetur. 413
Cretenſis multa laxe concludit. 413
Cretenſis accuſans auctorem obſcuri, dubii, & captioſi ſermonis apertiſſime convincitur. 419, 420
Cyrenaici riderent viſionem Circuitionis factam ope microſcopii, neque Tullius approbaret. 398
Cyreneorum philoſophorum opinio. 323

E

ERaſiſtrati opinio de ſiniſtro cordis ventriculo. 431
Eventum venæ ſectionis in brachio non arguit Circuitionem. 400, & ſeq.
Experimentum de ligatura arteriæ, venæque in cane rem aliter evenire, atque Pecquetus narrat, oſtendit. 408, 409

F

FEbrium plures differentiæ difficile explicantur ex ſanguinis circuitu. 364, 365
Fermentationi adauctæ in febribus quicquid opponitur, opponitur etiam alii motui inteſtino ſanguinis. 364

G

GAlenus inter venas, arteriaſque fluxum quendam, & refluxum ſanguinis aſſeruit. 392

H

HEtruſci cujuſdam dicacitas in auctorem retunditur. 354, & ſeq.
Hippocrati non innotuiſſe Circuitionem extra controverſiam videtur. 422

L

LEeuvvenhoekius ea fortuna vidit Circuitionem, qua numeravit plus quinquaginta millia animalculorum in perexigua particula ſeminis. 427

M

MAdero defendens cauſam Circuitionis impugnatur. 328, 329
Mayovy tertii generis vaſa reijciuntur. 340
Mangetus defendens veterem methodum incidendæ venæ poſita Circuitione confutatur. 385, 386
Motus a Galeno poſiti in ſanguine utilitates. 396

N

NAturæ cognitio, & contemplatio imperfecta eſt, ſi nulla rerum actio conſequitur. 426


Ope-

O

Operam ludet qui ſcribens contra auctorem petita legitime non demonſtrabit. 430
Opinionum commenta delet dies, judicia naturæ confirmat. 380

P

Pecqueti opinio de cauſa effectrice Circuitionis impugnatur. 325, & ſequent.
Pecqueti experimentum, quod creditum eſt firmiſſimum Circuitionis fulcimentum, favet Adverſariis. 428
Phlegmonarum generatio difficile explicatur ex legibus Circuitionis. 373
Philoſophis antiquis acutior erat rationis uſus, ſenſuum ſimplicior, & ſecurior. 432
Protagoræ ſententia de vero. 353

R

Ratio ob quam in aliquot unciis ſanguinis extracti apparet cruſta, in aliis non apparet. 361
Raymundus Reſtaurandus affirmat Circuitionis inventum eſſe humanæ vitæ vehementer infeſtum. 431

S

Salvatela fruſtra aperitur admiſſo ſanguinis Circuitu. 389, 390
Sanguinis impetus circumflui opponitur ſenſuum interiorum operationibus. 356, 357
Sanguinei efluxus cauſa difficile explicatur a fautoribus Circuitionis. 364
Sanguinis veloci motu conceſſo perarduum eſt exponere, quo pacto inde varia excrementa in criſibus ſeparentur; itemque quomodo per varices crurum mania curetur. 366, & duabus ſeq.
Saphenæ vulneratio cur frequens cauſa abortionis. 380
Sapientem circa principia dicere verum oportet. 382
Senſibus in præſens vix fides remanſit. 424
Stoici multitudinis opinionem contempſerunt. 322

T

Taurii opinio de nutritione ſcatet difficultatibus. 351
Titulus primi capitis Apologiæ Madero impugnatur. 356
Tuberculum a Louvero deſcriptum in vena cava ad expediendum aſcenſum ſanguinis in omnibus corporibus non reperitur. 346, 347

V

Valvularum uſus ab Aquapendente aſſignatus confirmatur. 414
Valvularum uſus in venis jugularibus, & vaſis magnis cordis. 416, 417
Venenorum raptus ad cor nequit attribui motui verticoſo ſanguinis. 371, 372
Venæ vulnerandæ methodus obſervanda Circuitionis defenſoribus. 383, 384
Veris omnibus ſunt adjuncta falſa. 322
Vvilliſius nequit explicare Anaſarcam congruenter ad Circuitionem. 363


*Finis Indicis in Sanguinis Circuitionem.*

## ERRATA:

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| *Pag.* 96 | *lin.* 5 | viſæ. | *lege* | vitæ. |
| *Pag.* 111 | *lin.* 21 | Italum. | *lege* | Attalum. |
| *Pag.* 138 | *lin.* 9 | infirma. | *lege* | infima. |
| *Pag.* 336 | *lin.* 17 | Senæ. | *lege* | Jenæ. |
| *Pag.* 338 | *lin.* 18 | Boyle. | *lege* | Bayle. |
| *Item* | *lin.* 25 | | | |
| *Pag.* 382 | *lin.* 5 | Venarum. | *lege* | Veterum. |

Alia ſine labore corriget benignus Lector.